

PP Eremitarum Camald: Eremi Varsaviensis

SOLILOQUIA CHRISTIANA, ET PRAXES QUÆDAM.

AUTHORE

A. R. P. ADALBERTO TYLKOWSKI.

è Societate IESU, Theologo.

Primò Olivæ impressa.

Nunc

POSNANIÆ,

Iuxta idem Exemplar reimpressa.

Typîs S. R. M, Clari Collegij Societatis IESU.

Anno 1694.

APPROBATIO
A. R. P. PROVINCIALIS.

ALBERTUS CIECISZEWSKI *Societatis IESV Præpositus Provincialis per Provinciam Lithvaniæ. Cùm* Soliloquia Christiana *à* P ADALBERTO TYLKOWSKI *Societatis nostræ scripta, sunt ab his, quibus id commissum, recognita: & ut possint in lucem edi, approbata: Nos, potestate nobis factâ ab A R. P N.* PAULO OLIVA *Præposito Generali, facultatem concedimus ut Typis vulgentur. Dat. Varsav. 1668. Dec. 9.*

ALBERTUS CIECISZEWSKI.



FACULTAS ILLUSTRISSIMI D. D. ORDINARII.

Imprimatur

NICOLAUS STEPHANUS PAC,
Episcopus Vilnensis.



ILLVSTRISSIMO, EXCELLEN-
TISSIMO, REVERENDISSIMO DOMINO
D. ANDREÆ
SANTACRUCIO,
Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ
ARCHIEPISCOPO SELEUCIENSI,
SA[illegible]SIMI DOMINI NOSTRI,
DO[illegible]NI INNOCENTII.
Divinâ Providentiâ PAPÆ XII.
PRÆLATO DOMESTICO
ET ASSISTENTI,
Ejusdemque Sacræ Sedis
AD SERENISSIMUM IOANNEM III
POLONIÆ REGEM POTENTISSIMUM
TOTUMQUE REGNUM POLONIÆ,
ET M. D. LITHVANIÆ
CUM FACULTATIBꝰ LEGATI A LATERE,
NUNTIO APOSTOLICO,
Dno. Dno. Patrono colendissimo.



Unquam aliquid dignum, Tuis sacris manibus, me potuisse afferre

ferre præsumpsi. ideoq; licet tot Opuscula in lucem protulerim, ac Tuam insignem ergà me Clementiam, semper expertus fuerim, nunquam ausus sum aliquod Tibi offerre. Sed vbi cum Tuis imperiis & impensis volueris hæc Soliloquia recudi, quæ injuriâ hostium Ecclesiæ interierant, inde incepi animosior esse. Fecisti quod SANTACRVCII facere soliti, quorum ut gesta quis declaret Cicero, non extat. Omnia merentur admirationem. Seculi res, in unam domum DEVS cumulavit, imo intrà unum Te hominem. Quidquid mortalitas capere potuit,

Orbi

Orbi exhibuistis. Sanctitas vobis magis in usu est, quam alijs in notitia. Plura quam sol videt, gloriâ factorum implevistis. Voluit natura terminũ esse terris, sed non vestris virtutibus, sunt supra sydera & Solem. Non annos sed pietates, & pietatum praemia honores, numeratis. Nihil gloriae Vestrae defuit. Personarum familiae decora non numero, quia in immensum procederet oratio, & toti mundo sunt clarissima. Post nullum Majorũ Tuorum nemo successit melior: omnes quasi ex toto Orbe electi. Singuli habuerunt per quae felices effecti, sed Tu omnia in Te colle-

collecta tenes. Tuâ sapientiâ tanquã Atlante res communis nititur. O solem beatissimum! qui hoc videt! Ibunt hæc in sæcula & Posteris exẽpla dabunt. Fides in Ecclesiâ, amor in justitiam, prudẽtia in negotijs, liberalitas in egenos, zelus pro cultu Divino, virtutes omnes planè Præsuleæ & Infulatæ perennabunt in perpetuas æternitates. Recipe hoc Opusculum, & Tuâ Sanctitate commendabis, & ego non desinam confiteri gratiam me Tibi referre non posse.

ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ CELSITUDINI VESTRÆ,

Cliens humillimus
ADALBERTUS TYLKOWSKI SOC. IESU



SOLILOQUIUM I.

QVOD FERVENTER DEO SERVIENDVM.

PUNCTUM I.



Tiam utcunq; calentes in suo obsequio DEUS non tolerat, & ferè magis quàm malos aversatur & abijcit quasi vomitum abominabilem. *Quia tepidus es,* inquit: *incipiam te evomere ex ore meo.* Neq; solùm reijciet hos tepidos, verùm & beneficia quæ illis daturus erat, tollit, & in manus pessimorum proijcit, ita terras Christianorum Turcis tradidit, & & ante omnia terram Sanctam. Et certè vulnus ab eo, quem sperabamus amicum, magis dolet, hoc enim est cum Iuda oscu-

da osculô Filium hominis tradere. De hoc eamqueritur. *Si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;. Tu verò &c.* tu tot beneficiis præventus, tu intra viscera mea receptus, tu, qui renuntiasti Sathanæ, tu, qui professus es te semper fore mecum. 2. Arbori, quia fructũ non tulit, Christus maledixit; quid, si baccas aliquas, pro bono fructu pestiferas tulisset. 3. Certè vocati ad nuptias non affecerũt vocantem contumeliis, non in ejus prædia involárunt, sed quia recusárunt ire, dictum est. *Nemo illorum gustabit cœnam meam.* Quid si bis illi vel ter fuissent vocati, & semper se excusâssent ut tu? 4. Epulo non rapuit aliena, non cædes patravit, non alienũ invasit thorũ, & tantùm quia splendidè epulabatur quotidiè, damnatus est. Ananias & Saphira semel mentiti Deo, & interierunt, tu toties. 5. Virgines ob unam cõmissam negligentiam fatuæ appellatæ; à domo sponsi mediâ nocte rejectæ sunt 6. Pharisæus alioqui plenus bonis operibûs, ob unam glori-

gloriam, à Deo repudiatus. 7. Adolescens, à Christo semel tantùm vocatus, quia propter hoc solúm ut parentem sepeliret, obedire distulit, rejectus est à Deo. 8. Cave ne fortè de te queratur. *Quid ampliùs debui facere vineæ meæ.* 9. Decretum stetit. *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Certè illi exteriùs ita se gesserunt, ut habiti fuerint pro Sanctis. In te verò plurimi scandalum patiuntur. 10. Per quod, si alicui causa vel occasio peccati fuisti, quantò meliùs fuisset, si tibi mola asinaria ad collum fuisset appensa, & cum illa in profundum maris projectus fuisses. Meliùs ut natus non fuisses, quod Iudæ dictum, qui Iudæis fecit commoditatem sceleris exsequendi.

PUNCTUM II.

QUid impedit, ne fias melior? Deest *exemplum*? Nonne exéplar in mon-

te monstratur. Christus præcessit, quàm turpe deserere ducem. 2. *Ætas*, at sufficit ut diabolo servias, cujus gravius jugũ quàm Christi, & qui est latro, nihil scit, nisi perdere & mactare. 3. *Virium debilitas*. Cogita SS. Senes decrepitos, tot pueros &c. An non omnes dicent in judicio, te in hoc impudenter mentiri. 4. *Socij abducunt?* Si socij tui sunt Christus, sequaris illos, si Christus est Christus, illum sequere. Per calcatum perge, si impedit, Patrem. 5. *Inclinationes malæ, habitus*. Cur illos acquisivisti? ergo propera esse melior ne plures acquiras. 6. *Ridebor à mundo*. Qui amicus vult esse mundi, inimicus Dei constituitur, qui plùs amat non socios solùm, non mundum, sed parentes ipsos, quàm Christum, non est Christo dignus. 7. *Non est qui doceat*. Paucas sanè in mente illustrationes habuisti, pauca pia audivisti! nec Antonius, nec Hilarion, nec fortè maxima pars Eremitarum aut Monachorum tantum audiverunt. 8. *Postea convertar*. Imple scilicet

prius

priùs menſuram peccatorum. Unde Deus tenetur te exſpectare? 9. An modò non eſt dignus, ut illi ſervias? *Nonne ſatis abuſus es Dei patientiâ, peccâſti, & tolerat te Deus.* Non poteratne te poſt primũ peccatum mortale ad infernum mittere? Parumne peccâſti? 10. *Curis diſtrahor.* Curas nummum, an melior eſt, quàm anima tua? Curas veſtem, & non curas ut in æternum non ardeas? Sed veniet tempus iuſtitiæ, poſtquam conſumpſeris miſericordiam, repetet propter te profuſũ ſanguinem Chriſtus, & tot ſumptus factos, urgebunt Angeli, quia 99. illis relictis, te quæſierit. Elige hodie aut in æternum gaudere, & propone quid agendũ, ſed ita, ut non ampliùs dum flores promittis, Chriſto ſpinas porrigas. 11. *Non habeo eas gratias, ut poſſim eſſe tam ſanctus.* Cave ne hauſtum ex latere ſangvinem in oculos tibi proiiciat; & dicat ſe, ne ultimam quidem guttam negaviſſe. Bonitas nimirum te Dei corrumpit, incipe agere & experieris te habere gratias.

12. *Grave est?* Christus ergo mentitur, qui dicit: *Iugum meum svave?* An leviùs erit æternum cruciari? elige quod placet.

PUNCTUM III.

1. CAve, ne sicut sapientes antiquos, qui *cùm agnovissent Deum, non ut Deum glorificaverunt*, tradat te in reprobum sensum: ut juxta Ps. *eas in adinventionibus tuis*, nempe: hoc non est tantum peccatū ac spirituales exaggerant, hoc est veniale, potest in confessione sileri, hoc ad terrorem tantùm dicitur, hoc non totum. Verùm tuæ erunt istæ inventiones, ut nec peccata agnoscas, neque æstimes. Horror spiritualium, gustus temporalium deindè succedet, & cordis durities ad bonum, & mentis cæcitas ad verum.

2. *Cave*, ne de te dicatur, *Qui sordidus est, sordescat adhuc.* Ne dicatur: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Vocavi, & renuisti, ridebo in interitu tuo.*

3. *Cave*, ne tuam damnationē urgeant

in iudicio Turcæ & Scythæ, qui si tales habuissent occasiones ad virtutē, meliùs DEO servijssent.

4. *Cave*, ne in die illa levius sit Sodomæ & Gomorrhæ, quia non indultum est illi, nec remissum toties.

5. *Cave*, ne sicut zizania reserveris ad messem, & ad maiorem ignem.

6. *Cave*, ne sicuti illi nequam servo, qui se non correxit post debitum remissum, suffocabat conservum suum, & præterita peccata, quæ fuerunt remissa, in memoriam, tanquam aliquid tuam damnationem aggravans, revocentur.

7. *Cave*, ne de te verificetur quod ait S. Paulus: *Terra crebro venientem super se bibens imbrem, & non proferens fructum, maledicto obnoxia.*

8. *Cave*, ne Christus conqueratur de te qui dicis illum te diligere, *his plagis plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.*

9. *Cave*, ne Sanctos suos prohibeat, ne pro te orēt, sicut olim prohibuit Moysen. *Noli orare pro populo isto.* Et, *Etiamsi*

Iacob, Daniel & Iob oraverint pro populo isto non exaudiam.

10 *Cave*, ne si petas, *parce*; aures, ut in cuiusdam funere obturet Crucifixus, dicatq; *Non audivit, non audiam.* Quam diu Deum ludes? quamdiu dices? *Exspecta, re exspecta, cras & cras.* Nisi forte reservas tibi illam diem quãdo audies. *Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à facie ventura iræ.* Quando confugies, cùm iam ampliùs non admittêris, & frustra plorabis, *Quid faciam tibi, ô custos hominũ, posuisti me contrariũ tibi, & arbitraris me inimicum.* Sed *iuravit Angelus per viventem in secula, quia tempus non erit ampliùs.*

11. *Cave*, ne ut impio Regi Medorum Balthasari, scribatur tibi: *Mane, Thecel, Phares*, & morte subita & improvisá è vivis abripiaris, & hoc quidẽ illi accidit quia vasis sacris in profano cõvivio usus: tu linguâ tuâ, quã tactu SS Sacramẽti cõsecrasti, non solũ ad profana, sed ad cloacas carnaliũ miscẽdas: sed ut in ea veluti altari diabolo adoleres animas quo-

quoties aliis occasionem vel scandalum dedisti: sed ut eâ veluti lancea Christi latus foderes, quoties charitatē fœdisti: tu oculis, tu manibus, quas Christo in Baptismo consecrasti, imò totus in tēplū consecratus & unctus es, & in hoc templo Dei, tot idolis sacrificas. Omnia Christus sustinuit, solū quando templū Dei profanabatur, hoc pati non potuit, fecit flagellum evertit mensas nummulariorum, increpuit: *fecistis speluncam latronum*, & tamen ibi solùm spectantia ad sacrificium vendebantur.

12. *Cave*, ne & hæc sanitas, & hæc scientia, & hæc adiumenta, à te auferantur, & alteri dentur. *Nisi te emēdaveris movebo candelabrū tuū. Et Filii regni eiicientur foras, & dabitur regnum facienti fructus eius. Habēti dabitur, & ei qui non habet, & hoc quod habet, tolletur ab eo.* Ut nec consiliū tibi suppetat quo te iuves, nec tempus, nec voluntas, nec adiutor, nec locus, sed ligatis manibus & pedibus ut nihil possis boni agere aut progredi,

projiciaris in tenebras exteriores.

13. Cave, ne contra te DEus incipiat queri. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem forsan ab eo.* Sed tu homo pacis meæ, qui mecum dulces simul capiebas cibos, ad Sacraméta accedebas, Christianus, Sodalis eras, & addit. *Noluit benedictionem, elongabitur ab eo, & habebit maledictionem, quã sibi elegit.* Una de Isai. *Propterea faciam.* Ait DEus, *ut ambæ audientium aures tinniant. Ponã in desertum & spinam, & buxũ, & cedrũ &c.* Quæ arbores immortales videbantur. *Et post hoc, nec ego Deus vester, nec vos populus meus eritis*, in æternum.

14. Audi Christum fortè contra te apud Patrem conquerentem Ps. 68. *Quem tu sine causa percussisti.* (nam Ier. dicit Pater: *propter scelus populi mei, percussi eum*; id est crucifigi permisi:) *persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorũ addiderunt*, satis quippe passus vulnera, tu insuper illudis ei, tu deludis. Quocirca audi quomodo orat Christus apud Deũ pro talibus.

bus, *Fiat mensa eorū corā ipsis in laqueum*, id est, accedant ad Cōmunionē, sed ut magis illaqueatur, *& in retributiones, & in scandalū, obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorū semper incurva*. ut ad amorē terrenorū contrahantur. *Effunde super eos iram & furor iræ tuæ cōprehendat eos. Fiat habitatio eorū deserta & in tabernaculis eorū non sit qui inhabitet*, id est nec Spiritus S. nec dona illius, nec specialis providentia Dei, sit circa illos, sed ut Isai. 13. *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ululæ in ædibus eius, & Sirenes in delubris voluptatis*. Et peius est quod ibid. in Psal. addit. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam, deleātur de libro viventium, & cum iustis non scribātur*.

15. *Lætaris quidē, & ais: quid mihi mali accidit? & exultas in rebus pessimis*. Sed Paulus ait, nescis ô homo, *quia patiētia Dei exspectat te ad pœnitentiā, tu autem secun-*

dum impœnitens cor tuũ thesaurizas tibi in di e iræ. De talibus Eccl. *& subito ira Dei descendit super eos.* De talibus Psal. 51, *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate &c. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuã de terra viventium. Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent ecce homo. &c.* Imò sicut olim gladiatores apud Romanos, cùm unus stravit alium, ut magis ipsi insultaret, eo adhuc vivente manus suas eius sangvine lavabat, ita Sancti iuxta Ps. *Cùm viderit vindictam iustus, lavabit manus suas in sangvine peccatoris,* nimirũ exprobrando, poteramus nos, qui plura impedimenta ad bonũ habuimus, quare non tu? poteramus &c.

16. Exspectas senectutẽ & differs emẽdationẽ in alia tẽpora, ut fæcem ætatis tuæ Deo propines, sed habet Deus habet calicem, quo te potabit fæcibus. Ps. 74. *Calix in manu Domini vini meri, plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen*

men fæx eius non est exinanita, bibent ex hoc omnes peccatores terræ.

17. Quis scit, an non iam pœnitet DEUM quod te creaverit? quia enim Saul semel Deo fuit inobediẽs, ait Deus: *Pœnitet me quòd Saul Regẽ fecerim, quia dereliquit me, & verba mea opere nõ implevit.* 1. Reg. 15. An nõ dicit: *Pœnitet me*, quòd hũc nobilẽ, Christianũ, Sodalẽ &c. fecerim. Quis scit? an non iã aliquẽ Davidem inter pastores quærat, quem tibi te deiecto, & tibi omnibus etiam bonis terrenis adẽptis substituat. Quis scit? an non iã imperet DEUS, ut fiat in te spiritus malus, qui te regat, ut Saulẽ. Quis scit? an non Patrono tuo DEUS respondeat pro te oranti, sicut Samueli oranti pro Saule: *Vsquequò tu luges Saul, cùm ego eum proiecerim à me?* Quis scit? an non decreverit, ut morte infami pereas in peccatis velut Saul? Quis scit? an non ut contra Cyrũ DEUS iubeat in cœlo scribi edictũ: *Assimilavi te, & non cognovisti me.* Oseæ & dicit. *Si ego Pater sum,*

ubi est amor meus, si Dominus, ubi est timor meus? Quis scit? an nō iubeat sicut Ezechielē fodere parietē templi Ierosolymitani, & ecce ibi Adonidē filium veneris plorabānt fœminæ, & ecce seniores terga obverterūt altari, & ecce ibi serpētū, dæmonū, &c. idola: Si cor tuū inspiceret cum Sāctis, an non simile quid inveniret? ideoq; illud tēplū dissipari permisit, ut nec lapis supra lapidē remanserit. Et certè si invitat Sāctos ad videndum cor tuū, maximè illos qui orant pro te tuos Patronos, ubi illis cor tuum detegitur, ubi has abominationes vident, quomodo non cōfundūtur, quòd pro te oraverint? quomodo non potiùs cōtra te vindictam urgent. Sit ergo dies hodierna finis turpitudinis tuæ, hodie incipe. Fortasse adhuc miserebitur. Ps. 2. *Apprehendite disciplinā, ne quādo irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Respicis adhuc retrò, sed vide, ne ut Loth uxor, Gē. 16. in statuā insensibilē moreris. Vide ne dicatur. Isai. 1. *Cognovit*
bos

bos possessorẽ suũ & asinus præsepe Domini sui, Israel autẽ me non cognovit. 2. Mach. 1. Sacerdotes ignem posuerũt de altari &c. sed quando quæsitus ignis, nõ invenerũt ignem sed aquã crassam: Hic fortè & in te fructus ignis Divini.

18. Fallis Deũ desiderantem! *volũtas Dei sanctificatio nostra.* S. Cath. Sẽ. Dial. 137. Deus Pr. dixit. *Nihil aliud opto ab hominibus atq; requiro, nisi sanctificationem ipsorum.* Fallis Christum qui ideò incarnatus! S. T. Opusc. 57. *Deus factus est homo, ut homo fieret Deus.*

19. Omnia currunt ad perfectionem: arbor quotidie crescit, agricola singulis annis curat esse ditior. Studiosus doctior: Solus tu invertis naturam rerum. Bern. serm. de alt. & bas. cordis. *Magna confusio magna valdè, quòd ardẽtius illi perniciosa desiderent, quàm nos utilia.* Idcirco ait Laur. Iustin. lib. de Obed. c. 21. *Sæculares surgent in iudicio cum servis Dei, ex sua cordis ambitione, redargutione illos dignos ostendẽt tanquã sollicitudine & affectione inferiores se,* 20.

20. Quot sunt nunc qui diabolo diligentiùs serviunt. *Nulla spes* (ait Chrisost. Ser. in Sacr.) *veniæ nobis reliqua est, etsi vel æquale studiũ* (diabolo) *conferretur:* Cum autem etiam longè superet, quis nobis defēsionis locus relinquetur? 1. Reg. 10. Hæc dicit Dominus: *Ego eduxi vos de Ægypto, & erui vos de manu regũ, qui affligebant vos* (peccata remisit, ex servitute dæmonis eduxit) *vos autē proiecistis me.* Chrysost. hom. 48. ad pop. *Vnum habebat Filium, nec huic pepercit, nos autē multa ei præponimus, & Sathanæ præcepta, Christi legibus præferimus, & nostram negligimus salutem, ut nequitiæ præponamus opera, ei, qui pro nobis omnia passus est.* Quali venia sunt hæc digna? nõ meritò foret par gehenna etiã si dupla foret ac tripla milliesq; tãta. Non vides Ierem. 2. *Quã vilis facta es* (anima mea) *iterans vias* (præsentes.) Sed decretũ Dei sonat Ier. 18. *Si gens aliqua fecerit malũ in oculis meis: ut non audiat vocē meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum,*

ut faterē ei. Es educatus in terra sancta, in Ecclesia Dei Isai. 26. *In terra Sanctorū iniqua gessit, non videbit gloriā Dei.* Iniqua, id est, non æquè respōdit auxilijs: Ideò permittetur labi in peccata gravia, sicut S. Teressia fuisset permissa labi, si non respondisset.

21. Sæpè enim salutem alligat rebus minimis, ut, si hunc audieris cōcionatorem cōverteris. Sæpe uni facto, si in eo te viceris, ut de S. Xaverio qui pus ebibit, & ob hoc fortè Sanctitaté obtinuit, unde tu scis quod hoc nō sit tale factū? Sæpe alligat ad tēpus, si tanto & tanto te viceris ampliùs difficultatē non sensurus es. quis scit; an non sit hoc? Sæpe quod maximis precibus non cōcessit, uni minimo actui donat, unde scis quod nō iste sit? Quare tamē ita deses torpes.

22. Hoccine est tēpus, quod Deus cū toto cœlo intueatur Si sepulchrū eius solū profanè haberes, in eo luderes aleis, quomodo id pateretur. At in te non mortuus sed vivus, nec semel per Communionē Christus recubuit!

23. Non legimus etsi perinde habuissent gravia peccata Gētiles, ita ob ea punitos, ac Iudæos, hiatu terræ, serpētibus ignitis, captivitate, pestibus, fame &c. Quia habuerūt Prophetas qui monebant, habuerunt instinctus. Vide & tu, ne idem de te fiat.

24. Si perfectioni non studes & subsistis etiā præteritorū, si quæ fecisti gravē iacturā pateris. Cypr. de bono Pat. *Pereunt præterita dum quæ cœperant desinunt esse perfecta: sicut scriptum est. Ezech. 33. Iustitia iusti non liberabit eum in quacunq; die exerraverit. Et Apoc. 3. Tene quod habes ne alius accipiat coronā tuā.* Iam quod Bern. cit. 4. Epist. *Si mūdo frater mi abrenuntiaveris, teque monasterio incluseris ut vivas prout vivis secundū geniū tuū & absq; ulla cura, non Monachū Benedictinum, at Epicuri discipulū & consequenter inferni gehēnæ reū te vocabimus.* Mi DEUS, talis erit qui solùm perfectior non vult esse, sed solùm ut vivat prout vivit, etsi bene vivat. Quid si innocentiam, quam

puer

puer intulit, simplicitatem &c. perdat: interroga ardentes æternâ flammâ, an non interdum benè vivere cœperunt, & non sæpè meliùs, quàm tu? Ita, ita, & tamen quia non ferventiùs, perierunt.

25. Si omnis bona inspiratio, cooperatio, instinctus, sangvine & morte Filii Dei cōparandus fuit, vide ne ijs abutens reus efficiaris sanguinis ejus, profectò ei multùm dolere potest, si id abjicias quod ille tam laboriosè pro te comparavit.

SOLILOQUIUM SECUNDUM.

An sim Dei servus?

PUNCTUM I.

AUg. docet. *Tales convenit esse Dei cultores & servos, ut quisquis viderit eos stupeat & admiretur, & dicat: isti homines sunt Dei, quorum talis conversatio est.* 2. At verò Paulus avaritiam, idolorum servitutem vocat, unde si adhuc aliquis in te affectus ad aurū, res mundi, adhuc appetis habere bona, prædia, &c. non solùm Dei

Dei servus non es, sed idololatra insuper es. 3. Servus si non facit Domini voluntatem, saltem id cōtingit, ubi Dominus non videt, tu in conspectu Dei, ejus præcepta violas, ejus instinctus contemnis, consilia respuis. 4. Servus non patitur meliore veste indui, quàm Dominus: Et tu respectu Christi! 5. Servus sequitur Dominum. Christus clamat, *qui vult me sequi, abneget seipsum, tollat crucem*, quomodo hoc præstas? 6. Servus bona Domini conservat & custodit, tu contra, talenta tibi cōmissa, aliud in lutum impudicitiæ, aliud ebrietatis &c. 7. Servus contentus mensâ Domini, gaudet, si eodē cibo vescatur. *Christi cibus facere voluntatem Dei*, tu facis tuam cum despectu tui Domini, ut queri debeat: *me dereliquerūt fontem aquarum viventium, & foderunt sibi cisternas*. 8. Servus bonus non exspectat imperium, dummodo sciat voluntatem Domini; dummodo sciat placitum: scis gratum fore Deo, si hanc contumeliā tolleres, hoc quo maximè oblectaris, alie-

nes

nes &c. & quidē servus cum voluptate, alacritate facit: tibi Deus dicere potest, *si ego Dominus, ubi timor meus?* 9. In præsentia Domini modestè se gerit servus, maximè si cum Domino loquatur, quid tu in tēplo? 10. Servus pro Domino pugnat, vitā periculo objicit, tu nec verbū pro Deo vis pati, aut dicere. 11. Si servo Dominus propinet, honori sibi ducit, si tibi Christus suum calicem porrigat, quæ querelæ, ne dicam blasphemiæ!

PUNCTUM II.

SEd ais: isti sunt servi perfecti, ego sum qualiscunq;. 1. Es malus, si illi boni. Sed neq; hoc! 2. Etiam pessimus servus saltem metu, sciente Domino, vitæ illius non insidiatur, ut tu vitæ Christi 3. Nullus in cōspectu Domini adulteratur, furatur, &c. tu facis spectante Deo, & quod plus est cum sponsa illius, quādo aliquos inducis ad peccatū. 4. Quis pessimus etiam servus, offenso Domino toties, nec sciens se veniam consecutum, auderet

deret coram illo ridens, hilaris, ludens, comparere ut tu. 5. Saltem vestem Domini, seu ut vocant, liberiam defert, Christi vestis charitas, *in hoc cognoscent vos meos esse discipulos, si dilexeritis invicem.* At tua charitas talis, si ea erga te Deus uteretur, millies periisses. 6. Si aliquid patiatur, si comprehendatur, Dominum invocat, ejus se servum protestatur; dæmon tibi vincula per tentationem injicit invocasne auxilium Dei? protestarisne te servum esse Dei? 7. Saltem ubi Dominus dilargitur, comparet? Maximè donat Deus manè, cum donis exspectat, *Cincinni mei madidi sunt guttis noctium. Matutina oratio ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua.* 8. Saltem metu Domini vitat aliqua, tibi infernus paratur. 9. Si sit inter eos, quos scit sua dicta Domino delaturos, nihil indignum de Domino loquitur: Ecce Angelus tuo lateri adstat, ecce vult vindicare. 10. Nunquam tam bonum Dominum odisset.

PUN-

PUNCTUM III.

O Mi amor! quid ago, tanti es mihi! Hostis veriùs hostis sum dicendus. Imò singula membra mea sunt instrumẽta, quibus te excarnifico, quia membra mea exhibui servire iniquitati. Lingva mea gladius acutus, quo fratres tuos, proximos meos confodi: Veloces pedes mei ad effundendum sanguinem, id est ad impudicitiam tanta propensio, oculi mei veriùs scopuli &c. Mi Amor, si tamen hoc verè dico, & non potiùs dicere deberem, meum odium, sed tamen mi Amor te appello, non à me, sed à te sumpto nomine. Ergo ampliùs in te manus extendam? ergo à crucifixoribus sumpto malleo, pedes & manus cruci affigam? an non satis illi affixerunt? Ergo meis impuritatibus in medio fori, palam, flagellabo, meâ superbiâ spinis induam, meâ avaritiâ denudabo, meâ acediâ sudorem in horto sangvineum exprimam; eheu! eheu feci! toties feci!

SOLI-

SOLILOQVIUM TERTIUM.

Odium Dei contra peccatum,

PUNCTUM I.

NOs quidem quidquid dicatur, ad omnia surdi sumus, exspectamus ut digitos in aures nostras sicut illi surdo & muto Deus inserat, ut manũ suã applicet, tum audire incipiemus, cùm eam senserimus. 1. Sed *odio Deo est impius, & impietas eius:* Et quidē tali. Filium suũ, Apostolos charissimos, obtulit in mortes, ut peccatum tollat seu ut homines cõvertantur. Iam verò si videres quépiam ubi hostis solùm sui imaginem deprehenderit, eam cum summo furore dilacerare, torquere, flagellis cedere, & quidquid potest tormentorum adhibere, quo putas animo in ipsum hostem erit? Sic est factum; [a]Christus tantùm imago peccatoris fuit, & ecce quomodo à Deo excruciatus! *Si hoc in viridi, quid fiet in arido!* Quid putas si filius canissimus ideò tantum quia vestem hostilem in-

lem induit à Patre in crucem ageretur, quid fieret de ipso hostè; Hoc factum cum Christo. Nec miror quod in judicio clamabunt Peccatores ut montes cadant super illos, colles ut operiant eos à facie Agni. 3. Quid putas de eo affectu; Quia filius dilectissimus solum aliquam similitudinem habuit in lineamentis cum hoste, & à Patre derelictus, in crucem actus: Id factum de Christo, quia solum fuit in similitudinem peccati. Imó in horto nec præ horrore faciem ad Patrem levare potuit sed in terram eam recondidit. 4. Si ita oderit hostem ut nec nominare eum velit, hoc de peccatoribus Deus. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. 5. Si eo ipso quòd hostis aliquam domum etiam si propriam suam ingressus fuerit, eam succendat, & quidquid ab illo attactum etiamsi nobilissimum sit destruat, exurat. Ita fit cum peccatore, terram quæ illum portavit, Deus exuret, obscurabitur Luna, Sol extingvetur, stellæ cadent,
 de cœlo

de cœlo, quia impio luxerunt. Sanctus Bonaventura de diæta salutis. Deus dissipavit terram propriam quia peccatū intraverat in eam. 6. Si nullum exoratorem pro eo admittat, nec matrem nec fratres nec ullos carissimos. Psal. *Pro hoc*, id est pro iniquitate, *orabit omnis Sanctus, verum tamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Ieremias 15. 11. *Et dicit Dominus ad me* (aut Ieremias) *Si steterit Moyses & Samuel non est anima mea ad populum istum, ejice illos à facie, qui ad gladium, ad gladium; Quid ad famem ad famem*, imò Bonaventura de diæta salutis. Cap. 1. *Nihil potest cogitari quin Deus fecerit propter odium peccati.* 7. Si totus convertatur in odium, anima & curpus ejus nihil sit nisi odium; Deus per essentiam odit peccatum, ista ejus natura est odium. 8. Si Deus Iudæis in foro humano præscripsit tam rigidam legem, oculus pro oculo, dens pro dente, qui ad gladium &c. quid in foro suo divino; 9. Si eli-
gat

gat quiſpiam mori etiam atrociſſimâ morte, dum hoſtis ejus ſimul pereat, Chriſtus elegit mori imò ſe ſatis bene mori credidit, dum peccatum ſimul moreretur. Et quod gravius eſt quàm Chriſtum mori, Deus ipſe voluit ob peccatum miſer, triſtis afflictus ſeu non Deus videri. Gen. 6. *Tactus dolore cordis intrinſecus.* Epheſ. 4 *Peccata Spiritum S. contriſtant:* S. Bonav. de perf. vitæ c. 16. *Dei filius factus servus ſervorum diaboli propter peccata.* 10. *Si* quis ita oderit aliquem ut licet eum poſſit tollere impenſis unius aſſis, milliones tamen & totam ſuam ſubſtantiam libentiſſimè impendat ut eum tollat: Poterat certè unico ictu quem ſuſtinuit Chriſtus tollere peccatum, elegit tamen omne ſupplicium maximum, & in eo nec ſe defleri ſivit, quod libentiſſimè ferat dummodò hoſtis ſuus tollatur. Luc. 23. *Filiæ Hieruſalē nolite flere ſuper me: Sed ſuper filios veſtros nunc peccantes.*

PUNCTUM II.

GEmebat Christus qui sumpserat habitum peccatoris. Psal. 86. *In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me, circumdederunt me sicut aqua tota die circumdederunt me simul.* 2. Et in persona David. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam â facie iræ & indignationis tuæ.* 3. Et in Iobi. *Scribis contra me amaritudines & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Cur faciem tuam abscendis & arbitraris me inimicum;* Et an fabulæ hæc sunt; Non obruit Deus diluvio orbem; Non Sodomam igne exussit; Non Dathan & Abiron vivos in infernum dejecit; Non Christum tam graviter percussit; Non ipse Christus imaginatione peccati positus erat in agonia & sâguinem sudabat,

PUNCTUM III.

NEc ut ira oderit opus est ut multa in me viderit peccata, ecce Ange-

lum ob unum odit, & ità odit, ut in æternum ab odio non sit cessaturus: Nec illorum malis quæ perpetiuntur sit movendus, imò in illorum interitu rideat. Sunt plura quàm sex millia annorum ex quo Adam peccavit Deus odium illius peccati punit in posteris, punit in infantibus aliàs innocuis. 2. Si omnes sanctitates, virtutes, unus homo haberet, omnes homines ad fidem converteret, & ad amorem Dei infinitum accenderet, si mille mundos crearet (Sixtus 39. tom. 4. Epistolarum de malis doctoribus. *Neq; Deo chariores sumus ut nobis impune cedere existimemus, si aliqua eorum similia commiserimus*) in illis sanctissimos sicut est B. Virgo homines, ut Deum perpetuò colerent, amarent; & ipsum Christum in quo Deus sibi summè complacet, crearet? si Deo infinita bona extrinseca faceret, propter Deum infinitam eleemosynam daret; unum tantùm peccatum haberet; Deus illum ac alios impios in infernum in ignem extremum

detruderet. 3. Et tamen augemus & tã audacter augemus peccata! eheu! videbunt hoc Sancti & timebunt, & ridebunt super te. 4 *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, nè quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Væ mihi Deus meus. *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Cor meum conturbatum est in me & formido mortis cecidit super me.* 5. Parce adhuc semel Domine. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, ut quid tam ambitiosè nos amâsti, paratus es rursus pro me mori. Omnes titulos amoris excogitâsti, nec falsó Patrem, Fratrem, Sponsam, Amicum me vocâsti, Deum etiam appellâsti, hæreditatem divisisti: tam sollicitè amorem mei quæsisti, *ego sto foris & Pulso.* Formis amabilibus Agni, columbi, hinnuli cervorum appellari voluisti: *Nunquid infernus confitebitur tibi, nunquid mortuus laudabit te, nunquid expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam,* 6. Ita avertatur peccata Deus ut si videat illa,

illa, plané humano modo loqvendo in deliquium cadat. Gen. 6. propter peccata tactus dolore cordis intrinsecus, ita ut quasi cor illi scindatur præ indignatione, & odio: Hinc assumptâ humanâ naturâ in horto factus in agonia, & sangvinem sudavit. Tristis est anima mea usq; ad mortē, conspectis peccatis imitatus in hoc odio Deum. David, quale habuit odium peccatorum. Psal. 100. *Superbo oculo, & insatiabili corde* (id est cum avaro) *cum hoc non edebam. Non habitabit in medio domûs meæ qui facit superbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.* (Id est nec poteram pati ut in domo mea pedem ponerent, nec ut mecum ad mensam considerent, nec quidem intueri illos) sequitur amplius. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Et tamen in terris existens, nec ita bonitatem Dei; nec excellentiam, néc peccati malitiam penetrabat, atq;

nunc in cœlis: Quo ergo putas furore adversus peccata fertur: Certè nunc magis vovet. Quod Ps. 91 *Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi, tu autem Altissimus in æternum Domine, Quoniam ecce inimici tui peribunt, & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem* (hanc lætitiam & gaudium suum reputat) & *exaltabitur sicut unicornis cornu meum.* Sanctus Paulus qui alias optat esse anathema pro fratribus devovet. *Qui non amat Dominum Iesum anathema sit.* Quid qui odit; Ut omnis peccator. Quia magis ea horremus quæ magis nostræ naturæ adversa. Christus conspui occidi, lacerari &c: potest, peccatum etiam secundum humanitatem vel levissimum admittere non potest: Ideoq; magis horret & odit in me vel minimum quàm suam mortem, & quidquid crudelitatis in eum exercitum si sine peccato fieret, imó si posset Deus destrui solo conspecto peccato an-

cato annihilaretur: Quia hoc est tam malum ut pleriq; Theologi doceant illud mereri omnem pœnam possibilem, & propè esse tam malúm atque est Deus bonus. Sub aliqua ratione.

SOLILOQVIUM IV.

Quis ego sum;

PUNCTUM I.

CHristianus; quid! malus. Glossa in Matth: *detestabilior est qui sub nomine Fidelis agit opera infidelium, quàm apertè paganus.* Cyprianus de habitu virginum *qui esse cupimus Christiani debemus quod Christus fecit, & docuit imitari* &c: *tum respondet ad fidem nominis, sectator veritatis, & credenti præmium datur si quod creditur geratur.* Aug: docet de vita Christiani. *Christi non famulus sed subsannator est & derisor qui eius se servum dicit cui servire dissimulat.* Non quereretur Christus. Ier: 10: *sine filiis factus sum, perdidi populum meum* (id est gentes quas dedit illi Pater in hæreditatem seu in

Christianus) propter peccata eorum; *Christianum esse est specialis sanctitatis titulus* Soli enim Reges unguntur oleo; ideoque dicuntur, *gens sancta, regale sacerdotium.* 2. Christianus debet ea facere quæ Christus fecit, jussit docuit, præcepit. Esnè jam effectus sicut parvulus in contemptu ferendo in simplicitate, in contemptu auri & pomparum mundi; 4 *Discite â me quia mitis sum & humilis corde*, dixit Christus quæ tua mansvetudo? Quæ in te humilitas, unum verbum ferre non potes. 5 Idem docuit *si quis acceperit tunicam præbe ei & pallium; si quis percusserit dextram, præbe ei & sinistram. Si oculus tuus scandalisat te erue eum &c:* 6. *Beati pacifici, beati pauperes, qui persecutionem patiuntur &c: maledictus qui facit opus Dei neglienter.* Omne mendacium ex diabolo est. 7. Si in baptismo ejurâsti diabolum & pompam ejus quare vanitates ejus appetis! Quare non contentus quo corpus tegatur, novas formas habitûs plerumq; ludicras

dicras excogitas, avidè arripis; an nescis quid vestes sunt, pompa diaboli! Postquam enim innocenti nuditate spoliasset Adamũ, vestes, ut effectus peccati inductæ, in quibus deinde varias formas & vanitates suggerendo ingenium exercet. Divitiæ sunt pompa diaboli, ideoque aurum colore ignem infernum refert, versùs infernum intra viscera terræ retrusum. 8. Cæsareus est qui pro Cæsare pugnat, tu potiùs contra Christum & Ecclesiam ejus. 9. Qui est regius dat tributa Regi & subjectionem. Tu quid Christo! 10. Ex vestitu cognoscitur cujus quis famulus, Tu mundine, an carnis potius! Christianum esse, juxta S. Paulum, est indui Christum, an Christus in templo garriebat, Oculos impudicè circumferebat, Larvis induebatur, An non potius lavit pedes discipulis, super turbam misertus. Vide an nomine tenus sis! 12. *Omnis mittens manum ad aratrum & retro respiciens non est aptus regno Dei*, id est, non est vere Christianus.

nus. At tu quoties pia proposita propter homines reliquisti! Quid dicent de me, ero fabula, omnium digitis ostendent, respicis retró, id est, malos quos statuisti deserere. 13. *Qui non tollit crucem suam & non sequitur me non est meus discipulus*: Crucem in verbis, contumeliis, defectu rerum, morbis. Quis sequitur ad Herodem ut illudatur, ad Caipham ut conspuatur, ad Pilatum ut Barabbæ postponatur! 14. *Diligite inimicos facite amicos de mammona iniquitatis.* Ah mera sunt apud te verba, & non plus te movent quàm si Mahometh dixisset. 15. Quoties mortaliter peccâsti toties â Deo recisus es. vel potius ad dæmonis castra transfugisti, & si talis es, vis tamen dici Christianus. Vide nè idem tibi accidat quod illis qui se Reges aut Principes esse fingunt. Aug: *nemo se vocat quod non facit*, nemo doctum se vult dici si literas nescit. 16. Idcirco potius sancti te oderint quàm juxta communionem juvabunt Psal. ait *vidi prævaricantes &*

tes & tabescebam, odio habui iniquos & legem tuam dilexi: paulus. *Si quis frater cognominatur inter vos & est fornicator aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi, nec cibum sumere quidem.* Si ita fugiunt hic, quomodo juvabunt, intercedent, ad cœlum admittent? Gal. 5. *Qui Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Cyprianus de mortal. *hoc inter Christianos & cœteros interest qui Deum nesciunt, quod illi in adversis querantur & murmurant, nos adversa non avocant â virtutis & Dei veritate sed corroborant in dolore.*

PUNCTUM II.

AN *homo*? 1. Ratione regi homo debet, quod tibi non vis fieri alteri nè feceris, & è contra. *Servasne?* 2. Ethnici summo cultu colendos judicarunt esse quos persvaserunt sibi esse Deos, unde sub currus Deorum, cùm vehebantur idola, se abjiciebant aliqui, ut protererentur &c: tu quid? 3. Crates Thebanus

aurum

aurum in mare abjecit, alii Philosophi pauperiem sectati, opes rejiciunt, lege Senecam, lege Epictetum, erubesces. 4. Reges Ethnici juxta rationem vivendo, multi suis virtutibus persvaserunt ut pro Diis haberentur. 5. Nemo si tot beneficiis esset affectus ab alio quot tu à Deo, sine amore ejus, meminisset, aut saltem iujuriis non afficeret 6. Hominis est, ratione regere appetitum & passiones, quoties iram tuam &c; vicisti! Si nec sum homo quid sum!

PUNCTUM III.

CAnis pro Domino se occidi sinit, si agnoscis Deum dominum, cur illius injuriam pateris, aut illi potius infers! à Domino ictus non recedit, tu beneficiis obrutus recedis. 2. Equus laborat, nec tamen bibit aut edit supra necessitatem. 3. Nullum animal id quod fini ejus non servit, appetit. Non leo aurum quærit sed carnem, non bos argentum. Tuus quis finis, & quæ petis!

4. Ipse

4. Ipse dæmon impudicos horret & fugit sæpè. Magis vetuit libidinem, visus est impudicos vitare, concionatus alicubi, Episcopus de eorum malo monuit. 5. Quem ergo locum inveniam! Novum aliquem pro me Deus creare debebat. Non cœlum. Quia quàm procul absum â Christiano tam à cælo. Non terram. Quia homines & bruta si illis innotescat mea nequitia me execrabuntur, ipsi dæmones in inferno meam projectam enormitaté detestabuntur. Ego sum opprobrium universæ naturæ, ego ulcus & apostema totius mundi. Ego spurcitiarũ colluvies, nec oculos in cælum levare audeo, vultu tamen in lutum scelerum meorum dejecto summa cum confusione, si forté miserebitur dicam *peccavi.* Si me Cyprianus de Flem: conspexisset, diceret: *Quid facit in ... Dei perfidum pectus, quid qui Christo omninò non credit appellatur & dicitur Christianus. Pharisæi tibi nomen congruit:* Et id. de zelo & livore. *Christi nomen induere, &*

non

non per Christi viam pergere, quid aliud est quàm prævaricatio divini nominis?

SOLILOQVIUM QVINTUM.

Quid feci pro Cælo?

PUNCTUM I.

NOn sufficit non esse malum, quia hoc nec Epuloni nec Math: 24. damnatis objicitur, sed opus insuper habere merita, quia præmium non pro solo defectu malitiæ sed pro bono opere datur. 1. Si ergo ad præmium opus virtute, quanto majori in eo qui sæpé perfidus, sæpe mentitus Spiritui Sancto, sæpé in confessionibus proposita facta abjecit! 2. Quo amplior honor, eò majora merita, ut fias civis minus opus, quàm ut fias Dux, Princeps: Quid verò ut fias hæres Cœli, filius Dei! 3. Si non feci pro cœlo tantùm quantum alter pro nobilitate, quantùm pro civitate quid inde consentaneum!

PUNCTUM II.

QVæ mea merita! 1. Fingam me quotidie, disciplinas, preces, cilicia, humicubationes, injurias, jejunia sustinuisse, si venialiter unquam peccavi hæc omnia Deo in satisfactionem debeo, quid si mortaliter, imò pro beneficio Creationis, Redemptionis, conservationis, vocationis, pro dato mihi in custodiam Angelo, pro eo quód non fuerim post primum peccatum mortale detrusus ad infernum? Pro minoribus longè debitis alii mancipia fiunt, alii ad triremes damnãtur. 2. Quid si hæc merita mea jam soluta! Quodsi hæc non sunt! 4. Imó si sunt, hæc ipsa beneficia, ut sunt, nemo apud Regem meretur per hãc stipé quã ipsi Rex dat nisi ipse velit. 5. Fingam me fecisse quod Sanctus Jacobus Eremita, qui in sepulchro pluribus annis habitavit, quod Hilarion qui septuaginta annis in eremo, quod Clemens Ancyranus qui pluribus quàm vi-

gintã

ginti quatuor annis Martyrium passus, Quod Paulus qui toties flagellatus, naufragatus, &c. id fingam; insuper me tantum fecisse ac omnes SS. simul. Quid ad hæc! *Cùm hæc omnia feceritis dicite servi inutiles sumus.* Et certè mentiri nos non jubet, qui ita dicere jubet, quid si tantum medietatem horum haberemus! Et tamen tunc nobis sancti videremur, & essemus inutiliores, quid si tertiam partem! Inutilissimi, Quid si quartam, Quid si decimam, Quid si nihil, Et tamen pollicemur nobis ut debitum, cœlum. *Nemo coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* 6. Diceremus amentem, qui saltando, bibendo, ludendo, cùm sit ad colendam vineam cunductus, diceret se præmium à Domino expectare, & tamen ità vivimus! 7. Sed demus aliquem pro nobilitatione sui tam multum laborasse ac nos pro Cœlo. v. g. guttam sangvinis effudisse per flagella, assequeturne! Si insuper eodem labore idem vult satisfacere, quòd Regi alapam impegerit, vitã

rit, vitam ejus hostibus prodiderit apponat lacrymarum guttulas aliquot, aliquoties *Pater noster &c.* perfunctoriè decurrat & hic regiam hæreditatem expectet, ô dolor! â amentia! o Dei bonitas!

PUNCTUM III.

QVo merui! In templo fui, sacrum audivi; sed an quis sibi arans, sibi mettens, meretur! Iejunavi, debitum persolvi: 2. Oravi: Hoc Angeli faciunt: Eccene aliquis meretur quod ipsi Rex impertit audientiam: Beneficium accipit, non meritum ponit: Gratiam fecit, cùm inter Angelos te orantem admisit. Sed & hæc qualis oratio! 3. Meum corpus afflixi: Magnum est sané quod equo ne calcitret, ne te inpræceps ferat, subtrahas avenam! 4. Abstinui á peccatis, nimirum fur meretur quod non furetur, adulter quod non adulteretur! thesauros regum talibus meritis exhauriremus: Aliud est non incurrere reatum pœnæ, aliud mereri. 5. Ad pedes Iudæ me præ

humi

humilitate abjeci. *Si* locum æqualem cum Christo cum multis Sanctis occupes adhuc præmium expectas. Ibi se Christus posuit, ibi multi sanctorum. 6. Flexi. Nimirum jacere ante Regem debueras! 7. Dedi eleemosynam: *Dei est orbis terræ & plenitudo eius;* Dispensator aliena dispensando per data non meretur. 8. Libros spirituales & sacros legi. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum;* 9. E contra scivisti quod difficiliùs sit divitem intrare in regnum cœlorum quàm camelum per foramen acûs: Quid! An non desiderabas plurima; An si tibi perijssent, erepta fuissent, gavisus fuisses! Credisne Deo! Cur desideras, si salvari optas, Aliquis angustum foramen volens penetrare si se sarcinis cumulet, quæ stultitia, Ità cœlum quærimus, ità Deum! pone in brachio uno cistas & villas tuas, in altero agros & domos, è collo suspende vestes ad latera jumenta & greges & sic per foramen acus pro-

cûs progredere! & ut penetres faciliùs hæc impedimenta auge, Et insuper care ta tibi, *recepisti bona in vita tua.* 10. ô Domine mi tota spes mea non nisi in valde magna misericordia tua, abyssus abyssum invocat, tuam misericordiam abyssus meæ miseriæ, Ego mendicùs sum & pauper, Dominus sollicitus est mei, quod mereor, si mereor, à tua acceptatione, à tua gratia est, in se exiguum est. Refert: Tacitus lib. 1. Amal. p. 34. *Obiectum fuisse crimen læsæ Maiestatis Falanio, quòd inter cultores Augusti inter Deos relati, Cassium quendam Mimum corpore infamem adsciuisset quia nimium cultor vilis.* O Deus quid de nobis fiet, qui sæpe viliores animo quam ille corpore tibi servire præsumimus.

SOLILOQVIUM SEXTUM.

Peccatum.

PUNCTUM I.

PEccatum mortale est infinitæ malitiæ aut ferè: Et omnes doceant esse ta-

tem superioris ordinis ad omnes pœnas possibiles, ad omnia merita possibilia, ut nulla creatura possibilis possit pro uno ad æqualitatem satisfacere, damna ejus reparare, pro illo satis dolere, sed solus Deus. 2. Pejus omni malo naturæ, sordibus, sentinis. 3. Tam fœdum spectrum ut ejus intuitu & Deus & sancti cohorrescant. 4. Deum ligat ne benefaciat. 5 Est veluti carnifex quidam qui in Christi sangvine manus lavat. 6. Est gladius qui cor Dei transverberat. 7. Quo nihil pejus in inferno inveniri potest. 8. Ita res horrida, ut propter id, cælum, sidera extingui deberent. 6. Est flagellum vel fustis quo Deum a se abigit peccator ut vile animal, 10. Est ulcus quod solo sangvine Christi curari potest. 11. Debitum quod nec sancti, nec Angeli exsolvere possunt. 12. Est pestis animæ, 13. Est pejus quam tractare Christum pessimè, aut occidere. 14. Tentat Deum quantum in se est occidere. 15 Tam malum ut in comparatione ejus alia mala non sint mala. PUN

PUNCTUM II.

DEbet homo peccaturus eligere, optare, subire, priùs omnia mala pænæ, & bonum si natus non fuisset homo ille, cum & Deum pœniteat Gen. 6. quod hominem peccantem fecerit. Minus malum fecissem si stellas, solem destruxissem, orbem, Divos annihilassem, ad infernum detrusissem, Angelos occidissem, quàm cúm peccavi. Quomodo oculos elevabo, quomodo Patrem dicam. Plus est adversum Deo omne peccatum, quàm Christi corpori omnia tormenta in passione, ut mallet hæc rursus subire, quam ut peccem. Unde gravius illi facio, quam si crucifigam, quis iste Deus quod sic affligitur. Ps. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Nolebat fleri Luc. 23. Christus suos dolores, voluit fleri peccata ut mors Dei videatur non satis malum præ peccato. Heb. 6. *Rursus in vobis crucifigentes Filium Dei & despectui habentes.* Dolores Christus

ſtus præ dulcedine non ſentiebat, at peccatum conſiderando ſudabat ſangvinem, maluitq; mori quàm illud videre, nam ideo mortuus, ne videret. Sed & peccatum facit ut homo ſit cibus dæmonis, Poſtquam dæmon decepit Adamum dictum illi, terram comedes, Adamo verò peccatori, terra es, ſive pulvis, & in pulverem converteris, Hinc deſpectus Deo maximus. Imago enim ejus fit hoſtilis cibus, ac ipſe in imagine quodammodo patitur. Hinc peccator, cœlo, Angelis, Sanctis fit exoſus, & Dæmoni plus quàm mancipium.

PUNCTUM III.

S. Catharinæ Genuenſi oſtenſum ſemel peccatum idq; veniale, ita cohorruit, ut ſe non tantúm morituram, ſed annihilandā putaret. Vitæ ejus cap. 8. & non valens ullo modo offenſam videre dixit Domino: *Non detrecto quin omnia dæmonia cum illorum terroribus & ſupplicii mihi morienti commonſtres, nihili*

enim

enim illa facio cum intuitu offensæ tuæ licet minimæ composita (ait quando illi fecit ostensum) *nescio cure vivis non excesserim. Tunc dixi. Non miror amplius infernum esse tam horridum, siquidem conditus est propter peccatum &c. plane mihi persvadeo quod etiam venialia conspiciens anima immortalis, præ nimio dolore fieret mortalis.* à S. Vincentio Ferrerio duo latrones in carbones conversi, quia explicuit illis peccatum. 2. Propter peccatum Hominis etiam omnes Creaturas Deus puniet. Matth. 24. *Sol obscurabitur.* 25 Terra tremet. 2, Pet. 3. *Virtutes cælorum commovebuntur.* Ioel. 2. 1. Reg. 15. Etiam animalia Amalecitarum jussit interfici. Christus solà apprehensione peccatorum, pro quibus passurus erat, in deliquium incidit in horto & factus est in agonia sicut homines aliqui qui horrent casum, canem, &c 2. Omnia alia pati Christus potest etiam pedibus conculcari, lacerari, consputi. &c.

Solum peccatum non potest unde magis hoc illi adversatur, quàm omnia alia. Mallet eligere pati millies, quæ passus est, quàm, ut ego semel peccem. Unde pejus ago cum Christo quàm si illum crucifigerem, conspuerem, & ita ago, ut nec cum cane pejus agere possim, quia eas crudelitates quas in canem exercuero, si proposuero Christo malitne illas, an ut ego minimè peccem, velut delicias eliget. 3. Si Deum possibile esset juxta Deitatem tristari, dolore, infirmari, præ peccati apprehensione morbo corriperetur, Quia Ephes. 4. Spiritum Sanctum contristant. Gen. 6, propter peccata, tactus dolore cordis intrinsecus. Adeo ut cum ipse flere non possit cœlum loco sui flere jusserit & mundum in lacrymis suis sepelire. 5. Magis conveniebat ut Deus moreretur eo modo quo potuit, id est, assumptâ naturâ humanâ, quàm ut peccatum impunitum maneret ad idq; coe-

git

git peccatum Deum ut Rom. 8 Filio suo non parceret. 6. Peccatum est Deicidium quoddam, quia per peccatum præfert homo Deo creaturam, cui adhæret, adeoq; Deo longè inferiorem excellentiam adscribit eumq; facit minus quàm creaturam, imò ubi Isai 53. legimus *propter scelus populi mei percussi eum* Septuag. legunt, *Ab inniquitatibus populi mei ductus est ad mortem*. Sicuti à quibusdam carnificibus, lictoribus. 7. Perge miser homo hanc apparare scenam Deo, duc ad mortem, in eum aude, potes & adhuc pergis? Sta, & declara te, hostisne amplius Dei sis futurus, & talis hostis? 8. Et tamen ut vel unicum veniale vitares, si aliter non posses omnes Angelos, & homines potius perdere deberes, etiam omnibus tormentis, quæ diabolus excogitare potest, sanctos cælo dejicere, &c. &c. 9. Tantum est malum ut odium & fuga illius sit sanctitas, 10. Non repugnat personæ quæ est Deus,

uti est Christus, conculcari pedibus hominum, in inferno torqueri, trucidari. Repugnat autem & omninó impossibile est vel unicum veniale habere. 11. Non est possibile ut aliquis homo cum bestia aliqua, pejus agat, quàm peccator cum Christo quia quidquid bestiæ tormentorum inflixeris, idem cum voluptate Christus sustineret ne pecces. 12. Nam magis consentaneum est Deum hominem mori, quàm peccatum impunitum relinqui. 13. Sustinere omnes pœnas, quas Deus per omnem suam potentiam infligere potest, respectu peccati nihil est: Etsi has omnes homines, imò omnes possibiles creaturæ sustinuerint: Respectu unici ictus quem Christus pro peccatis sustinuit, ea omnia nihil sunt, at Christus pro peccato non unum ictum sed inaudita supplicia sustinere voluit. 14. Nec per omnem suam potentiam Deus homini tantum nocere potest ac pecca-

tum. Hinc Anselmus lib. 1. similit. c. 120. præelegit inferno immergi quàm peccati sorde pollui. S. Edmundus Cantuariensis in ardentem rogum insilire præoptat. Martyres omnia supplicia potiùs elegerunt.

PUNCTUM IV.

PEccatum est contra Dominum rebellio. 2. Contra benefactorem est ingratitudo. 3. Contra Patrem, quem occidis, patricidium, 4. Contra sponsum, adulterium, & sacrilegium, & hæc omnia infinita. 5. In oculis Dei fit, impudentia. 6. Deus Pater inde ostendit Christi vulnera, & per ea ne pecces, rogat, inde dæmonem infernum, & hunc eligis, quantus Deo despectus? 7 Dæmoni Dei imaginem tradis, ut in contemptum Dei eä utatur, ut si imaginem Regis des hosti, ut in patibulo suspendat, urat. Accendere magis ac magis inferne, erubesce cælum, tradis Homo Dei sponsam,

tuam animam, ut in despectum Dei, sic amantis sponsi, cum ea Dœmon fornicetur. 8. Meretur. Peccans ut statim eum dæmon ad infernum rapiat, velut suo utatur pro libitu, & idem faciat, quod cum energumenis, sed Dei misericordia singularis cohibet. 6. Meretur ut omnibus morbis statim occupetur, ut terra illum absorbeat, ut fulmina concutiant, ut quivis eum occidat, bona auferat, aut excæcet, mutilet &c quia hæc Adam uno suo peccato in omnes induxit, multo magis quisque in se suo proprio. 10. Sequeris o Peccans militiam dæmonis, ejuras Christum reipsa, licet non verbo, sicut qui transit ad hostem esto se non dicat suum Ducem ejurare. Sed erit Isai 28. *Subvertet quando spem mendacii, & protectionem aquæ inundabit, & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit.* Vindicabit ille suam injuriam, & hoc fœdus quod ad eum offendendum inii-

stis

sti cum morte & inferno. 11. Iudas saltem pro 30. argenteis vendidit Christum, tu pro quo? Pro voluptate, quã coram hominibus non audes prodere; 12. Damnamus eos, qui in torturis negarunt Christum, tu quo propter minus negas eo pejores. 13. Nullas sordes, fœtores &c. excogitabis, qui te tam possint deturpare, & quas homo horreat ita, ut te Deus peccato infectum. 14. Regem ex proprio regno, id est, ex anima ejicis, & dæmonem substituis latronem pessimum. 15. Facis ut insultet diabolus Deo quòd te habeat obsequentiorem, quam ille pro tot beneficiis. 16. Rem pejorem facis, quam mundum si in infernum dejiceres. 17. Quia naturam, quam Deus tam altè elevavit, ut meliorem spectatis per se Angelis fecerit, quia assumpsit, capacem supernaturalium fecit, tu intra bestias dejicis, ut si artificis opus, circa quod tota vitâ industria, amore, laboravit confringe-

tes. 18. Causa es ut regnum V G. pereat, Turcæ triumphent. Hier. ep. 2' ad Heliod. *Nostris peccatis Barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus superatur exercitus.* 19 Es causa morborum, pestium aliis. Chrisost. hom. 5. de pænit. *Malorum omnium causam constat esse peccatum.* 20. Quomodo pro peccato vel uno satis facere poteris. 21. Est Dei devastatio quia quantum in te, spolias eum gloria, authoritate, sapientia &c. quæ magis sunt ejus essentia, quàm hominis rationale. Parum refert quod non sequatur effectus, sicut ille qui explodit contra aliquem, & non mactat illum, quia habet loricam occultam 22. Pilatus damnavit ad mortem Christum, sed timuit Iudæos, tu quare? 23. Iudas nec triduò volebat in peccato perseverare licet stultè pænituerit, itaq; tu pejor. De hoc queritur B. V apud S. Brigit. 1. Rev. 37. *Crucifigunt Filium meum per indurationem addentes contra conscientiam*

suā

suam peccatum supra peccatum. &c. *Crucifigunt eum amarius spiritualiter quàm illi (Iudæi) carnaliter.* 24. Etiam si totum mundum sanctum facere deberes, & salvare, & te, nec minimum veniale committere deberes, tanti est etiam veniale, at mortale infinities distat ab illo. 25. Mereris ut Deus tuam non acceptet pœnitentiam nec illum amplius opus bonum. 26. Ita jus habet dæmon in peccatorem, sicut lanio in bovem quem emit, quia se illi vendit peccator, posset illum quoties vellet mactare, nisi prohiberetur à Deo, sicut aliquando lanio à magistratu. Ita jus habet, sicut dominus cum emit mancipium, potest cogere, jubere, illud ut labore, sic posset dæmon in infinita peccata inducere, & impellere peccatorem ni gratia Dei obstaret. 27. Chrisost. hom. 30. ad pop. *Peius est peccare, quam à Dæmone obsessum esse.* Basil. exhort. ad Baptis. hom. 3. *Peccatorem esse deteriorem*

energumens, ideo qui dæmonem patitur misericordiam invenit, qui autem peccat odium sibi contrahit. Imó ibid. *Magnus dæmon est peccatum.* 28. *Cas.* coll. 6. cap 3 *Nihil malum dicendum est, nisi peccatum solùm, quod à bono Deo nos separans malo facit copulari.* Ecce ille te elegit sponsam, tu diabolum mavis. 29. Nec ideò Deus tantùm odit peccatum, quia sua est offensa sed quia tanti Dei, unde si alter Deus esset æquè bonus, & hic alter offenderetur, perinde Deus hic noster odisset peccatum, 30. Quia summum beneficium, quò Christus se dedit in membrum, & caput homini, destruit, & membrum efficitur dæmonis. Greg. hom 26 in Evang. *Certè iniquorum omnium caput diabolus est, & hujus capitis membra sunt iniqui.* 31. Si quis occideret aliquem, & ut sæpe occidere posset sæpe resuscitaret, idque per ignes, & omnia supplicia, & tantùm voluptatis causâ. An non nefas esset, quid si insuper fratrem taliter

liter cruciaret, quidſi matrem. At magis tibi conjunctus es, te ipſum ad infernum mittis & reſuſcitatum toties necas. Aug. lib. de fide. & operibus cap 15. *In ignem æternum ibunt, qui in ſe ipſos immiſericordes fuerunt.* 32. Templum Dei in te disjicis. 33. Legem Dei in prototypon, Diliges proximũ tuum, ſicut te ipſum, deſtruis Aug. *An diligat quisquam proximum, ſicut ſe ipſum; Qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* 34. Si animam tuam deſtrueres, loco illius diabolum poneres, & illo viveres & nihilominus diceres te Chriſtianum eſſe & imaginêm Dei, cum eſſes diabolus incarnatus quam, execrandum eſſet! & ecce hoc facis, diabolo vivis, intellectus ejus, ſuggeſtus, dictamina, ſequendo diaboli voluntatem, id quod amat ille amando, diaboli memoriâ, & hæc tria ſunt anima. Et tamen es Chriſtianus? Es Dei ſervus?

SOL.

SOLILOQVIUM SEPTIMUM.

An ætas in Iuvene minuat gravitatem peccati?

PUNCTUM I.

IMò multa cum Iuvenum ac studiosorum peccatis connectuntur, quæ illa aggravant. 1. Sumptus Parentum. 2 Temporis optimi jactura, & vitium. 3. Familiæ dedecus aut ruina, 4. Habent omnia ne peccent, tot confessiones, monitiones, custodias, conciones. 5. Unde ignorantia laborare non possunt. 6. Pauciores distractiones. 7. Angeli specialiter confundun tur si fructus non possint primos offere Deo. Orig hom. 11. in Num. *Agri Angelorum corda nostra sunt, unusquisq; ergo eorum ex agro quem colit offert primitias Deo*, at quales ex te? 8 Abhis annis dependet quòd Deus collocet te, aut non collocet, in eo statu vitæ, in quo te salvum futurum prævidet. Iam verò si peccatum, scandali ex suo ge-

nere grave est, quia Proximo est occasio peccandi, ex quo tamen peccato sæpissimè consurgit; quanto majus est Iuvenilis vita malè transacta, quæ causa esse solet ut tu statu & vitâ salutis in æternum excidas!

PUNCTUM II.

PRo tota vita in juventute aut maledectionem aut benedictionem Dei sibi parant, ut si cui diceretur ex tuo mendacio pendet tota vita & salus tua, qualiter peccaret, mentiendo? Imò si ex tuo hoc peccato pendent alia centum millia. 2. Tradit se statim in potestatem dæmonis, & illi se victimam immolat. 3. At primitias Deus omnium offerri sibi præcepit. 4. Cùm alii, tum juvenes viti sunt similes, quæ aut Deo, aut igni si fructum non facit. 5. Peius habet hortulanum, si novella frangatur, quàm ramus alicujus antiquæ arboris. Peius Oeconomum si recenter extructum, & nondũ habita-

habitatum ædificium conflagret, pejus si vestis nova aliquo vitioso liquore perfundatur. 6. Magis quodammodo eorum peccata apparent, sicut in pura charta, in alba tela magis apparet macula quàm in aliqua infecta. 7 Magis res novas conservamus, majori cura innocentiam tuam Deus integram esse laborat, unde quò est contrâ majorem voluntatem Dei, majus est delictum. 8. Iure gentium in direptione urbium impuberibus parcitur, tu tibi non parcis. Quodsi tantum ut ad captum tuum loquar, pro quavis circumstantia aggravante, uno cubito profundius in infernum demergeris, quo devenies? 1. Pro Parentibus quorum absumis sumptus. 2. Pro Præceptore cuius monita despicis 3. Pro sociis, quibus occasio es negligentiæ, vel ne Spiritus S. in eos tam liberaliter descendat, quem tuis peccatis repellis. 4. Pro illis, qui, si hos sumptus habuissent multa peccata vitavissent

viſſent, multa egregia feciſſent. 5. Pro iis, quorum ſalus ab eruditione tua pendet. 6. Pro Angelo cuſtode, cuius ſpeciales circa te labores inhonoras. 7. Pro maioribus, quorum conſilia vilipendis. 8. Pro Confeſſariis, quorum dicta tibi non ſunt curæ. 9. Pro inſtinctibus malè conſumptis. 10. Pro eo quod à te alienes in poſterum Spiritum S. 11. Pro abuſu concurſûs Dei. 12. Pro libris & eorum labore, qui propter tuum uſum eos ſcripſerunt. 13. Pro auxiliis patronorum tuorum in cœlo, quorum precibus obſiſtis. 14. Pro eo, quia te conjicis in periculum malè adminiſtrandi tam Eccleſiaſtica, quam civilia officia. 15. Pro iis, quos iiſdem monitis, conſiliis, Præceptor, Concionator, monitor lucrari potuiſſet tanquam enim quid aggravans Iudæorum ſcelera Chriſtus adducit *ſi hæc fuiſſent Tyrone & ſidone facta*, quæ inter, vos Iudæi, *in cilicio & ſacco pænitentiam egiſſent*, vos autem
non

non agitis. 16. Pro auxiliis Dei cum quibus alii bona multa fecissent. 17. Pro gloria Dei contempta quam tibi Deus parabat. 18. Pro iis, quos si piè vixisses convertisses, & quos illi alios convertissent nunc autem utiq; perierunt. 19. Pro exemplis bonis aliorum datis, quæ tu non sequeris. 20. Pro iis quos scandalizas. 21 Pro gratiis quas tibi Deus paraverat, si melius vixisses. 22. Pro voluptate Dei quam habet specialem cum innocentibus conservando. 23. Pro speciali indecentia qua te opponis illi Christi exemplo quo docet parvulos imitandos esse. *Nisi efficiamini ut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum.* Te autem quis imitari debet? 24. Pro eo, quia specialiter tuæ ætati opponitur peccatum. 25 Si quis tibi annos vitæ 10. aut 20. adimeret, hoc tu facis, quia perdis. Si quis manum tibi amputaret, oculum erueret, melior scientia & virtus, quàm oculus, idq; quia pro vita longiore,

ore, diutius es miser. Si dominium tuum vastarer, vastas sumptibus in malum versis & benedictionem Dei tollendo. 26. Pro multis aliis titulis, quos enumerare longum.

PUNCTUM III.

Nisi itaq; efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum. Ad vos hoc magis de convenienti spectat, qui etiam corpore non ita excessistis parvulos. 1. In innocentia ut ita deleas peccata si fecisti, acsi non fuissent ulla, quia *nihil eò inquinatum intrabit regnum cœlorum.* Quibus hic lacrymis opus, cogitate, nolite agere sicut latrones, qui licet occurat illorum menti supplicium, tamen pergunt latrocinari. Nolite contrahere debita, si vel unum exolvere difficile. 2. Parvuli in castitate, ut nec sciatis peccatum. S. Germanus ait *Exceptis parunculis obvitium carnis paucos admodum salvandos.* Etiam verbum, etiam iocus nocet, Ita

te gere

te gere ut nec suspicio possit de te esse, ut non est de parvulo. Ausim dicere sit hæreticus aut Gentilis, si non hic labatur deducendum à Deo ad veram fidem, alia peccata extra corpus hoc in corpore, si hoc nunc habes adhuc te non ita fugiunt Angeli & Spiritus S. 3. Parvuli estote in contemptu rerum caducarum, solum cœlum æstimare, & crebro meditemini. Nisi efficiamur ut parvuli non intrabimus in regnum cœlorum. 4. Cùm sæpe Deus res maximas minimis alligat, ut sanctitatem summam & gratias & damnationem & innumera peccata: Et quibus id potiùs ūctionibus, nisi iuvenum? Ingressum terræ promissæ alligavit, si Moyses in elicienda aquá è scopulo non dubitâsset. Teressiæ damnationem si illa in venialia labendo adolescentiam consumpsisset. S. Timotheo celeberrimo S. Pauli discipulo & Martyri, quia aliquantum remissius cœpit vivere, comminatus Ang-

poc. 2 *Habeo adversum te quòd charitatem primam reliquisti, itaque memor esto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo.* Terribilius est Iob. 34. *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* Hoc est, cùm videt aliquos non satis respondere gratiis suis, abiicit, & alios loco eorum absumit, & hoc factum est cum innumeris. Sic Davidem assumpsit loco Saulis, sic Cyprianum reiecto Tertulliano, sic repudiato Origene Cyrillum, sic pro Ruffino Hieronymum, sic pro Pelagio assumpsit ad gloriam Augustinum, & tu audes eius patientiam irritare? 6 At modo verè Deus potest queri Mich. 7. *Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos non est botrus ad comedendum* (in tanta multitudine iuvenum ubi spes inveniendi boni botri, nullus inventus) *præcoquas ficus desideravit anima mea* (quæ in iuventute maturitat

toritatem virtutis haberent) *periit sanctus de terra & rectus in hominibus non est, omnes in sanguine* (luxurie) *insidiantur, vir fratrem suum ad mortem* (malo exemplo) *venatur,* (ut sicut in visco capiat animam eius) *malum manuum suarum dixerunt bonum, princeps postulat* (qui optimus contentiosus) *& iudex in reddendo* (malum) *est. Et magna locutus est* (ob superbiam) *desiderium animæ suæ, & conturbaverunt eam, qui optimus in eis est, quasi paliurus, & qui rectus quasi spina de sepe* (ita aliis exosus & contemptus.) Sed ut Gerson observat tract. de Adduc. parvulis. *Et verò plerumq; fit iusto Dei iudicio, ut qui gratiam vel neglexerit, vel repulerit, abutens donis Dei & talentis summi Patrisfamilias in primo ætatis vigore dum fas erat, postmodum ad eam veniendi nequaquam recursus habeatur* nec hoc solum de peccatis gravibus, sed qui sola pigritantur tepiditate. Cant. 5. Sponsus ait. *Aperi mihi soror mea,* illa pigrita-

tur: *Expoliavi me tunicâ meâ & quomodo induar &c* èlecto nolebat ſurgere. Abiit ſponſus dein illa egit pœnitentiam *Manus illius diſtillaverunt Myrrham* nec tamen Sponſum amplius invenire potuit. *Quæſivi eum & non inveni vocabi & non reſpondit mihi.*

PUNCTUM IV.

SI ſtudioſus es hæc te ſpecialiter aggravant. 1. Sumptus Parentum quos vel in pia opera vertiſſent, vel animam ſuam eos avarê colligendo nõ perdidiſſent. 2. Deus ordinavit ut tanto ſudore, tot miſeri homines ſubditi pecuniam compararent tu abuteris. 3. Si aliis dati fuiſſent ii ſumptus an non melius illis uſi fuiſſent. Fortaſſe hoc eſt medium tuæ Prædeſtinationis nec te vult Deus aliter quàm per diligens ſtudium cum virtute ſalvari. 5. An non clamabunt multi ex inferno contra te, qui ſi habuiſſent hos ſumptus non periiſſent, ſed ruditate perierunt,

quia non suppetebat unde studerent. 6 Si dispensatori des, an non damnabis furti, si in alios usus abutatur pecuniâ. 7. Deus vult ut illi, cùm sit Sapientia evadas similimus, at tu Sathanæ qui est stultus. Ut scriptura vocat peccatores. 8. Si quis cùm possit labentem Patriam non iuvaret, nemo illum à gravissimo peccato excusaret, cõtra pietatẽ; quid si adhuc cãusa tuinæ fuerit? Tu eris certè, ubi ad publica adhibeberis, & ignorantiâ, & inscitiâ tuâ perdes; non solum in bonis temporalibus, ut hostis eam subvertat, famâ & gloria spoliet, Sed etiam ipso cœlo; ut vel Ecclesia, & fides ruat, cùm Hæretici tantum studeant, ut suos errores promoveant, fidem veram subvertant, quibus tu resistere ob imperitiam tuam non valebis, & tamen in altiore beneficio Ecclesiasticus vel in publico laicus voles vivere. 9. Quantum ille artifex delinquet, qui suscipit opus, quod ignorat, & damna gravis-

graviſſima infert, hoc tibi continget in quocunque ſeu ſpirituali, ſeu temporali officio fueris. Ut vere de te dicatur. *Peccata populi comedit*. 10. Iactura temporis, ætatis, virium. 11. Æquis, puto oculis eum inſpiceres, qui tuam familiam ſubverteret; & ad hoc ſe per annos ſex aut ſeptem pararet, vide ne tu per annos tuæ adoleſcentiæ ad hoc te diſponas. 12 Dæmoni ſingularem facis lætitiam cùm per tuam inſcitiam multorum animas expectas. 13. Deus Ariſtoteli, Ciceroni &c. dedit ſcientiam, non propter illos, quis ſcit an non propter te anima, ut illam adeptus multis prodeſſes? Vide ne omnium ſis reus. 15. Toties advocatur S. Spiritus, ut adſit, & dum adeſt, repellitur, an non hoc eſt mentiri Spiritui S. & deſpectum eum facere, quem ne homo quidem ferret? 16. Sancti orant, & Eccleſia etiam pro te, & tù efficis ut omnes eorum preces fruſtra ſint. 17. Pulvinar Diaboli otium,

um, paras lectulum in corde tuo ut ſvaviter dæmon conquieſcat, ſtet autem foris Chriſtus ad oſtium incommodis variis affectus habens & ipſos capillos *plenos guttis noctium*. 18. Quis ſcit quos, & quantos Deus per te erat converſurus ſi peccatis non obſtitiſſes, putas hi ad Deum non clamabunt contra te, vindictam? 19. Eadem eſt ratio de ſingulis peccatis. Fiat, ô fiat ſicut mare Contritio, lavabo per ſingulas noctes lectum meum lacrymis, Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Veraue hæc ſunt? Heu me ſi vera ſunt, & heu quam vera ſunt.

PUNCTUM V.

IAm verò animæ in purgatorio non liberantur, Sancti gloria accidentali privantur, Ecclefia precibus. 1. Si tu non peccares daret tibi Deus aliquas gratias, & aliis qui tecum agunt, & ita augeretur Dei gloria per omnes:

Auge

Augerentur dona aliis, v. g. tu studiose si non peccares, in tuos condiscipulos Spiritus S. cum donis suis descenderet, nunc autem horret ad eum quodammodo venire locum, in quo tu es, atq; ita omnium damnorum quæ illi subeunt, reus es. Illi etiam melius studerent, (idem de milite, Religioso &c.) sumptum, ætatem, tempus non perderent. Et se apta gloriæ Dei instrumenta facerent. 2. Non essent idcircò tot mali Christiani, quia gratiam Deus uberiorem largiretur, quam etiam ob tuam culpam negat; non tot hæretici, quia lumen donaret, quod tu impedis &c. 3. Propter te totus orbis, & omnes creaturæ destruuntur, aer pestifer, terra sterilis, aquæ noxiæ. &c. 6. Contemptus gravissimus Deo fit. peccans enim dicet. *Nolo habere Deum pro Patre, neque Spiritum S. pro mea vita, nec Angelos pro Fratribus, renuncio omni iuri ad regnum cœleste quod in baptismo accepi, remitto pro-*

 missio.

missiones mihi factas à Deo neq; ego illi solvere volo quod debeo, neq; ut alius solvat pro me, Satanæ me obstringo cui renuntiaveram, Pœnitet me nomen Deo dedisse & inter Sanctos adscriptum fuisse, nolo particeps fieri Sacramentorum, aut sanguinem Christi, mihi plùs prodesse quàm dæmonibus, nihil cum ipsis aut cum sanctis volo habere commune. P. Lampar. de excell. grat. conf. 24. 5. Peccatum destruit Dei unitatem quia tot sibi Deos statuit peccator, quot creaturas quibus Deum postponit. Hinc quorundam *Deus venter, avaritia idolorum est servitus.* Et saltem Gentiles aurum & lapides pro Deo coluerunt, peccator ventrem &c. 6. *Portamini* Isai. 46. 4. ait Deus *ab utero meo* & ecce ut viperæ erodimus illum, & cùm etiam Deus intra nos sit, tam ei sordidum præbemus hospitium, & in eandem domum cum illo recipimus dæmonem.

SOLI-

SOLILOQVIUM OCTAVUM.

An peccatum sit dignum Inferno?

PUNCTUM I.

DAmna gravissima universo mundo unius peccatum infert, ob furtum Achan derelictus à Deo Israël & victus. Ob Davidis jactantiam peste regnum exhaustum. &c. Propter unius peccatum, bella, clades, pestes, veniunt, & tot sine bona dispositione moriuntur, damnantur, quocirca justum est aliquomodo ut de illorum damnatione omnium peccans particeps. 2. *Si* tu non peccasses, fortasse per te fuisset facta aliquorũ conversio, imó gentium aliquarum, ecce peccato tuo impedis tot hominum salutem. sicut si S. Xaverius, *S.* Paulus, *S.* Dominicus, peccavissent, Deus illis non dedisset has gratias, quas dedit in convertendis tot populis, & fortasse nulli alteri, & illorum culpá infiniti periissent: Vel saltem alicui alteri

si tu Deum ad iram non concitasses, & illius liberalitatem non impedivisses collata talis fuisset gratia, hoc enim videmus fieri, si Rex destinet gratiam alicui regno, civitati, & unus solùm ex illis offendat, omnibus gratia negatur. Sic cùm dominus pluribus servis parat dona & unus eum offendit, nulli quidquam confert. Quomodo putas istæ animæ apud Dei Tribunal contra te instant? Nobis nocuit omnibus, patiatur pro omnibus: Quot deinde illi conversi peccata sua vitâssent, aliena impedivissent, proles baptizâssent, & illæ ad cœlum evolâssent, alios convertissent. Tantam molem traxit tuum peccatum. Ezechias quia thesauros ostentavit legatis Babilonis totum regnum tradidit in diram servitutem. Habet enim hoc Deus, ut ob unius peccatum puniat plurimos.

Quia

PUNCTUM II.

QVia grandem Deo injuriam & contemptum & contumeliam facis, ab illo ita amatus, beneficiis affectus ad hostem eius transfugis. 2. Quia instrumentum diaboli efficeris ad redemptionis fructus impediendos, talia damna & tot (ut supra) invehendo. 3. Si aliquis de cœlo S. Stephanum S. Ioannem detraxisset, imó alios centum, putasne dignus esset inferno, si illos detractos in infernum detrusisset, tot detrahis de cœlo, quot impedis. 4. Ius cœli & privilegium dæmoni tradis, quod Christus tanto sudore, tanto sangvine, cum tanta difficultate acquisivit: Et spreto beneficio redemptionis ultrò infernum eligis. 5. Illudis Deo ipsius concursu abutendo, atq; si aliquem propriis ejus armis & manu vulneres. 6. Quia creaturam in qua sibi Deus complacet, das dæmoni, ut eâ in despectum Dei abutatur. Ro-

ſiveydus in vitis P. P. lib. 7. c. 23. Paulus Abbas vidit peccatores à dæmonibus circulo inſerto naribus, aſſultantibus aliis geniis, hinc inde torqueri, agitari, Angelum verò deiecto vultu mœrere. 7 Saltem eum graviter judicares, ſi quis cœlum, terram annihilaret, ut oblectationem dæmoni faceret. Plus facis peccando. Nā juxta Aug. tr. 27. in Ioan. In *illis tantùm opera, in te autem eſt imago Dei*, Eccl. 16 *Melior eſt unus timens Deum* (id eſt ſine peccato, qualem tu te deſtruis) *quàm mille filii impii*. 8. Si Deus daret tibi poteſtatem faciendi meliores, cælos & mundum, quam ipſe fecerit, & tu hac poteſtate ſolùm ad recreandos dæmones abutereris. Ecce Aug. ſerm. 15. de verbis Apoſt. *Hominem te fecit Deus, & iuſtum tu te facis, quàm fecit Deus.* Habes itaq; hanc poteſtatem, ſed tu te meliorem deſtruis, ut dæmon voluptatem habeat. 9. Si alicui totâ paſſione Christi gemma comparata,

totis laboribus, totis sudoribus, daretur; & ille eam in lutum porcis conculcandam abiiceret. Hæc est anima tua. 10. Si quis vellet Deum destruere, & annihilare; Facit peccator hoc scelus. Deus nos iuxta S. Petrum suæ naturæ fecit consortes per gratiam. S. Th. 1. 2. q. 110. a. 2. ad 2. *Quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima divinam participante bonitatem*, & ecce hanc gratiam destruis. 11. Si quis efficeret, ut nulla sacramenta essent utilia, nec Eucharistia, nec Pœnitentia, fecisti si peccasti, omnium utilitas in collata, periit. Si insuper quis tolleret potestatem remittendi peccata: Tollis, quamdiu manere vis in peccato, nullus tibi sacerdos remittere potest. Unde Isai. 49 4. queritur. *Ego in vacuum laboravi, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi. Ergo iudicium meum cum Domino meo est.* 12 Si quis misericordiam Dei erga homines tolleret ut solâ

irâ & furore Deus uteretur. Facis hoc: Nec erga te potest uti, nec erga alios propter te clementiâ utitur. 13. Si quis maternitatem B. Virgini tolleret & quidem sine causâ, tantùm ut dæmoni placeret, tollis aliquid amplius. Aug tr. 10. in Ioan. *Nullius essent momenti iura Maternitatis absq; gratiæ compendio:* Et tu hanc gratiam destruis. 14 Siquis Christo occideret Fratrem, Matrem: Ecce quamdiu es sine peccato es totum. Math 12, *Hæc est Mater mea & hi sunt Fratres mei &c.* Tollis hoc, quando peccatum admittis. 15. Si quis omnia templa diruerет per totum mundum: Plus est templum vivum S. Spiritûs diruere, quale tu es; & in altari Divino, id est corde tuo, diabolo in flamma iræ aut libidinis &c. sacrificari. 16. Si quis Spiritú S. apud se volentem habitare, cum contumelia exturbaret, & dæmonem ad habitandum invitaret, humanissimè acciperet. Spiritus S. in

te est quamdiu es in gratia. Th. 1 p. q. 1. 43. a. 3. in o. *In ipso dono gratiæ gratum facientis, Spiritus S. habetur, & inhabitat hominem, unde ipsemet Spiritus S. datur & mittitur.* 17 Si quis Deum faceret miserum, dolentem, tristem, Sanctos omnibus voluptatibus privaret. Hoc facis. Eiicis eùm à te, qui in te delicias habet, in te sponsam, columbam, dilectam unicam. 18 Si quis cœlum dilacerarer, destrueret: Impedis ne ruina in cœlesti Ierusalem per lapsum Angelorum, reparetur. 19, Si Filios Deus haberet plures & tu illos occideres. Te occidis te qui es Filius, Dei & alios tuo exemplo: ait Paulus, *qui Spiritu Dei aguntur Filii Dei sunt.* 20. Si cum aliquo vellet Deus amicitiam contrahere, ille Deum proderet, repudiaret dedigãretur esse ejus amicus· Ioan. 11. *Vos amici mei estis & iam non dicam vos servos, sed amicos* & en præeligis dæmonem. 21. Si quis Chiistum in partes concideret, & por

cis objiceret. Facis hoc in te. Chrisost. hom. 16, ad pop. *Non fide tantùm, verùm & ipsâ re nos suum corpus efficit.* Et Deus mi quid fit de hoc corpore! in quale ferculum, & cui porco apponitur. 22. Si quis cogitaret perpetuò & in hoc studio vitam consumeret, ut quid posset pessimum Deo & sanctis facere. Nil potes maius, quam facias si peccas. 23 Si quis Sponsam Christi vel uxorem si hanc Deus posset habere, vel B. Virginem ludibrio ganeonum obiiceret. Tu es *dilectus meus mihi & ego illi*, tu es Sponsa tu es Mater, tu es uxor, inter te & Christum est matrimonium. *Desponsavi te mihi: Magnum est hoc Sacramentum in Christo & Ecclesia.* 24. Si ita Christum deformaret, ut caput appareret porci, oculos Basilisci, cor leonis, pedes simii &c. Tu es ô homo Christus, tu potes dicere. *Vivo ego iam non ego, vivit autem in me Christus*, peccata sunt hæc membra spiritualia, o-

culi in-

culi invidi, os gulosum &c. Siccine agis cum Christo tollens membrum Christi, plus facis, quàm membrum meretricis? 25. In totum genus humanum hoc redundat dedecus, quod admittis, sicut si esset in tua familia fur aut patibularius. 26. Dæmon specialiter insultat Deo, quia enim Dæmone reiecto constituit Deus ejus locum implere hominibus, cum videt id Deum non pósse per peccata hominum facere, insultat ut potest Deo & gaudet. 27. Si Deus obsignaret suo sanguine, & occluderet mare aliquod malorum, morborum &c. Et tu sigillum rumperes, & emitteres volens ac libens in omne genus hominum, elementa &c. morbos, mortes, pestes &c. hoc facis dum peccas. Infernum reseras ut dæmones liberius mundum affligant & hoc ut affligant dilectos filios Dei, quia de malis plus boni participant. 28. Si libros sacros Bibliorum, si Salomonis, Sybillarum,

Aristotelis, Platonis Pyramides Ægypti, monuměta antiquitatis, in quibus nomen suum conservare studuit, mundi miracula, sacras reliquias, templa, Arcam veteris testamenti, tabulas Moysis, & manuscripta destrueret, combureres, an non gravissimum supplicium omnis antiquitas de te peteret, quod ejus labores & vitam, quâ vivebat, sustuleris, an non & superstites, quod tantâ eruditione, voluptate privares? Et tamen hoc facis per peccatum, non ne per peccatum Iudæorum periit Ierusalem cum omnibus admirandis monumentis: Ob aliorum peccata alia, ob tua etiam multa? 29. Si inter humanitatem & divinam personam solveres unionem hypostaticam, ut Christus hæc humanitas non esset unita Deo. Hoc peccatum ex se facit, nam impossibile per omnem potentiam Dei ut existeret unio existente peccato etiam veniali: Et licet de facto in peccatore non solvatur

ista uni-

ista unio, id fit non ex defectu peccati quasi illud non possit eam solvere, sed ex defectu unionis, quia hæc non est in peccatore: Interea tantundem mali fit. Imò sola cogitatio commissi peccati aut quod ab aliis non à se committi potuerit aut possit, in Christo unionem impetebat aliquomodo. nam sangvis in horto in terram usq; decurrebat, & abibat, ab illo corpore quod certo modo fuit unitum divinæ personæ. 30. Si peius Christum quàm brutum, quàm latronem tractares. At sic tractari per modum voluptatis habebit Christus præ peccato. 31. Si faceres Deo, quod ita horret ut mallet mori quàm hoc sustinere: Certè Christus satis magnum pretium mortis suæ ratus, si peccatum simul secum moreretur: Si faceres quod ita odit ut potiùs mallet aliquomodo desinere Deus, & beatus, quam illud pati à te, ecce Ephes. 4. peccata Spiritum contristant, exuunt quodam modo beatitudine

tutidine, ob peccata Gen. 6, *tactus dolore cordis intrinsecus*.

PUNCTUM III.

TErra respectu cœli, solis, vix puncti vicem habet cùm ipse sol sit millies major quàm terra, quid verò cœlum seu spatium in quo circulum absolvit. Hoc cœlum Solis, respectu firmamenti vix puncti vicem habet, firmamentum respectu centum millionum firmamentorum, cùm esset ut unum respectu centum millionum. Hi centum milliones firmamentorum respectu omnium possibilium nihil planè sunt, cum finiti ad infinitum nulla sit proportio, hæc tamen possibilia firmamenta respectu omnium rerum quoad species varias possibilium, nihil. Hæc omnia possibilia respectu Dei adhuc infinities nihil sunt. Iam ergo homo si respectu totius terræ quoad molem ferè nihil est quid respectu Dei immensi: Atqui Deus ut

est immensus infinitè, ita honorábilis, bonus, sanctus, amabilis &c. si ergo quo dignior persona quæ offenditur, indignior quæ offendit: Quantum est peccatum! & tu ausus es o tam miser homo Deum hunc tantum inhonorare? 2. Si insuper ob rem aliquam vilissimam? Et certè semper ob vilissimam, ob lucrum, voluptatem &c. 3. Quid si insuper tantus Deus hunc tam indignum hominem beneficiis affecisset? Affecit. & ita ut quodvis etiam in se minimum beneficium infinitum sit: Quia quò vilior persona cui confertur, & dignior quæ confert, eò majus est beneficium. Sed & in se dedit summa beneficia. Omnes infra se res tantò illo meliores illi subiecit & illius utilitati, ut Ps. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* 4. Quidsi seipsum Deus propter hunc hominem ad vilitatem parem redegisset? Certè ita est *habitus inventus ut homo.* 5. Quidsi etiam non solùm ad parem vilitatem sed ad inferiorem

riorem dejecisset? Ita fuit, subiecit se carnificibus, non erat dolor ab ullo homine toleratus tantus ut dolor eius. 6. Quidsi adhuc infra hunc hominem se infinitè abjecisset: Ita omninò. Nā peccatum est infinities vilius homine, ille in similitudinem peccati se abjecit. 7. Iam hinc infer quo est dignus homo, si talem Dominum inhonoret. 8. Quidsi adhuc hic Dominus semel, secundó, centesimò. & millies illi pepercisset, & ille nihilominus inhonoret: Nihilominus ad peccatum redeat? 9. Quid si adhuc hic tantus Deus præmium, seipsum, & suam beatitudinem homini huic promisisset, tantùm ne peccet, & toties promissionem renovet, quoties redit à peccato; & tamen peccet. 10. Quid si etiam, tantus Deus ferè infinitas pœnas minatus fuerit offendenti: Et jam plurimos irrevocabiliter illis affecerit, ut homo hic habitis & visis exemplis à malo se contineret; nihilominus tamen

men ſine ulla cauſa ſine neceſſitate, liberrime, nõ coactus, non ob aliquod bonum ſolidum conſequendum, ſed vel ob infamiam, vel ob pudorem, vel ob damnum ſuum, ob læſionem vitæ, ſanitatis, (hæc enim in peccatis ſunt & à peccatore ferè agnoſcuntur) ad offendendũ hunc tantũ Deum ruerct. *Obſtupeſcite cæli, & portæ eius deſolamini vehementer!*

SOLILOQVIUM NONUM.

An mea peccata ſint graviora quàm aliorum.

PUNCTUM I.

SÆpe peccata ex ſe, & ut ajunt ex obiecto paria, aut leviora, ex circumſtantiis evadunt graviora. Sic Ier. 3. *Iuſtificavit animam ſuam averſatrix Ieruſalem comparatione prævaricatricis Iudæ*, id eſt, quaſi juſtificari Iſraelitæ, & peccata eorum non reputarentur præ peccatis Ieruſalem, & tamen idem erat peccatum utriusq; ſcilicet idololatriæ,

dololatria; imò Ierosolimitæ pertinaciùs, & diutiùs in illo hæserunt, nimirum per annos 255. Iudæa autem solum per 60. rursus vox aversatrix significat ex Hebræo sine pudore, dissimulatione, sine fronte peccantem, & ecce tamen quasi justi essent hi præ illis propter alias circumstantias. Item Ezech. 16. *Vivo ego dicit Dominus* (ait ad Ierusalem) *quia non fecit Sodoma soror tua, & ipsa, & Filiæ eius, & Samaria, dimidium peccatorum tuorum non peccavi, sed vicisti eas sceleribus, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quæ operata es, ergò & tu porta confusionem tuam, sceleratius agens ab eis* (id est præ eis) *iustificatæ sunt enim à te* (id est præ te) *ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam, quæ iustificasti sorores tuas.* Deus bone! Gen. 13. Sodomitæ quales erant? *Peccatores nimis coram Domino*, ut nec justi decem inter illos inveniri potuerint. Causa videtur hæc aggravationis, quia vidi Ie-

rusalē

rusalem pœnas Sodomæ, & peccabát, quas non vidit in ullo alio Sodoma: Accepit Ierusalem singularia benefi. cia, templum, sacrificia, Reges Sanctos Prophetas monentes, quod non habuit Sodoma. Quid de te miser fiet, qui unus (ausim dicere) plus beneficiorum accepisti, quàm tota Ierusalem. S. Cyprian. Serm. de habitu Virginum. *Minor culpa deliquisse antè, cùm necdum nosses disciplinam Dei, nulla sit venia ultra delinquere* (quasi sit irremissibile peccatum.) In aliis fortè est ignorantia legis, vel non tam clara notitia, ego perfectè scio, & hoc ipsũ scio, *Servus sciens voluntatem Domini, & non faciens vapulabit multis.* 2. Ignorant alii Dei dignitatem, tu scis esse omnipotentem, infinitè bonum, summè colendum &c. 3. Ignorant justitiam, tu scis per essentiam esse justum, tu scis dictum. *Serve nequam ex ore tuo te iudico.* Tibi posse dici scis nihil impunitum vel in hac, vel in altera

vita re-

vita relinqui. 4. Non advertunt, aut non apprehendunt Dei præſentiam, tu advertis, at gravior eſt offenſa, quæ ſub oculis legislatoris committitur. 5. Ignorant malitiam peccati, tu ſcis mortale, aut eſſe infinitum, altioris ordinis quàm omnia mala, nullam Creaturam, nec B. Virginem poſſe pro uno etiam per omnia poſſibilia merita ſatisfacere; mereri pœnam in extenſione infinitam, id eſt æternam, veniale interdum multis annis puniri, etiam morte, morbis, peſte, pejus eſſe quam omnia mala phyſica. 6. Ignorant tot exempla juſtitiæ divinæ tu ſcis de Dathan, & Abiron, de Anania, & Saphira, de Herode, de Machabeorum Tyranno &c. &c. 7. Non ita illis occurrit reflexa cognitio dum peccant, tibi quoties aliquid gravius. 8. Non toties occurrit vitam eſſe emendandam, ſtatum hunc teporis periculoſum, ut tu abutens Dei patientia theſaurizas tibi in die iræ. 9 Non

ſcint

ſciunt fortè de menſura peccati, ideoq; non ita ſe periculo contra charitatem animæ ſuæ exponunt. 10. Non dilationis periculo, ut tu, nō tot inſtinctus, ut tu; non tot remorſus conſcientiæ ut tu. 11. Non toties confitendo Deo mentiti.

PUNCTUM II.

ALii non tanta adjumenta ad non peccandum habent. 1. Malè educati, 2. Loco malo degunt. 3. Libros ſpirituales non habent. 4. Non tot conciones audiunt. 5. Non tam bonos ſocios, aut plures malos quàm tu. 6. Non qui eos hortetur, aut ex quo exemplum bonùm accipiant, ut tû. 7. Non tot beneficiis à Deo præventi in corpore, fama, natura, familia, ſpiritualib⁹ bonis, & temporalibus. 8. Non ita in promptu Confeſſarium habent, aut quem conſulant. 9. Paupertate, vel à amalis dominis, vel aliquâ neceſſitate impelluntur. 10. Si cadant,

citius

citiús resurgunt, deplorant, acriorem agunt pœnitentiam, saltem de se humilius sentiunt, hæc omnia illorum utcunque excusant peccata, tua verò aggravant.

PUNCTUM III.

ALiis non ita ut forte tibi occurrunt. 1. Fortasse si post mille merita peccet graviter etsi resurgat illa non redeunt ampliùs. 2. Fortasse te non esse in gratia, ideoq; hic & nunc posse à diabolo in ignem æternum abripi & adhuc non caves. 3. Fortasse te esse non baptizatum defectu aliquo & te peccata non posse tollere, per illum Sacramentum nisi per Contritionem, quæ est difficillima, & tamen illa auges. 4. Fortasse ii Sacerdotes, qui te absolverunt, qui Eucharistiâ refecerunt defectu aliquo non fuêre verè ordinati, (sunt enim, & talium exempla) vel non verè administrârunt Sacramenta. 5. Fortasse ex tua parte

parte nullam fuisse validam absoluti-
onem defectu doloris supernaturalis.
6 Fortasse te nihil mereri si jaces in
aliquo peccato non remisso, 7. For-
tasse datus es in reprobum sensum, & *in adinventionibus* tuis vadis, illusionesq; sunt quas putas inspirationes, præcepta Dei, & consilia pro libitu tuo interpretaris, tu lumen verum conscientiæ amisisti, & erroribus in pœnam à Deo permissis regeris, ad damnosam insensibilitatem, cæcitatem internam, & obdurationem voluntatis pervenisti, consolationes quas putas spirituales esse sensualitates à dæmone ut te in malo confirmet excitatas. 8. Fortasse recipis bona in vita tua, in sanitate, & successibus, quia exclusus es à vita æterna tuâ malitiâ uti Gentiles. 9 Fortasse nullum opus tuum, aut virtus pura est, sed aut vanâ gloriâ, aut aliâ sinistrâ intentione corrupta. 10. Fortasse confessiones defectu universalis doloris tuæ invalidæ,

aut

aut ex aliis capitibus de quibus Theologi dubitant, nam aliquid sunt qui docent non sufficere attritionem. 11. Et tamen audes tibi ruinam aggravare? Cúm non magis, quàm moraliter de his sis certus.

PUNCTUM IV.

NOn ita vident fortè alii quantum malorum cæteris unius culpa inferat, (*lege Soliloquium an punctum dignum inferno*) ob peccatum Achan populum Deus deserit. Ob peccatum Davidis septuaginta millia cadunt virorum, ob peccatum curiosè arcam Dei attrectantium in plebe multa millia, & Principibus 50. pereunt. Hoc enim est 99. oves deserere, & unam quærere, id est, antequàm unus lapsus convertatur, 99. vapulent; & à Deo derelinquuntur. Urbes pereunt, & regna. Nunquid non erant infantes Sidone, aut in diluvio, & tamen cum parentibus ob eorum culpam.

pam perierunt? 2. Cypr. de habit. Virg. *Minor culpa deliquisse antè cùm necdum nosse disciplinam Dei, nulla sit venia delinquere postquam Deum nosse cœpisti.* Si subcocus fœteat, pulveribus sit obsitus, Rex patitur, sed si filius ejus, & sic coram aula ejus tota compareat, vel coram externis Legatis; non ne ego sum is filius? Et totus me mundus spectat, ut de meis moribus aut Deum glorificet aut contemnat? Alii non ita forte sunt domestici Dei? Fortasse alii etsi, habent graviora, pœnitentiam tamen faciunt: Ego sæpius repeto, at repetitum etsi levius utcunq; Dei graviorem vindictam meretur. Grave fuit adulterium David cum Uriæ uxore, illud tamen tātùm morte unius pueri punitum: At veró cùm post hoc computaret superbè populum, tot millia perierunt. 2. Reg. 24. Achab rapuit vineam 2. Reg. 21. condonatum illi, fecit iterató, 2. Reg. 22, ecce ipse cum omnibus periit.

SOLILOQVIVM DECIMUM.

Effecta Peccati.

PUNCTUM I.

EFfectus peccati. 1. Mors subita, aut violenta. Sic uxor Loth quia circumspexit. 2. Ægyptios mersit cũ anima & corpore. 3. Nadab, & Abiu filios Aaronis quod contra legem alium ignem ad thuribulum adhibuisset igne consumpsit de cœlo Levitic. 10. 4. Num. 15. qui ligna Sabbáto colligebat jussu Dei lapidibus obrutus. 5. Num. 11. murmuratores ignis devoravit. 6. Num. 25. alios per ignitos serpentes occidit. 7. Num. 25. Fornicati aliqui cum filiabus Moab, principes eorum jussi suspendi, & occisa 24. millia aliorum. 8. Num. 14. Quia nolebant Iudæi pugnare pro terra promissionis, occisa eorum Sexcenta millia. 9. 1. Reg. 2. Heli non puniebat filios, subitâ morte periit. 10. Bethsamitæ, quòd arcam Dei nudam vidissent

ſent. 1. Reg. 6. principes 70, cætero-rum 50. millia perierunt. 11. David numerabat populum 2. Reg. 24. pro hoc ſeptuaginta millia peſte occiſa. 12. Ananias, & Saphira mentiti S. Petro Act. 5. corruerunt morte ſubitâ. 13. Herodes quia acclamationes populi audiit percuſſus ab Angelo, a vermibus conſumptus exſpiravit Act. 12. 14. Moyſes, & Aaron ob levem dubitationem de aqua, mortui Num. 20.

PUNCTUM II.

DEus ab anima recedit, & in corde non eſt ampliùs unus ſpiritus cum eo: Non eſt ad auxilium Iſai. 59. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum*. Patet in Saule quando ab eo Deus receſſit Pſ. 72. *Qui elongant ſe à te, peribunt* (in corpore ſæpe) 2. Tolluntur virtutes infuſæ. 3. Cæcitatem inducit Soph. 1. *Ambulaverunt ut cæci quia Domino peccaverunt*. Cæci ne videant periculum, damnationes, mortes alio-

tes aliorum subitas, pro re licita habeant peccata, rideant, glorientur, putent virtutem, in futurum cogitent de pœnitentia Sacerdotes rudes eligant, sic judicium bonum perditur. Aug. in Enchir. c. 80. *Peccata quamvis magna, & horrenda cùm in consvetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse credunt, usq; adeò ut non solum non occultanda, verùm etiam prædicanda, ac diffamanda videantur* 4. Anima maculatur. Math. 15. *coinquinat hominem.* Sicut paret, quo modo diabolum tam sordidum ex tam pulchro peccatum fecit. 5. Diabolus intrat Math. 12. *Cùm immundus spiritus exierit &c.* tum turbat &c. cum hoc hospite edendum, ambulandum &c. hic vicinus malus. 6. Diabolus fit hominis Dominus. 2. Petr. 2. *A quo quis superatus ei servit,* eum dicit ut omittat bona vel non libenter faciat. Sicut Adonizebec Iud. 1. Extremitates manuum, & pedum amputat. 2. Tim. 2. *Captivi tenentur à diabolo & ipsius voluntatē*

luntatem, *an* apud Furcam. 7. Aug. in Epist. Roma. 42. *Vnusquisq; peccando animam suam diabolo vendit, acceptâ tanquam precio dulcedine voluptatis temporalis.* 8. Anima per peccatum moritur, quia animæ vita Deus, sicut anima corporis, opera bona ut mortui nil valent. 9. F t anima cibus diaboli, ut Petro Act. 10. dictum *occide, manduca*, dictum, animæ nostræ erant cibus Dei, ita Dæmonis Habac, *cibus eius electus*. 10. Auxilia negantur uberiora, cũ sufficientibus autẽ nemo salvatur, sequuntur pœnæ etiam ut in Pharaone temporales, & ut Pharao non convertuntur Apoc. 22. *Qui sordidus est sordescat adhuc.* Natura enim sibi relicta labilis est Mat 25. *ei qui non habet auferetur.* 11. Merita pereunt Ezech, 18. *n n recordabuntur* non millio hic auri perit. Post tot victorias tandem vinceris. 12. Adoptio apud Deum periit Ioan. 3. *ut filii Dei nominemur, & simus*. Hæreditas cœlum. Vere Deus

Pater. 1. Ioan. 3. *Qui facit peccatum ex diabolo est*. 1. Reg. 2. *Filii Heli, filii Belial*, *Non populus meus*.

PUNCTUM III.

Fidem suam occidit peccator Iac. 2. *Fides sine operibus mortua*. Imò facile perdit. S. Diad. Cap. 21. *Qui credit sine charitate leviter credit, tentationibus vincitur*. 1. Tim. 1. *repellentes conscientiam bonam naufragaverunt circa fidem*; Ideo toties Iudæi in Idolatriam, & mali Christiani in hæresim inciderunt. 2. Ius ad cœlum perit, quod tanti, quanti passio Christi, & inter sanctos esse. Ps. 105. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*. 3. Angeli non juvant, non solantur ut Abraham, Magdalenam, Pastores. Tobiam, Azariam, Petrum, non docent ut Iosephum ut Centurionem Act 10. non defendunt nec in columna ignis præeunt, non ut Danieli in lacu leonis cibum afferunt. Ieremi. 51. Recedunt. *Cura-*

vimus

vimus Babilonem, & non est sanata dere- linquamus eam, hoc Glossa de Angelis explicat. ibid. verò addit *Angeli abscessio tua damnatio*. Si Angeli offensi sint quanta mala permittere possunt ut in Iobo ubi nomine Dei intelligitur Angelus permisisse Satanæ, Basil. Ser. 9. in Ps. 33. *Sicut apes fumus fugat ita Angelos peccatum*, (& tantùm sufficienter, serviunt non efficaciter. idem Serm. 10. Ps. 37. *Longè stantes, vehementer deflent amici calamitatem*) At illi sunt pædagogi, & Pastores. Basil. lib. 1. contra Eunom, ergò sicut *puer manens sine Pædagogo sicut oves sine Pastore*. 4. Perit pax animæ, & consolationes internæ Isai, 57. *Impii sunt quasi mare fervens, quod quiescere non potest*. 5. In morte auxilia, consolationes cessant, Greg. Dial. 6. *Iustis initium retributionis est ipsa plerumque in obitu securitas mentis*, unde sancti læti moriebantur. 6. Mala mors succedit. Ier. 2, *Ego plantavi te in vineam electam quomodo conversa es in*

vineam pravam & sequitur. Isai 5. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci, an quid exspectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas; & nunc ostendam quid ei faciam, auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, & ascendent vepres, & spinæ. & nubibus mandabo ne pluat super eam.* Inspirationes negantur Peccata contemnuntur. Tentationes invalescunt. Dolor de peccatis fit difficilis Ier. 13. *Si mutare potest Æthyops pellem suam aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum.* 7. Temporalia bona pereunt Eccli. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & dolos.* Sic Nabuchodonosor, Balthasar, sic Chananæi Amorrhæi, iud. 6. *Ita quod fecissent filii Israel malum in conspectu Domini tradidit eos in manum Madian, & Amalec nihilq; ad vitam* pertinens illis reliquit. Num. 12.

Maria Lepra ob murmurationem. 2. Par. 33 Elevatum cor Ezechiæ addu-ctus ideò in mortem. Ioan 5. ad pi-scinam diu æger ob peccata. Iob. 15. *Impius antequam dies eius impleantur per-bit.* Psalm. 88 *Numerâsti dies eius,* Ier. 29. *Mittam in eos gladium, & famem, & pestem eò quòd non audiêrunt verba mea.* Sic Absalon persecutus Davidem pe-riit. 2. Pet. 2. Novit *Deus pios de tenta-tione eripere, iniquos verò reservat in di-em iudicii.* Iob. 19. *Fugite à facie gladii quoniam ultor iniquitatum est gladius, & scitote esse iudicem.* 8. Quò plura com-mittit peccata homo eò major & ma-jor datur dæmoni potestas super eum. Cypr. de Orat. Dom. *Datur potestas adversus nos Malo secundùm peccata no-stra.* Et hoc fiebat tanquam non ra-rum temporrbus S. Cypriani ut qui peccaret, diabolus illum divexaret sta tim. Sic enim habet lib. 4. Epist. 7. *Ideò sæpè nonnulli de iis, qui sani bapti-santur si postmodum peccare cœperint Spi-*

ritu immundo redeunte quatiuntur. 9. Facit peccatum hominé quodammodo idololatrá quia à Deo ad Creaturas avertit. 10. Quia Christus, qui est summus Sacerdos per peccatum occiditur, sic peccatum summum est sacrilegium, adde quód idem sit summus Sanctus, cujus vita omnibus utilissima, Angelis, & Deo patri gratissima, idem Propheta Rex. 11. Nihil tam bonum dari potest, quàm sit malum peccatum, nisi solus Deus. 12. Et cum fiat spectante Deo, gravissimam, illi irrogat injuriam, 13. Et si in Christiano fiat cùm sit ille membrum Ecclesiæ, totam Ecclesiam commaculat, sicut si Reginæ nasum, aut aures præcideret, 14. Spiritum S. contristat. 15. Sanctos, & Angelos accidentali gloriâ privat. 16. Cypr. de dupl. Martyr. docet. Quòd & Martyrium inutile reddat, & sit abnegatio Dei, & Satanæ *in Deum assumptio*. Ejus verba, *Frustra cervicem præbueris Carnifici, nisi prius*

priùs occideris membra quæ ſunt ſuper terram, hoc eſt affectus qui militant adverſus Spiritum, odium, invidiam, avaritiam, ſuperbiam, libidinem, quibus quicunq; ſervit Deum quodammodo abnegavit, & Chriſtum ore profitens vitâ Satanam Deum confitetur. Nec hic ſermo cuiquam debet videri durior cùm ſit verax, ác ſalutaris, quidquid homo quivis Deo anteponit ſibi Deum facit &c Quisquis igitur ore dicit credo in unum Deum, & ſervit Avaritiæ &c. Sibi mentitur, ſibiq; repugnat, aliud lingvâ ſonans, aliud animo celans, voce tantum perhibens teſtimonium de Deo cùm vitâ Satanam colat, efficacius autem vitæ eſt, quàm lingvæ teſtimonium. Iam imaginare te Iovi, Saturno &c. abnegato Chriſto ſacrificari, aut, ore confitendo te Chriſtum colere, & illis nihilominús immolare ut ibid. argumentatur erit multò gravius crimen. 17. Hinc Chriſtus invitat, meus eſto, cœlum tibi dabo; hinc dæmon, infernum dabo, pudorem, con-

ſcienti-

ſcientiæ cruciatum, & ſervis illi, exclamat. Cypr de hac re. *O fœdam defectionem! o turpem idololatriā! O iniquā permutationem &c. Maior itaque venia debetur Chriſtum in tormentis abneganti* (quamvis & hoc ſit, ut idem ſupra ait graviſſimum crimen) *quàm ſponte aſſentienti diabolo, cui credidiſſe, eſt Chriſtum abnegâſſe. Eò quod fingit, & mentitur homo peccans, qui negat ſe abnegâſſe Chriſtum.* id, ibid. demonſtrat, ſi miles Cæſaris fugiat ad Turcam, & neget ſe Cæſarem abnegâſſe, idque efficeris apoſtata o Peccator.

PUNCTUM IV.

QVi peccat uno mortali in plurima devenit, ſicut qui arma amittit, vincitur, & quia punctum ſibi ſimile generat. Pſ. 68. *Appone Domine iniquitatem ſuper iniquitatem, & non intrent iuſtitiam tuam.* Ita Sodomitæ in tanta lapſi quia Ezech. 16. *dediti otio, & ſuperbiæ nec manum pauperi porrexiſ-*

ſent

sent. Greg. Mor. 13. c. 10. *Facilè inimico resistitur si non ei vel in multis lapsibus, vel in uno diutiùs consentiatur. Sin verò eius svasionibus causa subesse consveverit, quantò se ei crebrius subiicit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit, ut ei reluctari non valeat, quia quot vicibus pravæ frequentationi adstringitur quasi tot vinculis culpa ad mentem ligatur*, 2. Desperatio facilè succedit, quia spes minuitur. 3. Res malè succedunt, si Deus miseretur viam præcludit. Ose. 2. *Dixisti vadam post amatores meos, propter hoc ego sepiam viam spinis, & sepiam eam maceriâ, & non poteris invenire amatores tuos.* Greg. 14. Mor. *Cùm fortassè infirmantur electi, atque in desideriis illicitis ruunt, in hoc plerumq; divini muneris manu retinentur, quod voluptatis miseræ nullos effectus inveniunt, cumq; eorum votis valida contrarietas nascitur plerumque ex ipsa impossibilitate corriguntur, & miro internæ dispositionis ordine per conversionem mutatio malæ voluntætis*
sequitur

sequitur per infirmitatē perditio denegati. Vel si succedit, Prov. 1. *Prosperitas stultorum perdet eos.* Aug. epist. 3. ad marcell. *Nihil esse infelicius felicitate peccantium qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas sicut hostis interior roboratur.* Sic Num. 11. permisit coturnices Iudæis. Sic Dan. 8. de impio Rege. *Roborabitur fortitudo ipsius, & prosperabitur, & faciet secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor suum in malitia.* 4. Fit homo similis brutis Prov. 24. *Qui cogitat mala facere stultus est.* Quia tam laborat pro inferno. Sic Adam post peccatum putabat, quòd posset se abscondere coram Deo. Tum ut brutum sequitur appetitum. 2. Petr. 2. *Velut irrationabilia pecora in corruptione sua peribunt.* 5. Impeditur ne cœlestiā possit cogitare. Sicut avis si pondus addatur volare non potest. Philip. 3. *Nostra conversatio est in cælis.* At Ps. 33. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, &*

um, & sicut onus grave gravatæ sunt. Ut terrena cogitet, amet. Zach. 5. *Massa plumbea missa in os amphoræ* Heb. 12. *Deponentes pondus curramus per patientiam ad certamen.* 6. Numerus peccatorum completur. 7. Facit ut Oratio, & alia bona opera nil valeant, nil impetretur, Prov. 1. *Quia disciplinam, & timorem Domini non susceperunt non exaudiam eos.* Prov. 28. *Qui declinat au res ne audiat Legem Dei, oratio eius erit execrabilis.* 8. Orationes Ecclesiæ, & SS. pro illo nihil valent, nec adjuvant ut solet membrum alia membra. Ps. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te Domine.* Sic indulgentiæ nil juvant, Missæ solumq; ad exitum è peccato juvant, sic Merita Christi, & SS. 9. Non impetrat minui purgatorium. 10. Tollitur consolatio divina in afflictionibus quia non juvat Deus occultè, ut dicas Ps. *In tribulatione dilatâsti cor meum.* 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione superabundo gaudio in omni tri*

omni tribulatione nostra. Scit enim peccator se non ut à Patre, à Deo castigari cujus non vult esse filius. 11. Cursus virtutum evanescit, 12. Illustrationes divinæ & specialis protectio deficit. 13. Orationis puritas & ejus fiducia annihilatur. 14. Quies cordis tollitur consolatio lacrymarum. 15. Tollitur homini esse; Abdias, *Erunt quasi non sint.* Hier. in hoc. *Qui enim perit secundum regulam scripturarum dicitur non esse*, sicut Esther, c. 14. orabat pro impiis *ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt.* Soliùs enim justi est participare naturam Dei, id est ESSE. At peccatoribus ait Deus, *Nescio vos.* Quid autem esse nescit, nisi quod non est? *Ambros.* in Ps. 43. *Non sunt, qui repudiantur à Christo.* 16. Imò pejus est illi homini esse quasi nec fuisset ut Matth. 26. *Bonum,* id est melius, *erat ei si homo ille natus non fuisset.* 17 Dejicit in puteum ex quo te nemo possit eripere nisi hostis tuus

quem

quem graviſſimè læſiſti. Eripietne! neſcio. Scio te eo beneficio indigniſſimum. 18. Etiamſi certus eſſet Rex ſuo regno ſe reſtituendum, tamen nudus per plateas nollet incedere, collu tulatus regno abjecto &c. Incidis in gratiam dæmonis & ignoras te regno reſtituendum. 19 Nec Deus ipſe in natura humana exiſtens videbatur poſſe invenire vocem quâ ſatis exprimeret quantum mali in homine efficiat peccatum, unde talem hominem vocat, *diabolum, canem, porcum, vulpem fœtidam*, *Lupum*: David, *equos & mulos, tauros furentes, aſpides, baſiliſcos*. Iſajas. *Dracones & Struthiones*. Ezechiel. *Scorpios*, Iob. *tigrides*. Io. *infernum, mortem*. Apoc. 20. *Mors & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis*. Nimirum peccatores. Quia in iis ſicut in ſuo inferno habitant dæmones, ſpiritus nequam, qui ſunt illorum Patres, & ex quibus illi ſunt. Imò mirum eſt quòd eos diabolus in eodem ſecum carcere tolleret, quia

quia illis est melior naturâ, nec tam multa aut æquè gravia ejus peccata, ut justè à dæmone debeant torqueri qui plus boni à Deo quàm illo acceperunt, & eum magis offenderunt. 20. Facit extremè deformem. Quia pulchritudo est convenientia partium ad unum spectantium, peccatum summam disconvenientiam causat, cum fine ultimo, cum animo & corpore, & cum toto universo, ut mallet illud non esse, quàm sic esse: Quàm turpe compedes loco aurium, oculos loco manuum &c. peccatum ponit suam felicitatem loco Creatoris plus infinities quàm si homo loco oculorum cornua boum, loco dentium caudas serpentum haberet, Ierem. 2. *Obstupescite cœli & portæ eius desolamini vehementer.* 21. Si dæmon quia semel idque cogitatione & non redemptus, peccavit, & tam turpis, despicabilis, effectus, quid tu? Et tamen Dei bonitas non propalat peccata tua mundo, quorũ

te tan-

te tantoperè puderet, ſed peccatem te obtegit, & cùm tu honorem illius calces, ille tuo providet. O Deus amabiliſſime quàm indignè haberis! quando erit finis turpitudinis noſtræ?

SOLILOQVIUM UNDECIMUM.

An ſim in peccato mortali occulto. Seu, An peccata mihi remiſſa. Seu, An ſim in gratia quantũ conijci poteſt.

PUNCTUM I.

1. SI es in peccato, hæc omnia in te cadunt, *maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Ier, 3. id eſt, ex illis es, quibus: *Ite maledicti in ignem æternum?* Quanto maledictus magis, qui omittit, quantò qui ponit habitualiter contrarium? 2. Hoſtis es Dei, vide quem provocas? Coram quibus, coram quot peccas Angelis, & Creaturis coram tot, Pſ. *Poſuiſti me contrarium tibi & arbitraris me inimicum.* 3. Melius eſſet

ſet tibi, ſi natus non fuiſſes, melius ſi prius cum damnatis damnatus arderes, ſi omnes creaturæ te diſcerperent. Paul. *Irritas divitias patientiæ Dei*, 4. Quidquid per Baptiſmum lucratus, per bona opera, communiones &c. Solum ad damnationem ſervit majorem, pereunt omnia, & fortè irrevocabiliter pereunt. Ergo fruſtra baptiſatus es, fruſtra communicáſti; ſeminaſti, ſemen bonum abſtulerunt tibi volucres, ſpinæ ſuffocaverunt, per totam æternitatem famem patieris. S. Angeli te aſpiciunt, ut unum fœdum cadaver, horrent, fugiunt. Supplicium habet Angelus Cuſtos tecum morando ut vivus ſi mortuo jungeretur. Pſ. *computruerunt ut iumenta in ſtercore ſuo*. 6. Tam grata tua opera Deo, ut ſi hoſtis tuus capitali non deſineas eſſe hoſtis tibi genu flectere: dicis Deo Patri parce, dimitte; & Deus dicet, nec tu Chriſto meo dimiſiſti; dices Deo, da cœlum, ſed ita, ſicut la-

tro ſi

tro si veniret, si occidit filium Regis, & adhuc gladio cruento oraret filii hæreditatem, ó quàm grata oratio! 7. Omnia peccata clamant vindictam. Gen. *Ascendit clamor peccatorum Gomorrhæ ad me.* Clamabat sanguis Abel vindictam. Quomodo non clamabit & non impetrabit sangvis Christi, quem fundis, conculcas? Deus patiens, sed læsa patientia vertitur in furorem. Aug. tr. 47. in 30. *Vita carnis tuæ tua anima est, vita animæ tuæ Deus est: Quomodo moritur caro amissâ animâ, quæ vita est eius, sic moritur anima amisso Deo, qui est vita eius.* Ideoq; ... te veluti ex cadavere putrido exhalatur fœtor qui Deo ipsi molestissimus est. 8. Peccator diabolo traditus est in potestatem. Auctor imperfecti operis in Matth. *Sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur quo tempestas volverit sic & homo divino auxilio perdito per peccatum agit non quod ipse vult, sed quod diabolus vult.* Ideoq; graves tentatio-

nes, nunquam: Leviores non diu superabis, & eris Ps. 1. sicut *pulvis quem proiicit ventus à facie terræ.* B. Laurentius Iustinian, de perfect. grad. cap. 1. *Beatum dixerim eum cui datum est noscere, quid sit peccatũ, quid operetur in homine,* & ad quẽ in eo *perseverantem deducat finem. Per peccatum homo fit alienus à Deo, interemptor sui, gehennæ filius, confusionis domus, diaboli servus, dissipator naturæ, gratiæ illusor, gloriæ contemptor.*

PUNCTUM II.

AN simus in gratia, nos latet, Deus certitudinem sibi servat, ut timeamus, pœnitentiam agamus, humiliemur. *Gratia* est *vita* juxta scripturam & PP. *Peccatum mors.* Hinc & mortale dicitur. Iam verò ex isto habe hæc signa an sis in gratia. Etsi hoc sciri certó nequeat: *Primo.* Vivens non potest esse sine respirio: Tu si ne potes esse sine oratione. *Secundo.* Vivens non potest esse sine cibo & potu:

An fa-

An famem in te ſentis *Sacro* Sancti Sacramenti, ut *Sancti* qui verè fuerant in gratia? *Tertiò*. Vivens loco movetur, an quotidie pauciora committis, & ſingulis confeſſionibus es melior. *Quartò*. Vivens manus movet, aliquid agit, an tam multùm agas pro Deo quàm pro purgatorio & inferno? *Quintò*. Vivens videt: An vides gravitatem peccati, eum horrorem habes acſi infernum aſpiceres ante te, *Sextò*, Vivens audit: An ut Hyer. *Sonat mihi in auribus illa tuba; Venite ad iudicium*, Tu quid audis? Quid in tua mente ſæpius verſatur? *Septimò*. Vivens calorem habet: Quis fervor tui ſpiritus? Apoc. *Vtinam aut frigidus aut calidus eſſes ſed quia tepidus es &c. ſaltem te humiliares*, quia cæcus es nec advertis & non quæris pœnitentiam, *Octavo*. Vivens ſemper cogitat: cogitaſne de Deo ſemper? *Nono*. Vivens ſi tangatur minimâ re, ſentit, itane ſentis ſaltem peccatum veniale, quomodo ſi cultro

confi-

configereris? *Decimo.* Vivens gustu dignoscit sapida ab insipidis, lutum si in os illi injiciatur expuit, os eluit. Ecce de tuo ore quale lutum, quales sordes non prodeunt! *Undecimò.* Vivens si cor, caput illi aliquis impetat, mavult omnia membra perdere, obtegendo: Mavisne amicum amittere, quàm peccatum? Mavisne manum permittere tibi amputari, quàm verbum turpe loqui? &c. Et tamen si vivus es ita debes esse constitutus ut si non posses aliter vitare, hoc faciendum esset. *Si oculus tuus te scandalisat.* Ita fecerunt M. M. *Duodecimò.* In gratia existens est ut *pupilla oculi* si pulveres veniales magis fers quàm pupilla oculi, non es vivus.

PUNCTUM III.

VIde jam ne cadaver sis, & ista expende. 1. Si in conviviũ putre aliquod cadaver inferretur, en tu ad templum. Dum Angeli de aliis lætantur

tantur te infers. 2. Cadaver quoties erigitur toties cadit, quoties tu per confessionem erectus rursus recidisti. 3. Cadaver grave est, grave est surgere ad primum sacrum, grave ad opus Dei. Frigidum: Quis tuum calorem sētit? ita ut tuâ cõversatione reddatur melior, calefiat. 4. Cadaver semper destruitur, en quàm tu miserum cadaver, quia semper pejor. 5. Tendit ad terram, sordet terram; an vestibus, rebus terrenis, politicis, sæcularibus, non plus & plus afficeris? 6. Quamdiu illud aliquis movet, tamdiu movetur, postea jacet; quamdiu tibi dicuntur spiritualia aliquid moveris, deinde omnia cessant. 7. Nihil videt; si in peccatum laberis, non vides ante te infernum, Deum, Iudicem, dæmones, nec ita horres acsi videres. 8. Quò aliquis illud deferat sequitur: loquatur quis mala, loqueris, quo appetitus, quo ira, quo dæmon, quo malum exemplum trahit, ibis. 9. Non

corripitur tædio. Nec tu si sine rebus spiritualibus sis. 10. Quæcunq; sordes injiciantur non rejicit, muscæ insideant, non repellit, veniant bufones hærebunt. Heu me Deus meus si sum apud te cadaver. Tu es Deus viventium non cadaverum. Heu me si in peccato mortali ignoto jaceo & jaceo, si hæc in me sunt signa, quid sperandum. *Ab occultis meis munda me.* Heu me carbonem & titionem inferni.

PUNCTUM IV.

QUi est in gratia Dei recipit munera, est amicus Dei, ad omnia admittitur. 1. Ecce spatium habes pro tota æternitate colligendi, tantane aviditate congregas tibi, ut avarus, opes. ô stultitia! Stultos esse in scriptura idem est, quod in peccato mortali hærentes. 2. Si es in gratia sentires in te effectus Sacramentorum, impossibile enim ad ignem accedere, & non

non calefieri, nisi medius paries interstet. *Diviserunt inter me & vos peccata.* A communione ita debemus recedere ut *Leones ignem spirantes.* 3. In Sacramentis *confertur auxilium* ad vitanda peccata, plurane vitas ab illa Communione, confessione, & tamen fortè vitares si in gratia esses. *Confertur lumen* in intellectu, accepistine, æstimasne ita peccatum, ut æstimari debet? *Datur robur.* Rariusne cadis. *Datur impetus.* in bonum in voluntate ad bonum post Communionem sicut fit, cùm lapis impulsus est & sagitta cum projicitur. 4. Et tamen daretur tibi necessariò, nisi in peccato esses. Si non es in gratia, ergo indigne communicas. Ergo *iudicium tibi manducas & bibis.* Ergo id facis si quis in cadaveris putridi canini fauces hostiam imponeret. Ergo id facis, si quis sanguine Christi cloacam aut calceos ablueret, aut quæq; fœdiora. Ergo confessiones tuæ sunt damnationes tuæ.

Accedis ſicut Iudas ad oſculum Chriſti, ut eum non jam Iudæis, ſed dæmonibus tradas. Ergo quot Sacramenta ſuſcipis, tot ferè graviſſima ſacrilegia. ô miſer, ò peccator! ô cadaver vivum! Deus meus *reſpice in me & miſerere mei.* Reſpice hunc Lazarum quatriduanum in monumento, imò inferno jam ſepultum à dæmonibus. Sed tu fortè offenſus tantâ ingratitudine Pſ. 103. *Auferes Spiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.* Sed ſi tu obſtrues Homo *fontes Salvatoris*, reliqua ſine iis exareſcent. Gerſon tr: de parvul adhuc. *Et verò plerumq; fit iuſto Dei iudicio ut qui gratiam uel neglexerit vel repulerit, abutens donis Dei & talentis ſummi Patris familias in primo ætatis vigore dum ſat erat, poſtmodum ad eam veniendi nequaquam recurſus habeatur.*

PUNCTUM V.

CErtiſſimum, quia de fide, 1. Ioan.

2. v. 15. *Qui diligit mundum, non est charitas in eo*, id est non est gratia Dei. Nam charitas & gratia idem sunt, est itaque in peccato mortali. Iam veró juxta B. Isai. Abb. non tantûm mundum diligit sed mundus est Orat. 2. *Mundus est animi ad peccata distractio, mundus est cùm ea quæ naturæ sunt contraria sequimur, namque omne peccatum naturæ contrarium censetur, mundus est cùm carnis voluptates implemus, mundus est cùm arbitramur diu nos in hoc sæculo permansuros, mundus est cùm minorem animæ, quàm corporis curam gerimus. Mundus est cum iis quæ caduca sunt gloriamur.*
6. De corde exeunt malæ & bonæ cogitationes, si ibi est ignis volabunt scintillæ, si lutum, fœtores, quid horum apud te frequentius? Ex eo collige quid lateat. Si es in gratia, es in Deo ut gutta in mari, sentisne has flammas, per Deumne & in omnibus Deum vides ut Sancti qui etiam in mendicis Deum videbant, & ex minimis creaturis in-

contemplationem Dei abripiebantur? 8. Membra se invicem juvant, non se lædunt, aut oderunt, aut detrahunt, si es membrum Cristi per gratiam, amares, non læderes, juvares proximos, qui sunt membra Christi, quia esses commembrum, aut modò, quia es membrum putridum, mortuum alia etiam vis inficere. 9. Qui est in gratia, vivit vitâ divina, quæ est in vera intellectione, unde res æstimat sicut sunt. Sicut Sancti, & S. Paulus: *Arbitrabar omnia ut stercora, mihi mundus crucifixus* ut cadaver, ita ingratus. 10. S. Cath. Sen. Dial. 10, Deus Pater dixit eos in gratia esse *qui libenter patiuntur*. Quia ut S. Teresa. in Itin. *Quod maius signum volunt homines erga se divini amoris, quàm si fiant participes suæ crucis!* & Cypr. de bono Pat. *Non aliud magis iniustos discernit, & iustos, quàm quòd in adversis per impatientiam queritur, & blasphemat iniustus, patientiâ iustus probatur*, Ibid. *ut patientia bonum est Chri-*

sti sic

sti sic contra impatientia diaboli malum, & sicut in quo habitat & manet Christus, patiens invenitur; ita impatiens semper existit cuius mentem diaboli nequitia possidet. 11. Clim. Gr. 6. id ponit signū. *Id erit solationis delictorum certissimum indicium si semper quisq; debitorem se existimet.* 12. Mirabiliter mutantur per Baptismum, ut S. Cypr. de se 2. Epist. 2. & post Confessionem cum magna & vera contributionem peractam, ubi certum est homines accepisse gratiam. An forte in te non est si eadem non operatur? Ista sunt prodigia quæ Deus operatur quando confert gratiam. Ut mundum verè contemnat, vitam vilipendat pro virtute, se oderit. 13. S. Chrysost. hom. 54. in Genes. *Quemodo nobis superna gratia cooperatur etiam difficilia facilia videri.* Cooperatur autem ubi est. S. Greg. 4. Moral. 4. *Cum in nos ille Spiritus infilit, renovamur quia statim quod non eramus efficimur* sequuntur enim gratiæ actuales habitualem,

PUNCTUM VI.

LUc. 11. Venit Dominus ad arborem primo anno, nullus fructus: Vult exſcindere, detinetur precibus hortulani. Secundo anno idem fit. Tertio idem. Ecce jam Deus ad te 18. 20. &c. annis accedit. Quid agis? toties mentitus es Spiritui Sancto promittendo fructus bonos. Cave ne ſicut Ananias & Saphira morte ſubita tollaris. Arbor es maledicto obnoxia, terra es crebram pluviam recipiens, & fructus non proferens, in te Sangvis Chriſti perit. Si es in gratia in æſtate es, fructus feres: Si fructus non fers, in hyeme peccati hæres. 2. Quot peccata, toties te ſubſcribis in æternum mancipium dæmoni & fortaſſe hoc ipſum ſangvine Chriſti indignè communicando obſignas, delet Deus toties tuas ſubſcriptiones, cave ne fiat: *Curavimus Babylonem & non eſt ſanata derelinquamus eam.* 3. Si homo

ſæpius

ſæpius peccat cùm habeat ſufficientes illuminationes ad deſerendum peccatum fit cum illo quod Rom. *Tradidit eos in reprobum ſenſum in deſideria cordis, in &c.* & hoc eſt non tantùm eſſe in peccato mortali, ſed ad ſummam peccatorum veniſſe. Fit in intellectu excæcatio, ut peccatum mortale non multum curet, confeſſionem rejiciat, facillimè impingat, imò nec agnoſcat ſe graviter peccaſſe, excuſabit. Nihil eſt, non eſt hic tantum peccatum. *Peccator cum venerit in profundum contemnet.* Nonne tecum ſic agitur. Si malles peccare & peccas facilliús mortaliter, quàm ires ad mortem. Si narras tua peccata præterita, & memoriam habes eorum ac alicujus hyſtoriæ, veniſti in profundum, non tantum in peccato uno hæres, ſed in profundo ipſo peccatorum. Sequitur obduratio in voluntate, ſicut obduratum fuit cor Pharaonis: movebatur & ille prodigiis per Moyſen factis,

ſed ad alteram diem hoc non durabat, ſi ita movearis libro ſpirituali, voce monentis, inſtinctu, obduratus es. Potes dicere Pſ. *Miſer factus ſum, & incurvatus ſum uſq; in finem.* In finem. Niſi miſereatur, ſed quomodo miſerebitur quem toties deluſi? *In finem.* In æternum. In infernum. Miraculum debet ſupra me facere ut me ſuſcitet. Debet Deus Chriſtus ſupra me flere, ut cum Lazaro de monumento exſurgam. Sed faciet-ne? Sed merui-ne apud illum? Sed qui vel oculos ad illum levabo? Nullum bis aut ter ſuſcitavit. Si cui offeratur auxilium ſæpiùs, & illud rejiciat, ampliùs eo dignus non eſt. Ipſa dilecta Sponſa Cant. 5. quæ neglexerat ſurgere è lecto cum Sponſus pulſaret *Aperi mihi ſoror mea,* & non putans illum ad ſe venire excuſaverit ſe ne aperiret, Sponſum perdidit, nec revocare potuit, etiamſi ſe pœnitendo pro hac negligentia ita afflixerit ut *manus illius ſtilaverint myrrham*

tamen

tamen quæsivit eum nec invenit, vocavit nec habuit responsum, imò dum surrexit, eum quæsitum, pallio (fortè divinæ protectionis) spoliata, plagis affecta, aperiebat sponso ostium plenum, gratis erat: Implorabat opem à beatis filiabus Ierusalem, gratis erat. Tantúm riserunt ac si nescirent, quærentes. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Propter quem nec surgere volebas.

SOLILOQVIUM DUODECIMUM.

Mensura peccatorum.

PUNCTUM I.

NIsi convertaris dum vocat, irascitur ac deserit, & ut conversis dat favores, ita negligentibus iram. Ps. 69. *Non audivit populus meus vocem meam, nec intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis* Prov. 1. *Vocavi renuistis* &c. Matth. 27. *Ierusalem Ierus. quoties volui congregare filios tuos ut gallina &c.*

relique-

relinquetur domus vestra deserta. Ioan. 8. *Ego vado ad Patrem vestrum & quaeretis me, & in peccatis vestris moriemini.*

PUNCTUM II.

SAp. 11. *Omnia fecit Deus in mensura, numero, pondere.* Tempus, locum conversionis Ps. 14. *numerat multitudinem stellarum:* Si tempore debito conversaris, bene; alias peribis ubi mensuram attigisti. Hinc aliqui in actuali peccato pereunt, ita Iudaei post multa pecata non ita puniti, sed ubi ultimum fecerunt visa terrâ despe rando numer. 14. *Usquequo detrahet mihi populus iste; feriam eos pestilentiâ atq; consumam, nec Moyses* exoravit ut alias. *Tentaverunt iam me per decem vices*, Ecce numerus peccatorum. Gen. 15. quando promittebat terram Iudaeis iussit exspectare. *Quia nondum impletae sunt iniquitates harum nationum*. Aug. lib. de vita Christiana. c. 4. *Quo exemplo manifestissimè instruimur & docemur*

singulos

singulos secundùm peccatorum suorum plenitudinem consummari, & tamdiu ut convertantur sustinet, quamdiu cumulum suorum non habuerint peccatorum consumatum. Implete mensuram Patrum vestrorum. Chrysost. lib. contra gentes de Babyla, Scelera Iuliani Imper. numerando, quærit, Quare Deus eum non combussit cœlesti igne, quo combussit idolum Daphnes & templum quod ille restituere parabat. *Quia nondum impleverat mensuram peccatorum, & tempus quo illum Deus ad pœnitentiam expectare decreverat.* 3. In aliis tempus brevius in aliis longius, quo diutiús tolerat eò puniet pejus. Rom. 2. *Existimas ô homo qui talia facis, quia tu effugies iudicium Dei. An divitias bonitatis eius, & patientiæ, longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas &c.* Fortassè ultimum est peccatum, fortasse ultima hora, de salute agitur, & de pœnis inferni. 4. Etiamsi ipse Moyses amicus Dei pro te oraverit non impe-

impetrabit quidquam. Exod. 23. *Reversus Moyses ad Dominum ait: Obsecro Domine aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis dele me de libro tuo quem scripsisti.* Tam resoluta erat oratio, sed quid? *Cui respondet Dominus. Qui peccaverit mihi delebo eum de libro meo, tu autem vade &c. ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Etiam si vellet orare in utero sanctificatus Ierem. 7. dicetur illi. *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te, nonne vides quid isti faciunt?* Ezech. 13. *Si fuerint tres viri Noe Daniel & Iob. Vivo ego dicit Dominus non liberabunt filios neq; filias, sed illi soli liberabuntur.* De quo S. Cypr. serm. de lapsu. *Adeo non omne quod petitur in praeiudicio petentis, sed in dantis arbitrio est.* Ibidem. *Nec euasisse te credas si te poena interim distulit, cùm timere plus debeas quem sibi Dei iudicis censura servavit.* 3. Quis scit an non Deus de te dicat.

1. Reg.

1. Reg. 9. 14. *Iuravi Domui Heli, quod non expietur iniquitas domûs eius, usq; in æternum.* Ait scriptura de Antiocho 2. Mach. 9. *Orab at scelestus Dominũ à quo non erat misericordiam consecuturus.* 5. Tum fit cum homine ut Ps. 39. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus* id est amplius Deus non numerat ut parcat. *Comprehenderunt me iniquitates meæ* (ligant) *non potui ut viderem* (& lumen intellectus excæcatur) *multiplicatæ sunt super capillos capitis mei* (tum desperatio una exoritur, & Peccator sicut Cain ait: *Maior est mea iniquitas quam Dei misericordia. Et, cor meum dereliquit me.* Nec voluntas nec animus ad dolendum, ad pœnitendum superest: sed morte subitâ pereunt, vel talibus circumstantiis ut moraliter pœnitere non possint. Sic Pharao cum exercitu in mari periit, postquam tot miracula spernendo, mensuram complevit. Sic Achabi milites ad Eliam missos ignis de cœlo devo-

lo devoravit. Sic Dathan & Abiron terra absorbuit, Saul profligatus prius, tum se confecit. Iezabel ex fenestra præcipitata & pedibus equorum conculcata. Nero se ipsum interemit. Iulianus Apostata. Commodus, Constantius miserè periêre. Sic 1 Reg. 3. *Iudicabo domum Heli in æternum &c. Idcirco iuravi domui Heli, quod non expiabitur iniquitas domus illius victimis & muneribus usq; in æternum;* & tamen unicum fortè, peccatum Heli fecit, sed eo implevit mensuram, & damnatus est, licet antea sanctissimè vixerit. Ita Hier. Basil. Greg. Chrisost. Iam verò si conceditur major mensura, ad hoc est, ut veluti stagnum magis rupto aggere obruat. Greg. mor. 55. c. 12. *Quia optimus Deus ad pœnitentiæ tempus indulget, quod tamen humana malitia ad usum suæ iniquitatis intorquet, iusto Dei iudicio augeri culpa permittitur, ut ad feriendum altiùs quandoq; cumuletur,* & tu interim rides, & pergis, sic

Gen.

Gen, 14. faciebant & Sodomitæ, cùm Deus de illorum interitu agebat cum Abrahamo, sic Dathan Core & Abiron. Num. 16. in suo peccato hærebat, cùm Deus cum Moyse de eorum damnatione consultabat, quis scit an non & cum tuo Patrono agat de te?

SOLILOQVIUM DECIMUM TERTIUM.

Iudicium Extremum,

PUNCTUM I.

Iudicis Persona.

1. **V**Eniet ut ebrius Ps. 77. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos.* 2. ut igne flagrans Ps. Facies ejus talis ut intuitu ejus *tabescant peccatores à facie Dei* 3. Sicut hostis armatus si irruat supra te. Prov. *Assumpsit galeam* &c. 4. Sicut torrens rupto aggere, nunc misericordia est vallis justitiæ. Ps. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum* &c. 5. Sicut Lo-

stis

ſtis calcans hoſtem. Ezech. *Ridebo, ſubſannabo, & conſolabor.* 6. Omnes Sancti trement. Petrus ait. *In illa die iuſtus vix ſalvabitur.* 7. Ita totus irâ ardens ut ipſos carbones poſſet accender. Pſ. 17. *Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* 8. Quomodo affectus? Sap. 5. *Illos autem Dominus irridebit* (en ſolatium! en clementia! en quomodo illud cor in adamantem converſum) *iam verò accipiet armaturam, zelus illius ad ultionem inimicorum* (quaſcunq; pœnas hactenus impiis inflixit ut Sodomæ, Datani &c, nihil ſunt, inermis fecit, ibi quaſi omnipotentia non ſufficeret) *& armabit creaturam ad ultionem inimicorum* (ſicut furioſi inclamant; cui pietas cordi, cui virtus, in hoc ſceleſtum caput ruite) *induet pro thorace iuſtitiam* (ut cor ejus nullâ miſericordiâ flectatur) *& accipiet pro galea iudicium certum* (ut leniorem ſententiam, quàm ferream, & quàm ex

galea

galea non cogitet) *sumet scutum in ex pugnabile æquitatem* (ut nihil precibus Sanctorum, nihil intercessionibus tribuat, sed hæc omnia ueluti scuto jacula rejiciat) *acuet autem diram iram in lanceam* (hebes nimirum hactenus fuit & tantum quasi in ore gladius ut in Apoc: tantũ minæ) *& pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos* (quid putas? Mater, Frater, Cœlum, Terra contra te unum omnia decertabunt, & in interitum urgebunt) *ibunt directæ emissiones fulgurum, & tanquam à bene curvato arcu nubium ad certum locum insilient* (quod pectus tantum telum excipet quod curvatæ in arcum nubes ejiciunt) *à petrosa ira* (tam implacabili, atq; scopulus ex quo scintillam ignis potiùs excutias, quàm flectas) *mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris* (en ipsa aqua supra naturam veluti ferrum candens præ ira contra illos scintillat!) *& flumina concurrent duriter, contra illos stabit Spiritus*

ritus virtutis (omnipotentia Dei tota) *& tanquam turbo venti dividet illos* (heu dividet ab omni solatio, ab omni spe, ab omni auxilio, ab omni beatitudine, ab omni amico, heu dividet, & dividet in æternum) *& ad eremum deducet omnem terram iniquitas illarũ* (tam multi damnandi ut ducatur omnis terra ad infernum, in quo veluti in deserto inter medias feras errabundus homo) *turbabuntur horrore terribili præ angustia Spiritûs gementes, & malignitas evertet sedes potentium* (Regum, & Principum thronos ut amplius nõ erigantur) Heu me! heu me! Iob. 6. 7. *Si locutus fuero non quiescet dolor meus, si tacuero non recedet à me.* Con*clusit me Deus apud iniquum, & in manibus impiorum eius me tradidit, collegit furorem suum in me, comminans mihi infremuit contra me dentibus suis.* Iob. 19. *Iratus est contra me furor eius, & sic me habet quasi hostem suum.* Iob. 30. *Mutatus es mihi in crudelem & in duritia ma-*

nûs

nûs tuæ adversaris mihi) ipsi Sancti, & Angeli si eos invocare cogitaveris horribilem vultum tibi exhibebunt. Sicut si Filia Regis in fornicationem lapsa auxilium fratris invòcet, citiùs pugionem experietur. Ps. 149. *Gladii ancipites in manibus eorum* (Angelorũ) ad *faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Contra te vindictam urgebunt, & clamabunt. Ps. 7. *Ecce parturiit iustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatẽ. Convertetur dolor eius in caput eius, & in verticem eius iniquitas descendat,* ut in confusione maneas sicut cum proles talis Virginis in luce imò super caput ejus poneretur, ut omnes spectarent; dolorẽ concepit, in caput ejus redeat, & quam peperit iniquitatem in verticem ejus ascendat.

PUNCTUM II.

Instigatores.

1. INfantes sine Baptismo. 2. Gentiles. 3.

les. 3. Angelus Custos. 4. Angeli motores cœlorum, & Elementorum &c. Ps. 49. *Advocabit cœlum desuper, & terram discernere super populum suum.* 5. Parentes tui. 6. Confessarii. 7. Socii, tuo exemplo damnati. 8. S. Patroni. Ps. 149. *Et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam &c.* 6. Regna, quia ut quærat unum, totum regnum evertit, multa mala pœnæ immittit; Ut propter Davidem 70000. punita, ob furtum Achan. 9. damnati pro uno mortali. 10. Salvati cum paucioribus auxiliis. Omnes hi clamabunt ut ille infans, *Occidisti. vindica, vindica.* 11. Illi qui si tu meliùs vixisses per te tuo exemplo assurrexissent, conversi fuissent, tuâ oratione salvati, & rursus, qui per illos conversos ad meliora fuissent adducti. 12. Sancti quia cúm oravissent pro te, áuxilia à Deo tibi impetravissent tu noluisti. 13. Martyres, qui in tuum exemplum permissi sic cædi ut 2. Math.

Matth. 6 Eleazarus propter exēplum dandum voluit mori, etiamsi potuisset alias Tyrannum deludere. *Adolescentibus exemplum fortè relinquam si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honestâ morte perfungar:* SS. Confessores qui se afflixerunt, ut maneret tibi exemplum Habac: 2. *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum est respondebit: Væ &c. Repletus es ignominia pro gloria bibe tu quoque & consopire circumdabit te calix dexteræ domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.*

PUNCTUM III.

Modus.

1. QUasi per otium Ps. *Cum accepero tempus iustitias iudicabo.* 2. Summâ diligentiâ. *Scrutabor Ierusalem in lucernis.* 3. Quasi soli sibi non fidens. Ps. *Aduocabo cœlum desuper discernere super populum meum, ut inspiciant.* 4. Maledicere omnes sancti uni incipient.

ent. 5. Ita rigidè quasi injuriam esset facturus, & malitiosè omnia carpturus. Ps. 17. *Cum perverso perverteris.* 6. Tu peccator intra te dolore, pudore, coquêris cum abditissima omnibus patefient. Ps. 19. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* 7. Vitæ singula instantia inspicient, quid commissum, quod omissum. Comparabunt peccata cum Gentilium, & Ethnicorum peccatis, 8. Decretum Sanctorum, in æternum in æternum, tota æternitas pœnarum ante oculos constituetur. 9. Liber scriptus proferetur. 10. *Quid sum miser tum dicturus, quem patronum rogaturus.* Quando Isai. 30. *Labia eius* Iudicis, *repleta sunt indignatione & lingva eius quasi ignis devorans.* 11. Non excusabit mala intelligentia, aut aliquid simile, sicut non excusavit *Saulem* ab inobedientia quod ei Deus præcepisset voce *Zachar:* quæ & memoriam

& ma-

& maſculum ſignificat; quód non deleverit memoriam Amalech ſed ſolùm viros.

PUNCTUM IV.

Sententia.

MAtth. 52. *Serve male, & piger, ſciebas, quia meto, ubi non ſemino, & cõgrego, ubi nõ ſparſi &c.* 2. Pſ. 57. *Lætabitur iuſtus, cũ viderit vindictã &c. Manus ſuas in ſãgvine peccatoris lavabit.* Ut gladiatores occiſo antagoniſtâ. 3. *Diſcedite à me maledicti.* Pſ. 118. *Maledicti, qui declinãt à mãdatis tuis.* Hoc ſalutiũ Peccatoris Malach. 1. *Qui votũ faciẽtes de grege ſuo immolãt debile & cõtẽptibile domino, hi etiã maledicti ſũt.* 4. Tunc incipiẽt Apoſtoli maledicere. Hier. lib. 3. in Matth. 19. *Sedebitis & vos in ſoliis iudicãtiũ, cõdemnãtes duodecĩ tribus Iſrãél; quia vobis credẽtibus, illi nõ crediderũt.* 5. Tũc omnes Creaturæ lætari, quòd liberẽtur ab obſequio hoſtis divini, & quòd ille, qui eis abutebatur,

puniatur. Psal. 97. *Flumina plaudēt manu, simul mōtes exultabūt à cōspectu Domini; quoniā venit iudicare terrā.* Rō. 5. *Vanitati subiecta est Creatura, nō volens, sed qui subiecit eā in spe*, humano modo loquendo, nimirum quasi sperabat Deus, quòd eâ homo esset bene usurus, quia & ipsa liberabitur à servitute corruptionis; & licèt videant se in cineres redigendas Creaturæ, gaudebunt tamen, quòd hostibus Dei amplius non sint servituræ. at si quos prædestinatos & salvandos viderint, contra eos nullus accusator os aperire poterit, ut contra amicos Iudicis Rom. 8. v. 33. *Quis accusabit adversus electos Dei?* Et licèt aliquid occurreret, *Deus iustificat.*

PUNCTUM V.

CRedisne hæc? An sunt fabulæ? Si credis. 1. Quomodo laborat captivus, ut evadat. 2. Æger ut sanetur. 3. In carcere positus, nesciens suam sententiam. Qui in tabula è naufragio in

gio in mari natat. Ut Iob. *Sicut fluctus tumentes super me*, 4. Qui inter aliquot cibos scit venenum sibi appositū. 5. Qui fugit hostē, & audit jam illum vestigiis suis inhærentem. Diabolus est in vestigiis peccatoris. 6. Reus, qui ad patibulum, ad gladium ducitur. Pompa tota, quam in sæculo habemus, apparatus mortis, quia affectus peccatis Adæ. 7. Si timet aliquis ne deprehēdatur in scelere, ut adulter audiens maritum, fur &c. nos tales; fortasse statim pulsabit januam. 8. Qui cadit ex alto loco, ecce nos ruimus in infernum, quare non arripimus, quæ possumus, brevi cademus. 9. Si lapis alicui alligetur, cum quo mergendus, & eum ferat, Nostra peccata nos mergent in æternum. 10. Si quis Regem mactet, ubiq; inquiritur, ecce homicidæ Christi. Sic gerere nos debemus. Nec mirum, quod dixit quidam *ad Iudicem venturi sumus, & rides.*

SOLILOQVIUM DECIMUM QVARTUM.

De eodem.

PUNCTUM I.

1. QUantùm Christus misericordiâ excessit usq; ad stultitiam & scandalum. Rom. *nos prædicamus Christum Crucifixum, Gentibus stultitiam, Iudæis scandalum*, ut, si Rex pro cane moreretur: tantùm iustitiâ, ut non Iudex, sed velut in sua causa furens, qui nihil dijudicat, nihil discernit, non audit excusationes. Id Ps. *Deus ultionum Dominus* verba ejus Apoc. *gladius egrediebatur de ore eius*. Ps. *cum perverso perverteris*. Sicut causidicus videbitur impiis; qui tuam causam ante tenuit; postea contra te stet; ut vix ulli reproborum videatur justus, sed perversus Iudex. Perversitas videbitur; *Iustitias iudicabo*. Id est damnabo. Ps. *in tertiam & quartam generationem* id, quidquid avus, quidquid nepos fecit, adducē-

adducetur. Heb. *Thesaurizant sibi in die iræ.* Singulis momentis avarissimus minuta colligit, & servat, per foramen in cistam injiciendo, ubi rumpetur post annos 60, 70. &c. Imò remissis peccatis terrebimur, Eccl. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Multi miracula facientes, sancti visi, & devoti, & damnabuntur, Ita Matth. *Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus.* Multi qui sibi videbantur innocentes, & mirabuntur se damnari. Id. *erravimus*, Matth. 24. *Quando te vidimus esurientem vel egentem?* Qui putabant se obsequium præstare illi bono zelo. Lucæ. *Qui vos occident, putabunt se obsequium &c.* Matth. *In qua mensura mensi fueritis*, mensura peccati infinita id quæ sciendo ipsique sanctissimè vixerunt, ita timebant comparere ut August. 9. Conf. 13. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam.* S. Euphrasia saltem unum annum ad pœnitentiam precabatur. S.

Arsenius moriẽdo tremuit, ut lachrymando diceret, se timere Iudicem. S. Arnulphus Episcopus, veluti exercitum sese obruentem timuit. S. Hilarion animare se debuit. *Egredere anima, quid times? 70. annis Christo servivisti*, Ita & S. Agathon Abb: cum summo timore è vitá egrediebatur. Nec mirum: Experiemur & nos sed tardè hunc metum. S. Chrysost. apud Vilelam in praxi. *Quod morientes pati videmus, rotare dentes. erigere capillos, convellere lectũ, attollere pectus, deficere respiratione. ratio reddenda animam terret.* S. Nilus. *O lugubre & amarum silentium! o gelu flebile! cogitur anima egredi; & nescit ad quem itura sit terminum. hinc proveniunt sudores illi frigidi, hinc crebræ conversiones, & faciei tam timidæ corrugationes* S. Ephrem. *Non vides, quomodo oculi eorum, qui morientur, conversi sunt in aquam lachrymarum; & totum corpus in terram, sed multò magis anima in ignẽ?* *Non vides quomodo, è lecto exire velint, &*

fugere

fugere, quamvis non possint? Quomodo ad singula momenta oculos claudunt, & reserant, locumque immutant? Intelligite quid hic rerum agatur. Quia vident res nunquam visas, & audiunt nunquam auditas, quærunt amicos, & non inveniunt, suspirant pro adiutorio, sed nemo tantum animi habet. Non dicant medici, quòd lingvæ perplexitas, oculorum cavitas, mentis alienatio, sint effectus infirmitatis; nam sunt terribiles exercitus alterius vitæ, qui misero comparent. Signa Iudicium præcedentia Hier. numerat. 15. Mare ad 40. cubitos supra omnia ascendet. 2 descendet mare profundissimè, ut superbi sciant se humiliandos, juxta illud Ps. *Mirabiles elationes maris.* Et Naum *Increpans mare & exsiccans illud.* 3. bestiæ marinæ egressæ gement. Iob. 12. *Loquere Terra, & annunciabit tibi & enarrabunt pisces maris.* Hoc choreas terrebit, 4. Mare. ardebit; luxuriosis hinc metus. 5. Omnes sylvæ & plantæ sangvinem sudabunt. Ioel. 2.

In diebus illis, dabo prodigia in cœlo & terra sanguinem & vaporem fumi, Idem Sybilla prædixit. 5. Aves in uno loco gement sine cibo, arguendo gulosos. 6. Omnia ruent Matth. 23. *Non relinquetur lapis supra lapidem*. Hic finis luxûs. 7. Mare ardebit. 8. Fulmina pro ira. 9. Terræ collisio & petrarum fiet pro obstinatis. 10. Terræ totius Motus. Apoc. 16. *Et factus est terræ motus magnus; qualis non fuit, ex quo homines esse ceperunt*. 11. Terra in pulveres redigetur, Isai 40. *Omnis vallis implebitur*. 12. Homines è cavernis prosilient ut amentes. 13. Sepulchra aperientur Ezech. 37. *Ego aperiã tumulos vestros*. 14. Stellæ cadẽt. 15. Omnes vivẽtes homines morientur. Iure Aug. Med. 4. *Deus Deorum Domine præstabilis super malitia, novi quod non semper silebis, cùm in conspectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas valida ingruerit, cùm advocaveris Coelum & terram discernere super populum tuum, & ecce coram tot mil-*

tot millibus populorum nudabuntur iniqui-tates meæ, tot agminibus Angelorum pate-bunt universa scelera mea. Tot Iudicibus inops adstabo, quot me præcesserunt in o-pere bono, tot arguentibus confundar: quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla, tot convincar testibus: quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos iu-stis dederunt actionibus. Domine cor non suppetit quid dicam, non occurrit, quid respondeam. 16. Sua erga te beneficia Christus (hoc S. Mechtildis experta in raptu lib. 1. Grat. Spir. c. 12.) ex-probrabit. 17. Sancti urgebũt damna tionem & ridebunt. Ps. 51. *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.* 18. Angelus Custos, sua monita, instinctus gratis datos exaggerabit. 16 Exami-nabitur, an omnibus talentis plenè u-sus fueris, memoriâ, ingenio, voce, manu, oculo, an omnibus occasioni-bus, sociis, divitiis, de uno quoque nummo quomodo acquisitus, expen-sus. Quia Regula Dei est juxta quã

operandum Eccleſ. 9. *Quodcunq; poteſt manus tua inſtanter operare.* Iam de ſubditorum peccatis, de ignorantia in rebus ſalutis, de exiguo in bono profectu. 20. (*Lege Soliloquia purgatorium*) quam levia Deus graviter apprehendat & puniat. 20 Reſpicient aliqui ſua opera bona; ſed aut reſpondebitur Luc. 16. *Recepiſti bona* (pro eis) *in vita tua.* Vel Ier. *In ieiuniis veſtris invenitur voluntas veſtra*, vel quia ob vanam gloriam facta, vel cum defectibus, vel in peccato mortali, ideoq; multis dicetur Matth. 7. *Non novi vos, diſcedite à me operarii iniquitatis*, Putabant ſe confeſſos peccata; ſed quia vel dolor, vel propoſitum deerat, patebit eos in iiſdem eſſe. 21. Nulla excuſatio, nulla dignitas curæ. 21. *Diſcedite* hactenus ego Reus veſter Pater. *maledicti*, hic ſolus vobis titulus manſit, & quidem maledicti à Cœlo, â terra damnati, & ab omni creatura, Eras quidem homo pro Cœlo creatus; ſed in

ſed infernum elegiſti, hunc h b .
Tum Pſ. 10. *pluet ſuper peccatores laque os ignis & ſulphur; & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Tum tonitrua, túm alligatio ad certum locum, heu me Iesai, 13. *Quis habitare poterit cum igne devorante, aut cum ardoribus ſempiternis?* Ego ego potero? Heu me! quomodo? Tamen hoc eligo, dum pecco. Et ita in æternum & inter ſolos maledictos ero Ita. Dæmonum mancipium? Ita. Quis cibus? Fames, & ignis & ſulphur, Quæ veſtes? Eccl. 19. *Putredo & vermis.* Qui ſocii libertas? Naum *Sicut ſpinæ ſe invicem complectentur,* unus alium execrando, torquendo. Oculisq; auribus, naribus, ori erunt ſua tormenta. In memoria perpetuo ſtant vitæ peccata totius. 22. Etiam Iudex illa damnabit; quæ homines putabant, ſe ſummo zelo agere, ut Tyrannos Martyrum. imò quæ pro Nomine ipſius Christi. *Nonne in Nomine tuo dæmonia eiecimus* 2. c. 23. Quid ſi latus tibi
Chri-

Christus porrigat & dicat, ut Cæs. Arel, Hom. 27. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce; quid pro te impio pietas divina perpessa est.* Vel quod Aug. lib. 2. de symb. c. 8. *Vide hominem, quem crucifixisti; vide vulnera, quæ inflixisti, quoniam per te, & propter te apertum est, & tamen intrare noluìsti.* Vel quod Bonav. P. Sum. c. 2. *Videte, quanta à vobis, & pro vobis passus sum; & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis. Ite maledicti in ignẽ æternum.* Quid si adhuc & sangvinem haustum è latere in te sparget, quod in vita B. Franc. Borg. apud Nieremb. uni moribundo fecit, ut quem effudit in tuæ salutem animæ; is tibi cruor in æternam damnationem cedat. Ubi tum manebis miser! Cypr. serm. de Asc. Christi respondet. *Infinitis tormentis* heu infinitis! Ait idem ibid. *continuus erit & superfluus lachrymarum decursus, stridorem illum dentium*

flammæ

flammæ inextinguibiles agitabunt, &c. In proprio adipe rixæ: bullient libidines, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur; & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget: Non miserebitur ultrà Deus neque tunc audiet pœnitentem. Malach. 3. *Quis potest cogitare diem adventus eius! Aut quis stabit ad videndum eum! Ipse enim quasi ignis conflans.* Sit itaq; pro clausula in vitis PP. lib. de Compunct. Ammonis Abbatis dictum. *Vade, & talem fac cogitationem tuam; qualem faciunt iniqui, qui sunt in carcere; illi enim interrogant homines, ubi est Iudex! Et quando veniet! Et in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Ita & tu debes semper suspectus esse, & animam tuam obiurgare dicendo.* V æ mihi, *quomodo adstare debeo ante tribunal Christi, & quomodo habeo ei actuum meorum reddere rationem! Si igitur semper sic meditatus fueris; poteris salvus esse.* poteris, etsi nondum te assecurem. *Et in Angelis enim*

reperit

reperit pravitatem, non dedit locum pœnitentiæ; rudentibus ad inferos detraxit. At si sic argumentatus fuero. Melior est bos, quàm centum millia muscarũ, & unus Angelus, quàm centum millia hominum, & Archangelus, quàm centum millia Angelorum, & sic ad nonum chorum; quoto denique loco ponemus unum hominem respectu Luciferi! quoto respectu omnium Angelorum, at his ob unum peccatum non pepercit. tantopere deformavit, execrabiles fecit, auxilia subtraxit; ut nil, nisi mali agant, quid fiet de homine, & pro tot peccatis, at Angelus infinitè vilior Deo. Ergo multò magis homo; ergo multò gravior offensa ab homine profecta in Deum, ut pote à viliore persona. Anima mea quid agimus!

PUNCTUM II.

ZAch. *Videbunt in quem confixerunt. Amos quærit, in quo te confiximus!* in

jeiuniis

Jejuniis, decimis &c. Aspicite me. Quid inde orietur. Ps. *tunc incipiet veluti conculcare.* Abac. 3. *In furore conculcabis terram.* Ps. 18 *Constitue super eum peccatorem*, id est accumula peccata, *& diabolus stet a dextris eius.* Id est tanquam mancipium teneat. *Cum iudicatur, exeat condemnatus;* si aliquid effutierit, magis offendat. *oratio eius vertatur in peccatum. Fiant dies eius pauci*, id est bona opera annihilentur, *& Episcopatum eius accipiat alter*, labores ejus & merita, aliquomodo alteri imputetur. Dicetur vel intentio vitiata, vel attentio, vel ex habitu, vel oblivione, surreptione, casu, factum; & omnibus modis quibus nos excusamus nostra peccata, bona vertentur, non ut videas, etiam quod fecisti, non tibi debere adscribi, sed quia tantis auxiliis præventus, ut ferè fueris coactus, vel monitis, legibus &c. *Non sit illi adiutor, nec sit, qui misereatur pupillis eius, fiant nati eius in interitum, in generatione*-

neratione una deleatur nomen eius, id eſt, non ſit inter eos quid unũ charitate, & unius cordis; quale in Cœlo. *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius in conſpectu Domini.* Id eſt, ut non ſolúm ob ſua peccata, ſed totius domus ſuæ aliquomodo ſit exoſus Deo. *Et peccatum Matris eius non deleatur.* id eſt, non tantùm ille, ſed & mali amici ejus, ad majorem ejus calamitatem, cum illo damnentur. *Fiant contra Dominum ſemper.* Id eſt, quamdiu? Semper, in æternam damnationem, quamdiu Deus erit Deus. *Vermis*, Iſai. *eorum non morietur, & ignis non extingvetur. Et diſpereat de terra memoria eorum.* Id eſt, de terra viventium. Æternùm valete Sancti, æternùm valete Patroni, valete amici, qui in Cœlo eſtis; nulla apud vos amplius erit memoria mei, niſi talis; qualem habet familia aliqua illius; qui propter furta & latrocinia in rotam actus, vel in partes ſectus. *Fiat ei maledictio ut veſtimentum, quo o-*

peritur

peritur, & sicut zona, quâ semper præcingatur. Sed quare! *pro eo, quòd non est recordatus facere misericordiã.* Ex oblivione tantùm aliis non fecit bene, quid si ex malitia! Quid si damna fecisset! Quid si &c. Diune hoc durabit! Ps. 91, *Vt intereant in sæculum sæculi; tu autem altissimus in æternum Domine.* Altissimus recessit ab illis altissimè cum omni misericordia, cum omni spe, cũ omni solatio, cum omni liberatione, cum omni auxilio, & hoc in æternum! O miser! quid tunc cogitabis, quando hæc de te fient, & tam facilè, fient; quàm facilè si semel peccásti mortaliter, nescis; an sit tibi remissum: tam facile, quàm facile verbum tibi proloqui, quo pecces graviter, oculum movere, manum, cogitationem, quâ pecces graviter. Chrisost. de Virgin. c. 84. & fiet hoc tum. *Quo tempore nemo nos reconciliare Deo poterit, ne si quidem pari libertate sit illis magnis & admirabilibus viris, etiamsi Noè, si Iob, si Daniel,*

etiam

etiamsi pro liberis propriis, aut tam ferventer ac pro filiis propriis, *deprecetur; nihilo tamen plus proficietur, tantùm necessariò superest, ut sontes perpetuò torqueantur &c. quodsi ipsum etiam invocaverit Abraham, nihil id ei fuerit adiumento.*

PUNCTUM III.

POstquam semel damnavit, ampliùs non mutat decretum; ampliùs quàm sex millibus annorum ardent Angeli, non miseretur, & ob unum peccatum ardent! 2. Nemo ejus potest manus effugere; de Cœlo ipso detraheret, de profundo maris extraheret, nullus fallere, omnes excusationes discernit & præcognoscit. 3. Si factum non videtur malum, intentionē discutit, an purè propter Deum, an propter commodum, ostentationem, an non potuerit fieri melius, an alter, habendo hanc commoditatem, meliùs fecisset, an cum diligentia factum, & ita omne dictum, factum, cogitatū

gitatum expendet. Tempus ipsum, per momẽta, instantia, excutiet. Quid benè tunc fecisti! Quid poteras! Quid dignum erat ut faceres! 4. Si quis unus homo tam esset severus, ac omnes simul, quotquot ab initio fuerunt rigidi & austeri, nihil eorum rigor respectu divini: Si Angeli Iudicarent Custodes, qui omnia vident, Deus magis videt. Si ille Iudex esset, quem graviter læsimus, hic Deus est. Si ille, qui in nos beneficia contulit, & nos illi, qui hostes ejus incitavimus ut ei vitam tollerent, hoc fecimus, & hic est ille, Deus. 5. Si de centum millionibus memoriter, & de expensis per nummos reddenda esset ratio, de tot aut pluribus reddenda. 6. Si ille judicaretur, cui sæpiús indultum & illi misericordiâ abusus, nos hi sumus. 7. Si contra unum, mille causidici, contra rudem, peritissimi, contra hebetem, eloquentissimi, ecce contra me & mundus, & Angeli, & dæmones, tot

testes

testes contra unum! 8. Si amici, Parentes, Soror, Mater, Frater, contra te agant; ecce in *Sanctorum manibus gladii ancipites, ut faciant vindictam.* 9. Illa adducentur, quæ vix aliquis arbitrabatur esse peccata. *Esurivi, sitivi* &c. meræ omissiones; quas vix aliquis confitetur, & tamen ob hoc damnat. 10. Si Iudex videatur profiteri, quasi injustitiam; ut magis rigorem declaret, dicat, se pro mala ac bona causa damnaturum, hoc est rigidè disquisiturum: Et ecce *Iustitias iudicabo.* Et ecce. *Serve nequam, Ego meto, ubi non seminavi.* 11. Si misericordiam preceris, ridebit. *Cōsolabor* (*ait*) *de inimicis meis.* 12. Quàm plurimos, ut Confusionem augeat, adducet. *Advocabit Cœlum desuper & terram, discernere super populum,* ut sic magis confundamur. Et hæc est materia risûs nobis. Bene quidam. *Deus iudicaturus orbem, & ego ridebo!* Quid me in spem eriget tot scelerum conscium! *Renuit consolari anima mea.*

Heu

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Mihi veró quid superest. *Dicam Deo, noli me condemnare. indica mihi, cur me ita iudices, nunquid bonum tibi videtur si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum* (id est dæmonum) *adiuves.* Sed hoc Iob potuit dicere. Ego verò potiús. *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me; donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei!* O utinam! 13. Si Cœlis Sanctos detraheres, ex Angelis dæmones faceres, omnes homines dirissimis cruciatibus enecares, & ab iisdem iudicandus sistereris! Ita est. Tuum peccatum fuit causa; quòd multi peccaverint, ad infernum jerint, imó plús mali est peccatum; quia est injuria Creatoris, & sicut injuria Domini, in famulos, Patris, in filios redundat, ita Creatoris in Creaturas, & ideo advocabit *Cœlum & terram discernere super populum.* 14. Matth. 25. Cui

talentùm unicum creditum eſt, non amiſit illud, non in contumeliam vertit Domini, & tamen dictum de illo, *inutilem ſervum eiicite in tenebras exteriores ubi erit fletus & ſtridor dentium:* Et tamen videbatur ſibi prudéter agere, videns enim Dominum ſeverum recondidit, ut integrum redderet. Quid ſi ſicut tu &c. 15. S. Cypr. Ser. Eleemoſy. ſic dæmonem inducit contra homines apud Chriſtum agentem. *Ego Chriſte, pro iſtis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec Crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſſionis & Crucis redemi, ſed nec cœleſte regnum illis promitto* (ut tu, & me tamen ſecuti) &c. Ajo cum eodem ſerm. de lapſis (paucis mutatis) *Quid obtendere poteris, ut tuum crimen purges? Nonne labaſcet greſſus, caligabit aſpectus, contremiſcent viſcera, brachia concident. Stare illic poteris & reſpondere diabolo cui pridem renuntiaſti Chriſto. Cor tuum ipſa ara eſt, in*

qua

qua vitam tuam Diabolo immolasti: hostia ipse es, ibi salutem tuam & spem tuam ei tradidisti: Quis siccos oculos, vel cogitatione futuri, tenere valeat, nec erumpente fletu totus in lachrimas ab eat? Hic jam Iudex apponet Mich. 6. 3. *Popule meus quid feci tibi aut quid molestus fui tibi, responde mihi?* Cyrill. *Heu heu qualis est gehenna ignis inextincti! urentis neq; lucentis &c.* Et tamen Iob. 9. *Si voluerit Deus in Iudicio suo contendere tecum non poteris ei respondere unum pro mille.* Non gratis Bern. serm. 16. in Cantic. *Paveo gehennam, paveo Iudicis vultum ipsis quoq; tremendum Angelicis potestatibus: contremisco ab ira Potentis, â facie furoris eius, à verbo aspero Ite maledicti.* Chrisost. hom. 13. in Matth. *Decem millia quis ponat gehennas, nihil tale dicet, quale est â beata gloria excidere: â Christo audire, nescio vos: incusari quòd esurientẽ vidimus, nec cibavimus.* Sed Ps. 76. 8. num. *Quid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit*

adhuc

adhuc. Ita eſt. Ibid. *abſcindet miſericordiam ſuam â generatione in generationem.* Tum omnium ululatus Iob. 3. 3. *Pereat di s, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo dies ille ver tatur in tenebras, non requirat eum Deus de ſuper, & non illuſtretur lumine, ſit nox illa ſolitaria nec laude digna.*

SOLILOQVIVM XV.

Quid ſit ad infernum detrudi?

PUNCTUM I.

EST ab omnibus deſeri. 1. à Deo, *nec ego Deus veſter, nec vos populus meus*, ampliùs non dices: *Pater noſter.* Omnis amor ceſſat, & ille tam tenet in Deo, quem habet erga homines. 2. Ab Angelo Cuſtode nulli & totum tradi in poteſtatem dæmonis. 3. à ſanctis, ut Epuloni reſponſum. *Magnum chaos inter me & te.* 4. Ab Eccleſia, nullæ amplius pro te orationes. 5. Ab hominibus, nullum ſolatium, nullum auxilium, nullum verbum ſvave. E: heu

heu horror undiq;. 6. Magis Sancti te fugient, quàm cadaver putridum. 7. Magis, quàm affines eum, qui ob sua scelera in rotam actus. 8. Magis, quā canem mortuum. 9. Magis quàm hæc omnia simul. Ergo ita miser, & ità desertus ero? ità. *Ite Maledicti in ignem æternum.* Imò ut Rusbr. epistolâ 1. *Quidquid de pœnis inferni dici queat, si ad ipsam rei veritatem comparetur, minus esse, quàm unam guttam ad universum mare.* Quia, sicut in hoc mundo in tantùm misericors est erga improbos Deus; ut nec existere à quibusdam putatus fuerit, nec providentiam aut curam rerum humanarum habere; cùm tot perditos tolerari, tot sceleratis viderent succedere Ps. 52. *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Quia tot impune corrupti sunt in iniquitatibus suis; non est qui faciat bonum. Et ipse ipsius David, cum videret prosperitatem impiorum, *pene moti sunt pedes.* Ita etiam ubi sepositâ misericordiâ juxta ju-

ſtitiam aget: ubi ſicut nunc tenebræ ejus miſericordiæ qua veluti tenebris ſcelera involvit; ita lumē ejus, quo ſcrutabitur Ieruſalem ſcrutans in lucernis, revelabit omnia. tum damnati non Deum eſſe ſed Tyrannum, ſed crudelē ſibi perſvadebunt & Apoc 16. *blaſphemabunt nomen eius.* Hinc ille exclamavit qui hoc lumen expertus eſt, Nemo credit, nemo credit, nemo credit, quàm ſevera ſunt Dei iudicia, Bern ſer. de Epip. *Quàm facilis modò* (Deus) *tam difficilis poſtea &c. quoniam ſicut benignitas apparuit ultra omnem ſpem, ultra omnem æſtimationem ſimilem expectare poſſumus iudicii diſtrictionem &c. ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende.* Imitabuntur hunc rigorem cæteri Sancti. Leniſſimus ille Abraham, qui tam ſolicitè pro Sodoma & Gomorrha orabat, & cum Deo licitabatur, in ſeuerum & inexorabilem mutatus reſpectu damnati Epulonis; ne guttam quidem aquæ ejus precibus tribuere velit.

PUN-

PUNCTUM II.

Ibunt in ignem damnati.

SEd in quem ignem? Quæ illa tormenta? 1. Ignis, qui ſolvit plumbum, eſt fortior, quàm, qui urit ſtipulam, qui æs, ferrum, & lapidem, fortior eſt; quid, qui ipſam animam urit? 2. Millies & millies eſt vehementior, quàm fulmineus. 3. Omnia oſſicula, omnia puncta corporis permeat; non ut hic noſter, qui ſolùm deſuper lambit: & tamen quantum hic tormentum? Puncta corporis humani ferè ſunt infinita: infinitos itaq; ferè dolores damnatus patietur, & inſuper in anima, 4. Fingamus quæ poſſumus tormenta. multi dicunt, ea ſe habere ad ignem inferni, ut ignem pictum ad vivum. & tamen hic noſter pictus ignis heu quàm vivax! Quid ergo erit ille? Non intelligo, non capio! Hoc ſcio, quòd tantus ac tam vehemens; ut nec capere, nec intelligere poſſim;

5. Sicut visio Dei, beatos facit, ità damnatio maledictos: ibi omnia vident, hic nihil, ibi amant, hic dentibus p... horrore fremunt, nec effugiunt, ut cani tæda accensa alligetur, & illam fugiat, aut vulnus sibi inflictum. Vident media, per quæ poterant salvari sed actum est. Periit omnis spes: insania & furor & desperatio successit, vident, & graviter apprehendunt æternitatem pœnarum. O æternitas! æternitas! non peribo, & urar! 6. Afflictio & dolor, qualem non facit plūbum liquidum ori infusum, non coctura in oleo, non à bestiis discerpi, non quidquid pœnarum ab homine inferri potest! 7. Colligunt aliqui ex Iobo, esse ignem in inferno & frigus: torqueri jactatione, & affixione ad locum perpetuâ: plus patiuntur, quàm omnium simul, quæ subierunt Sanctorum Martyria. 8. Fingamus unicam esse solū pœnā, vg vigilias perpetuas: quātùm hæ cruciabunt, quæ per pau... os
dies

dies ferri nequeunt. Fingamus solam sitim, sed hanc in intensione crescere in æternum, solam famem. Fingamus nihil esse pœnarum, sed in solis tenebris esse in perpetuum: sed neq; hoc, sed solùm in uno loco in æternum hærere. Sed tamen cogitandum plus quã cogitare possimus, & plus, & plus, & plus in æternum. 9. Iam verò qui socii? Ethnici: & hi meritò insultabunt, poteras & faciliùs quàm nos, evadere, ò verè nullâ compassione dignus es. Pater & Mater! Sed hi, vereor, ne ipsos dæmones, ut te gravius affligant precentur, & si dantur aliqua instrumenta tormentorum, illi petent à dæmonibus sibi concedi, ut te acrius perurgeant, qui, etiam illis, causa fuisti damnationis: Indocti alii sed & hi fre ment contra te: quia, si hæc media ad salutem habuissent; damnationem evasissent: quales sunt quidam Hæretici & alii rudes. Quid si quicunq; hæredum tuorum de novo descendent

in infernum (*ut est in visione quadam*) in te novo furore, sæviēt. 10. Et huic miseriæ es obnoxius; si semel graviùs deliquisti. Et huic subjaces, sive sis Rex, sive Sacerdos, Religiosus, Studiosus; qui pœnitentiam dignā non agis: cui contritio, risus: verba docentium salutem, jocus, Confessio, cœremonia. saltem ea ageres, quæ gr. 6. apud Climacum describuntur. sed serii sumus in peccando, joco pœnitentiam agimus. Verùm *terribile est incidere in manus Dei viventis*. Vivas hic, ut videaris pius, doctus, dives, & sic: si in æternum arsurus es, quid tibi prodest? 11. De corporibus damnatorum ait Isai 34. ad literam. *Interfecti eorum projicientur, & de cadaveribus eorum ascendit fætor: tabescent montes à sangvine eorum.* 12, *Ps.* 28. *Famem patiētur ut canes* & sicut hi cadavera putrida & quasvis sordes: pro fame invadent; sed damnati nec eas habebunt; & si post diem Iudicii omnes sordes ex toto mun-

mundo in infernum defcendent. Et circa has fordes adhuc, ut Hebraica legit: *tumultuabuntur ut canes* vel ut Hieron. *latrent ut canes*. 13. Iam unus alterū ut canis impetit, & mater filiā ut Revel: S. Brigit. lib 6. c. 52. *Eheu filia non filia, sed lacerta: veneno fœtidiſſimo miserā me, quæ te genui enecas*. Ita pater Filio imprecatur apud Dion. Carth. de quat. noviſſ. art. 42. *Maledicte fili, quò me miseriarum adduxiſti!* Filius è contra *Deteſtande Pater*. Ipſi Fratres, & inter hos Deus *ipſe inter Fratres dividet* Oleæ; 13.

PUNCTUM III.

1. QVamdiu! In æternum. Quid hoc eſt! Quamdiu mundus ſtabit! Ampliùs. 2. Tot annis quot puncta in toto cœlo in ſcribi poſſunt: Ampliùs. Tot millionibus annorum, quot arenæ in terra, guttæ in mari, amplius: In æternum. Hoc eſt *ſemper*; tempus fluit ut flumen, æternitas ut ripa ſemper ſtat. 4. Tot ſaltèm

millibus annorum, quot omnes homines simul cogitare possunt? ah quantum hoc! ampliùs. Quantùm Sancti concipiunt, fortè ampliùs. Quantum Angeli, fortè ampliùs si hi infinitum non intelligunt. 5. Quid si per mille annos unicam lachrymam effunderet, damnatus; illæq; conservarentur, donec totum, quidquid est sub cœlo inundarent; essetne finis pœnarum? non: nec potest dici *totum*, nec *omne*, nec *quidquid*, nec *finis*, nec quæcunque vox aliquem terminum exprimit, de æternitate. non capimus æternitatem áb ante, nec potest, dici *Deus incepit esse*, ità nec à post, nec poterit dici: *finis damnationis*. 6. Durum pati unâ die, durum annô, durum centum annis, durum mille: & tamen sex millibus annorum Caim patitur; & nihil ipsi de pœna, aut de sensu pœnæ decessit. Estote maledictæ voluptates, quæ in me tanti mali reatum inducitis, Valete etsi per centum millia annorum vi-

ɛturus

cturus essem, peccata; quæ me tanto malo obnoxium facitis. Habeam in mente ò Deus *æternos annos*, ut qui te (me miserum) non satis amo, propter te ipsum, ò bonũ, magis amabile, quàm omne malum timendum, saltèm amem timore æternitatis. Audi Apoc. Angelum. *Et iuravit per viventem in sæcula sæculorum, &c. quia tempus non erit amplius.* Hugo de S. Vict. lib. 4. de In. *Infernus est locus sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili ibi miseriæ, ibi tenebræ, ibi nullus ordo, ibi horror æternus.* Basil. in Ps. 33. *Inextricabiles tenebræ, ignis carens splendore, vermium genus venenum immittens ac carnem vorans, inexplebiliter edens, neque unquam saturitatem sentiens, intolerabiles dolores, corrosione ipsâ infliget, & quod est omnium grauissimum: opprobrium illud, & confusio sempiterna.* S. Th. 3 p. q. 98. a. 7. *Sicut propter perfectam sanctorum beatitudinem nihil*

deerit eis, quod non sit gaudii materia, ita nil erit in damnatis; quod non sit eis materia & causa tristitiæ, nec aliquid quod ad tristitiam possit pertinere deerit; ut sit eorum miseria consummata. S. Cyrillus apud Rader. 1ma parte virid. *Gemunt continenter & sine intermissione; sed nullus est, qui exaudiat: Lamentantur sed nullus est qui liberet. Exclamant & plangunt, sed nullus est, qui commoveatur.* Greg. 9. Morali. *Mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors semper vivit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit.* Isai, 1. *Conteret scelestos & peccatores simul, & qui dereliquerunt Dominum, consumentur.* Quid ad hæc miseri. *Et erit fortitudo vestra, ut favilla stuppæ, & opus universum quasi scintilla, & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.*

PUNCTUM IV.

Ipsi viri perfecti timent Infernum.

SErm. Bern. 16. in Cant. *Paves Gehen*

nam

nam, contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferni, à rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem, & sulfur, spiritum procellarum, horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacbrymarum &c. Et tu non juvabis B. V. non? Non tu Angele? non. &c. Ps. 2. *Qui habitat in cœlis deridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* An parum hoc? Adhuc ampliùs. Iob. 10. v. 17. *Instauras testes tuos contra me: multiplicas iram tuam adversum me, & pœnæ militant in me.* Iob. 16. 17. *Oppressit me dolor meus, conclusit me apud iniquum, & in manibus impiorum eius me tradidit: collegit furorem suum in me.* Eheu ibidem *Confregit me & circumdedit me, lanceis suis convulneravit lumbos meos; & concidit me vulnere super vulnus.* Iob. 19. 7. *Destruxit me undiq; & pereo, quasi evulsæ arbori abstulit spem meam.* Iam quæ cohabitatio. *Deus ait*, Cath. Sen. Dial.

37. *Monstravi tibi dæmonem, quasi per ictū oculi, in sua forma; & post quam ad sensus restituta fuisti: tu potiùs eligebas ire per unam viam igneam usq; ad diem iudicii duraturam; quam ampliùs eum intueri, nihilominus, licèt eū brevissimo tempore videris adhuc ignoras, quàm sit horribilis.* Et S. Francisca Rom. Vitæ c. 11. lib. 5. *Malebat insilire in fornacem ardentem, quàm eum videre.* Brig. revel. 2. c. 18. *Moreretur homo per subitaneam mortem propter terribilem visionem dæmonis.* S. Chrys. in Ps. 41. *Si videremus illum, continuò mente dimoveremur, & solutis artuum compagibus, evolaret animus è corpore.* 2. Frigus ingens, unde & stridor dentium. 3. Fœtores si ex nullo alio quàm ex corporibus, quæ uruntur, tum ex sulfure. 5. Tenebræ, inter quas nihil, nisi ejulatus & blasphemiæ resonant. Greg. 9 Moral. 49. *Gehennæ flamma reprobis nequaquam lucet ad consolationis gratiam & tamen lucet ad pœnam.* 6. Socii, quales Basil. M. in Ps. 33. *Assistent Angeli*

igneos

igneos vultus præseferentes, *atque ignem spirantes*, *eâ repropositi & voluntatis acer bitatem ostendentes*, *nocti vultu similes pro pter mœrorem*, *in humanum genus*. Eheu tantum odium erit mei, ut etiam ipsi spiritus veluti quædam nox odio livescant & tenebrescant. 6. Cum eodem moneo, *hæc time*, *& hôc timore correptus animam à peccatorum concupiscentia tan quam frænô quodam reprime*. 7. Gloriâ, quæ tibi præparata fuit, alter fruetur & fortasse inimicus tuus, fortasse tuum mancipium. Quantus hinc dolor! Hoc colligo ex Apoc. 3. *Tene*, *quod habes*, *ut nemo accipiat coronam tuam*. Et Sapiens cap. 10. Ubi enumerat præmia justorum, inter cætera ponit. *Iusti tulerunt spolia impiorum*. Hinc quantum vulnus super vulnera damnatis infligitur.

SOLILOQVIUM DECIMUM-SEXTUM.

Quis Salvabitur?

PUNCTUM I.

1. SAlubris cogitatio. Quid de me erit? Hac viâ quò perveniam? erit terminus vitæ, quid mihi polliceri possum? dictum est 1. *Nisi abundaverit, iustitia vestra plùs quàm Pharisæorum & scribarum, non intrabitis in regnum cælorum.* Pharisæus ausus de se dicere, *Non sum sicut cæteri, ieiuno bis in Sabbatho, reddo decimas &c.* Habuit bona opera, licet malè de illis gloriatus. Scribæ totam vitam, in meditatione legis divinæ, & sacræ scripturæ, consumebant. Vide; in quo abundet tua justitia, fortè in eo, quod nec habes materiam gloriandi. 2. Debeo magis colere Deum, quàm Turca Mahometem: multi Turcarum visô sepulchrô Mahometis, ne quid in posterum profanum viderent; oculos sibi eruerunt: ; plus

Plus quàm Gentiles. Quæ & quanta illi, pro idolis, & quo furore fecerunt!

PUNCTUM II.

OMnis *arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignẽ mittetur;* Quid si insuper faciat fructus malos? Aug. *Non solùm hoc à Christiano quæritur ut malo careat, sed ut exerceat bonum; qui etiamsi ne quid boni, ne quid mali fecerit: tamen ad æternæ vitæ præmium non ad mittetur; sed gehennæ ignibus mancipatur, iuxtà illud: Esurivi, & non dedistis mihi &c. non solùm enim non esse servi diaboli, sed esse servi debemus Dei.* Unde, nil agis mali: Intrabisne cœlum? non; Sed nemo de te queritur? Non intrabis. 2. Si es arbor, rami tui, sensus tui: quos facit fructus oculus? Itanè ut Sancti Bernardini, aspectû pueri, à lascivia cessabant. Manus, Pedes &c. 3. *Terra* (ait S. Paulus) *venientem imbrem bibens, & fructum non faciens maledicto obnoxia,* Imbrem inspirationum, Con-

conum

cionum, monitionum; maledicto, fortè illi: *Ite maledicti.* 4. Si terra es bona, debes centuplum fructum facere. Auris tua, cor tuum: accepto semine verbi Dei facisnè centum bonorum operum fructus? svadetur una mortificatio, facisnè centum? Audis juvandos proximos, juvasne centies. Parisijs quidam audito illo. *Diliges Dominum Deum tuum*, ut fructus faceret, reclusit sex ut reliquũ vitæ Deo redderet. Stylita & Antonius audito, *si vis esse perfectus vade vende omnia &c.* fecerunt & insuper in eremum abierunt: sic Serapion imò tota Eremus. Quot ergo verba in Concione, libris piis legis, tot centena operum facere. Quot opera audis, cogitas, vides, tot cẽtena æmulari charismatũ deberes. Sed audimus & frõs nobis occaluit ut nec erubescamus. Audimus audimus & legimus: Videamus ne hos imbres bibendo maledicto obnoxii simus, Vereor, ne sicut ficui, quia fructus non tulit, maledicat Deus, ut arescat in

ſcat in aptũ igni pabulum. Vereor ne poſtquam tot fortes inſpirationes & fortia in nos monita quæ plures alios viciſſent, in nobis, gratis ceciderunt, veniat maledictio montium Gelboë: *Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniant ſuper vos, ubi ceciderunt fortes Iſrael: o-mnes montes, qui eſtis in circuitu viſitet Dominus à Gelboe autem tranſeat.*

PUNCTUM III.

NOn eſt certius ſignũ ſalutis, quàm illud quod Dominus dedit, *Beati*, non eſt autem medium inter beatos, & maledictos. 1. *Beati*, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam tu verò aliorum pietatem rides, hypocriſim vocas &c. 2. Beati mites, tu nec unum verbum pati potes, aliis perpetuò materiam das patiendi. 3 Beati pauperes ſpiritu, tu? &c. Beati mundo corde. Quale cor tuum? quot ſpurcitiæ in illo? ſi omnibus inſpiciendum daretur, haberesne, unde confunde-

fundereris? 5. *Beati qui lugent*, tu rides, 6. *Beati misericordes*, vide, quænam opera misericordiæ corporalia aut spiritualia facis? Reperiturnè in tua familia, inter tuos subditos, qui res salutis ignoret? Si videris fratrem indigentem, & non moventur viscera tua; non est Dei charitas in te. Mavis ornari, novas vanitates excogitando, quàm nudum, frigore stridentem, tegere. Sepelistinè mortuum ut Tobias tuô prandio relicto. Potesnè ut Iob dicere: *buccellam meam solus non comedi &c.* 7. 1. Cor. 9. *Si qui in stadio currunt, omnes quidem currunt; sed unus accipit bravium.* Non de illis loquitur qui stant totâ die otiosi: non de iis, qui solùm ambulant coram Deo: sed de, iis qui currunt. At ex his ipsis tâm pauci pertingunt ad bravium, ut quasi unus videatur. 8. Non salvaberis, si ob solam honestatem moralem à vitiis abstineas, opus est Greg. hom. 13 in Evang. *Vt & munditia sit castitatis in cor-*

pore &c.

pore & lumen operationis in veritate &c. Sed & si utrumque agitur: restat ut quisquis ille est, nequaquam se à vitiis pro mundi huius honestate contineat.

PUNCTUM IV.

NIsi pœnitentiam feceritis peribitis Sed qualem! Ioel. *Scindite corda vestra, in fletu, in planctu, convertimini in toto corde.* 1. Thais in medio foro omnem vanam & pretiosam supellectilem exussit, & reliquam vitam clausa egit. 2. Vilhelmus loricam ad mortem ex corpore non detraxit. 3. Magdalena ut furiosa per notos, & ignotos, spretâ omni infamiâ cum fletu & planctu passis capillis in medium convivarum in domum Simeonis leprosi involavit. 4. Ægyptiaca totam reliquam vitam in eremo exegit. 5. Petrus quoties audivit gallum canentem, usq; ad mortem lachrymatus. 6. Iacobus Eremita plures annos in sepulchro egit. 7. Climacus pœnitentes sui

tes sui temporis describit, nec audentes in cœlum attollere oculos, vinctis post terga manibus in fame, & siti & æstu &c. 8. Fortasse mitior pœnitentia ad salutem sufficit, non omnes qui tam arctam non agant damnantur! Non scio. Hoc scio, qui tam austeram egerunt salvati sunt, de aliis nescio, de talibus autem pœnitentibus, ut tu fortè es, ne unum promam quē scio cœlo receptum. 9. Dominicus ter per noctes se acerrimè flagellabat, & moriturus in cinere deponi voluit: Ignatius integris hebdomadis sine cibo, septenis horis, in oratione durabat. David per singulas noctes lavabat lacrymis lectum, cinerē tanquam panē manducabat, cúm fletu miscebat potum, manè se flagellis cædebat, 10. Tu cum tua tam fortè tepida, tam ridenda, ut si uno nummo velles creditum millionum decem, persolvere, quò devenies, ego nihil definio, tu cogita. Apoc. 6. 8. *Mors præcedebat & infernus*

sequebatur eam. Nihil ibi de cœlo ità pauci salvantur. Brigit. 2. Rev. 16. *Si sapiẽtissimus in mũdo posset cõsiderare quot animæ quotidie descẽdũt ad infernũ, plures esset quã arenæ maris dinumeratæ & lapilli riparũ* Universim Bern. 2. de consid. c. 5. *Leva oculos considerationis tuæ & vide regiones si non sint magis siccæ ad ignem, quàm albæ ad messem: Quàm multæ quas putaveras fruges, diligenter inspectæ vepres potius apparebunt. Imò ne vepres quidem, annosæ & veternosæ arbores sunt.* 2. S. Angelæ de Fulginio Spiritus S. dixit. c. 4 vitæ edit. Boll. *Pauci sunt hodie boni, & pauca fides.* 3. Rev. S. Brigitt. ex rav. c. 51. dicit Deus. *Ab omnibus neglectus sum, ab omnibus expulsus sum* 4. Rev. 79. *Totus mundus mihi videtur superbus, & cupiditatis & luxuriæ frigore tam diri er iacere opertus existere, quod heu paucissimi sunt; quorum verbis atqve operibus intelligi possit, Dei perfectam charitatem in cordibus ipsorum habitare.* Et 1. Rev. 1. *Nunc ex toto oblitus sum* (ait Deus) *& contemptus.* 2. Rev.

16. *Plu-*

16. *Plures animas quotidie* (dicit Christus) *in infernum descendere, quàm sit arena maris, & lapilli riparum.* 3. Chrysost. hom. 40 ad populũ. *Quot esse putatis in civitate nostra* (Antiochiæ ubi ferè fuerunt infinita millia hominum) *qui salvi fiant, infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen, non possunt in tot millibus in veniri centum, qui salvarentur. Quanquam & de his dubito.* Et tamen fuit tanta charitas inter Christianos olim, ut Gentiles dicerent. *Vide ut alter, pro altero mori parati sint.* Tert. Apol. c. 39. Imó Alexandriæ Eusebius hist. l. 2. c. 17. Sic testatur. *Primò omnium renunciant cunctis facultatibus suis dividendis prout unicuiq; opus est honestæ, ac castæ vitæ mysteria celebrant, & sapientiæ studiis non solúm animo, sed & corpore se consecrare gestiunt, nullus eorum capit ante solis occasum, cibum potumq; non nulli autem, post triduum veniunt in communionem cibi. Iam vero hi qui in eruditionibus sapientiæ & in profundiore*

fundiore intelligentia, sacrorum voluminum conuersantur, tanquam copiosis dapibus inhiantes expleri nequeunt, & contuendo acriùs inflammantur, ità ut nec quarto nec quinto, sed sexto demum die, non tam desideratum, quam necessarium corpori indulgeant cibum. Vinum quidem nemo ne gustu quidem contingit, sed nec quilibet carnem: Tantùm ei aqua est poculum, & panis cum sale vel hyssopo cibus & hoc idem fuit per totam Græciam, & Barbariam idem ibidem. 4. in *Pentapoli tantùm unus Loth inventus atqui Christus dixit levius in illa die erit Sodomæ &c. Itaque eo tempore fuerunt pauciores inter* Iudæos salvandi atqui modò sæculum peius. 5. Isai. 5. *Dilatavit infernus animam suam & aperuit os suum absque ullo termino* quasi 14. nullus evadat, sed omnes deglutiat. S. Vinc. sermone 6. De septuag. ait Archidiaconus Lugdunensi post 40. annos eremi mortuus apparuit suo Episcopo & dixit ex 30000. se cum S. Bernardo ad cœlum ivisse, tres

ad pur-

ad purgatorium, reliquos ad infer, num. Platus l. 1. c. 5. Dum Bertoldus ord. S. Franc. concionaretur mulier mortua dolore, resuscitata ex 80. millibus tres ad purgatoriũ tũc ivisse dixit abire omnes damnatæ Fasciculo tẽporũ ad an. 1343. Innocẽtius Sextus adhuc Cardinalis adiit Eremitam, qui ex extasi expertus dixit. *Vidi animas in infernum incidere, sicut nives densissimas aerem obnubilantes, ad purgatorium sicut nivem rarissimam, sed ad paradisum tantùm tres.* 6. Iuste queritur Mich. 7. *Væ mihi quia factus sum sicuti qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum.* Ps. 13. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,* 7. Ex Iudæorum sexcentis millibus virorum & vulgo innumerabili tantũ duo ingressi terram promissionis, de quo dicit S. Paulus *quòd hæc in figura nostri contigerunt,* & tamen transierunt mare rubrum omnes, nempe baptisati. 8. S. Ambr. lib. de unica pœna c. 10.

Facilià

Facilius inveni qui innocentiam servaverunt, quàm qui condignam poenitentiam egerunt. Et tamen quod tales? Ait Cyp. lib. de sing. Cleric. *de solo vitio carnis etiam in cælibibus* & castitatem professis *singulares* (id est qui procul à fæminis pene omnes vix valent carnales insidias sustinere, quid faciunt illi, qui ex utroq; latere gladijs (fæminis) impendentibus non contentantur incumbere. Simile *est regnum Cælorum decem Virginibus quasi* decem solùm essent, idq; ex his medietatē ob negligentiam, ob omissiones etsi non habeant peccata positiva excludit. Quam non satis est non peccasse sed opus & bene agere. 9. *Præcedent vos publicani & meretrices in regno* DEI, at solùm de uno Matthæo & Magdalena in tota scriptura est, & tamen hæc est major pars salvandorum respectu aliorum. Non mirum itaq; quod regnum cælorum *simile sit sagenæ missæ in mare*, quid hæc est respectu

maris, & quot eà piſces includi re-ſpectu omnium poſſunt, tot ad ſa-lutem aliquos ire, ſed & ex his me-dietatem, ut piſces malos abijci. 10. Detractio eſt mortále. Et S. Th. 2. 2. q. 73. a. 2. ad 2. ait *Paucos vel nullos eſſe, qui detractionibus dicendis non ſint obnoxii.* Antiochiæ in una urbe ſub Iuliano Abbate erant decem millia monachorum qui omnes à Diocletia-no combuſti. Baſiliſſa mille Virgines. Sur in Ian. in urbe Thebaidis Evag. c. 5. Pallad. in Laus. erant 10000. Monachorum, 20000. monialium ſanctiſſimi. In Nitria 500. Monaſte-rias Sozomenus ait in opere Trip. l. 6. c. 1. tot millia fuère S. S. Mona-chorum, ut ſola nomina eorum ſi ſcriberentur multos libros implevis-ſent. S. Hilarion tot habuit Mona-chos, ut eum euntem tria millia co-mitarentur ut D. Hier. in ejus vita. Caſſ. Inſtit. 4. c. 1. quinquies mille in uno monaſterio Thebaidis Sanctiſ-

ſimi

ſimi & tamen eo tempore ex decem millibus vix unus ſalvabatur, uti Baron de S. Nilo refert quid is dixerit eam fuiſſe communem S. S. P. P. ſententiam Tempore Sancti Cypriani tam patientes Chriſtiani erant ut audeat coram Gentili Demetriano gloriari. lib. adv. Demetr. *Putatis nos adverſa vobiſcum æqualiter perpeti, apud vos impatientia ſemper clamoſa eſt & querula, apud nos fortis & religioſa patientia quieta ſemper, ac ſemper in Deum grata eſt &c. Viget apud nos ſpei robur & firmitas fidei & inter ipſas ſæculi labentis ruinas erecta mens & immobilis virtus & nunquam niſi læta patientia.* Vit. P. P. lib, 5. c. 11. de ſobriet. Abbas Agathon moriturus tres dies mãſit immobilis oculos apertos tenens, fratres interrogant. *Abba* [illegible] *At ille. Interim laboravi virtute, quâ potui in cuſtodiendis mandatis Dei, ſed homo ſum, & neſcio utrum placuerint opera mea Deo. Dicunt ei fratres. Et non con-*

fidis de operibus tuis quia secundum Deum sint! Et dixit senex. Non præsumo nisi venero ante Deum. Aliter enim sunt iudicia Dei aliter hominum. (Sic Sancti.) Cyrill. Orat. de exitu animæ, *gehennam timeo quia interminatam, & horreo tartarum ut cui nimium sit caloris paveo tenebras, formido pestiferum vermem.*

PUNCTUM V.

QUis ergò salvabitur, Nescio, scio quia pauci. 1. *Multi vocati pauci electi.* 2. Propheta comparat eos spicis quæ manent in campo post messem, quæ falcem effugerunt, & botris qui in vinea post vindemiã. 3. Alter Propheta. Auriculæ & pedi ouis ex ore lupi extracto. 4. Ex mille an unus nescio! Chrysostomus in illo concursu Antiocheno vix de centum præsumere potuit, mulier in concione Bertoldi mortua & resuscitata retulit, se interfuisse judicio

Dei,

Dei, in quo è ſexaginta millibus tres ſalvati. Alius è viginti millibus unũ. 5. Ex omnibus Iudæis; quorum multi milliones fuerunt centum undecim millia in Apoc. numerantur. 6. S. Paulus de Iudæis quorum è ſexcentis millibus virorum & vulgo innumerabili duo terram promiſſam ingreſſi, ait hæc in *figura noſtri* contigiſſe. 7. Quis ergo ſalvabitur; neſcio. Hoc *ſcio niſi abundaverit noſtra iuſtitia &c.* Hoc ſcio *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum &c.* Hoc ſcio *Niſi pœnitentiam egeritis &c.* Elige ergo quæ placet vitam, Poteſne in hoc ſtatu centuplum facere in quo es; Poteſne dignos fructus pœnitentiæ, Faveo, gratulor, permane in eo. Reliqui videamus quid erit de nobis; 8. Hoc ſcio quod ſi quis tam ſanctus ſit atq; Patriarchæ veteres Abraham, Daniel Iacob &c. de quibus S. Chryſoſt. de Virgin. c. 82 *Nemo hâc ætate cum Abraham conferri poteſt, ne propè*

quidem ad eum accedere, etenim magis ille pecuniam divitiasq́; contempsit quàm qui inopiam religiosi moderni profitentur tamen nondum salutem tibi promitto quia ut idem ibid *Non eundem à nobis & ab aliis virtutibus modum requiri &c. multi enim perfectionis modi temporum vanitate definiuntur, fitq́; imperfectum procedente tempore, quod olim absolutum videbatur &c. quæ fuerunt tum absoluta Christus adventu suo imperfecta docuit.* 9. Sed demus, te nullius peccati tibi conscium esse, nondum cœlum tibi promitto. Chrysost. de Virg. c. 2. *Non enim qui vitio carent coronâ donandi sunt, & quidem videre licet non solum id nostris esse sed externis etiam legibus constitutum, inquit enim lex, homicida morte multatur, at non præterea adiicit, qui hominẽ nõ occiderit honore non afficitur &c. laudẽ enim & admirationẽ habere, rectèfacientium est, non eorum qui vitia declinarunt.* 10. Imò nisi ex-

cesseris S. S. Patriarchas virtute, adhuc hærebis. Chrysost. de Virg. c. 84. *Maiori nos virtute* quàm Patriarchæ *nitamur oportet ut eandem quàm illi sunt assecuti mercedem assequamur &c. quanquam vel si in cursu pares illis esse possimus, ne sic quidem liberi simus á pœna.* 1. Cor. 10. *Bibebant de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* Dixisset saltem de iis qui non bibebant de Christo, qui alieni à fide erant: Dixisset non in omnibus eorum beneplacitum, tum saltem in pluribus, ergo in paucioribus, ergo plures in quibus non placitum, licet ita illos sectaretur quasi miracula faciendo, ut éos converteret, ut si petra quempiam consequeretur.

SOLILOQVIUM XVII.

Quantum curamus nostram salutem.

PUNCTUM I.

CErtum est quod magis debemus

quàm omnia alia. 1. Magis curare ut ſimus ſani per æternitatem, quàm per annum. 2. Ut non amittamus nos totos, quàm ut manum vel oculum. 3. Ut in æternum non fameamus, quàm ut in diem. 4. Ut veſtes in æternum habeamus, quàm ut pro anno, 5. Ut bene habeamus, divites ſimus in æternum, quàm per annos decem. 6. Ut famam bonam habeamus in æternum, quàm per annos mille. 7. Ut liberi à morbis, frigore, bello, calamitatibus in æternum quàm ut per annos decem. 8. Ut amicos bonos in æternum, quàm per annum. 9 Ut voluptates, lætitiam, amænitatem, in æternum, quàm per ſex annos. 10, Ut ſcientiá pleniſſimam, quàm unius ſcientiæ partem exiguam. Et ecce qualiter hæc curamus, & quàm modicè illa.

PUNCTUM II.

AN curas & laboras pro cœlo uti miles pro ſtipendio. 2, Itane uti

mer-

mercator pro lucro. 3. Itane uti amasii ob amasias. 4. Itane uti fabri, artifices, agricolæ pro diurno victu. 5. Itane uti verè studiosi ob literas. 6. Itane uti æger gravi morbo ut cõvalescat. 7. Itane uti ne nudus incedas. 8 Itane uti incarceratus cui amputanda cras manus vel oculus eruendus. 9. Itane uti ut famem gravẽ depellas. 10. Itane ut famam & gloriam acquiras. 11. Itane ut qui curat impetrare dignitatem. 12. Itane uti si hostis instaret, ut illum effugias. 13. Itane uti si domus accendatur, ut res tuas ex incendio liberes. 14. Itane uti gratiam Regis vel Patroni acquiras vel cujus interest tua. 15. Itane ut si mergereris fractâ navi, nam pœnitentia est post naufragium tabula, ut evadas. 16. Itane si thesaurus tibi maximus commissus ejus & fures ubiq; instarent, ecce in *vasis fictilibus habemus thesaurum.*

PUNCTUM III.

SI tantùm ita curo cœlum, & tantum pro cœlo laboro, adhuc stultus sum. Sicut qui ita gemmas curaret ut paleas, nec tam bona hæc omnia mundi sunt respectu cœli ac paleæ respectu gemmarum. Sicut qui regnum ita curaret ut pomum, sicut qui vitam suam ita curaret ut unum capillum. Sicut qui thesauros maximos, ita ac arenulam unam. 2. Sed nec ita curamus, ubi est prudentia nostra. Ecce quàm verè Eccl. *Stultorum est infinitus numerus.* Quàm verè ubiq; scriptura peccatores *Stultos* appellat? Quando tandem finis erit tam fœdæ stultitiæ, quam diu me pro rebus mundi eviscerabo, sicut araneus ut muscam capiam, & ut cœlum in æternum, & omne bonum in æternum obtineam, ut omni malo in æternum caream, desidebo? *O lux quæ lucebas cæco Tobiæ, illumina.* Ps.

David

David de se ait, *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum &c.* & ego nec manum moveo. Et tamen quantum facere deberem! at itane ad Principem alloquendum, Itane petis salutem à Deo ac mendici nummum? Itane sanitatem, ut sæcularis honorem? Itane fugis offensam Dei, ut aulici offensam Principis! Itane erubescis coram oculis Dei peccare ac coram humanis, vel si tua dicerētur eis peccata. Eâne diligentiâ laboras placere Deo ut prostituta adultero? *Filii huius mundi prudentiores sunt in generatione suâ Filiis lucis.*

SOLILOQVIUM DECIMUM OCTAVUM.

Sanctorum in morte affectio.

Affectus Sanctæ Gertrudis ex operibus ipsius.

PUNCTUM I.

O Amor, ô amor! quando erues animam meam ex hoc carcere! acce-

acceleret ô Deus meus, dulcedo mea, acceleret gloria tuæ præsentiæ. O quàm beati sunt illi, qui in domo tua habitant! ô quando introibit in eam anima mea ad cantandam & laudandam gloriam tuam, & sanctitatem infinitam! quàm gloriosus es Deus meus, quam amabilis, quàm delectabilis! quæ felicitas videre te solem purissimum? Iam anima mea deficit præ tædio vitæ istius, desiderat ex totis viribus venire in conspectum tuum. DEUS meus, misericordia mea, absconde me in tuis manibus, in tuis pedibus, & in hoc amantissimo corde. In te defigo mea desideria, mei gemitus ad te sunt, ad te mea suspiria, laudes, & omnis fiducia. Quando tecum ero gloria mea? Quando dissolvetur hic laqueus mortis, Dilata misericordiam tuam erga hanc magnam peccatricem. O amor æterne quàm dulcis & amabilis est tua societas! surge de-

side-

ſiderium cordis mei. Ad te ſunt oculi mei, ad te aures meæ. Nulla mihi alia vox ſonet, ſonet unica tua bonitas in auribus meis.

Ad communionem in morte ita acceſſit.

Sanctus Audomarus Epiſc.

Sur. tom. 5.

O divine Agne per delicias tui æterni Patris recipe hæc mea deſideria. Ad te venio Domine mi, miſereatur pietas tua operis manuum tuarum. Recipiat me tua divina gratia ut te videam in throno magnitudinis.

Sancta Theotyſſe Virgo *ex Lipom. tom. 5.*

Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. In meis labijs, & in mea voluntate nunc meorum conſiſtit remiſſio peccatorum, modò ſecura procedam quocunq; me potens tua dextra impulerit. San-

Sanctus Thomas Aqui. *apud Sur. tom.* 2, & S. Antonius *3. p, tit. 23. c. 7.*

Ego ſincerè credo & certum hábeo, quód in Sacramento ſit IESUS Chriſtus verus Deus & homo. In ipſo invenio & ab ipſo accipio pretium meæ redemptionis: Ab ipſo viaticum & auxilium ſuperabundans pro itinere tam longo.

Actus ſpei Sancti Ioſaphat 4. *Ex S. Damaſc.*

Noli timere nec dubita quia ut ut multa & gravia ſint tua peccata, non excedunt immenſam bonitatem Dei: Peccata numerum habent & finem; Bonitas immenſa nec numerũ nec finem habere poteſt. *Ita Patrem ſuum ſolabatur.*

S. Adelhardi. *Sur. tom. 1.*

Domine pone me juxta te, & cu-

iusvis

jusvis manus pugnet contra me. Hoc nisi facias perditus sum, nam tu solus inter mortuos liber inventus es.

Sancti Hieronymi in hora mortis *Ex Eusebio* ejus discipulo.

Advenit tandem ô Domine hora mortis propter quam in hunc mundum nascimur, cum hoc onere accepi vitæ beneficium, ut deinde persolverem tributum mortis. Expirâsti ô mi Redemptor in cruce, cùm esses Dominus, ut mori servus non tergiversaretur. Fiat semper voluntas tua: Moriatur, moriatur anima mea, attamen morte justorum. Scio quia Deus & Redemptor meus vivit, & suis temporibus resuscitabit hoc corpus concussum à tam potentibus ventis, nauseœ, fastidiorum, dolorum, & aliorum rebellium accidentium. Ut inhabitem terras meliores dimitto mortalem hanc domum, & hanc

hanc carnem morti destinatam. Tempus est ut cantem Deo meo hymnum laudis, quia per ignem & aquam eduxìsti me in refrigerium. Usque ad hanc horam peregrinatus sum, nunc in patriam ingredior, usque modò periculosè navigavi, nunc in portum intro. Deus est qui me transfert de tenebris ad lucem, de periculis ad securitatem, ex paupertate ad divitias, ex pugna ad victoriam, molesto ergastulo huius corporis dolore ad quietem & tranquillitatem cœlestis curiæ, Vitá mea sensim deficit ò Deus meus in cuius manu sunt omnia horarum momenta. Fateor meliùs est mihi tractare cum morte, quàm cum vita tam dolosâ, periculosá proditive. O bona mors, dulcis facta per mortem Domini mei Iesù Christi. Non mors jam dicenda es, siquidem das veram vitam, & aufers à me febres, & dolores, & fugas â corpore famem & sitim. Veni ò mors, soror mea, spō-

sa

ſa mea, amica mea, monſtra mihi Ieſum amorem cordis mei. Oſtendito mihi ubi paſcat greges ſuos hic divinus Paſtor, ubi ſit meridies glorioſæ pulchritudinis mei optimi Ieſu. Surge anima mea, curre in odorem ungventorum eius pretioſorum, intra in ſecretum deliciarum eius, Iam tranſiêrunt velut umbra, & me ſolum reliquerunt. Ad te converto me Redemptor meus, convertere & tu ad me, ô. ſpes mea unica. Reſpice, ſalva libera me, & hanc animam erue â carcere corporis iſtius. Dies mei ſicut fumus evanuerunt, & caro mea ſicut flos fæni exſiccata eſt. Iam certè Deus meus advenit tempus, in quo recorderis, & miſerearis mei. Aufer â me lugubrem amictum iſtius corporis, & indue me glorioſâ veſte immortalitatis. Anima mea in Dei præſentia tota colliqueſcit, quia fruitur ſponſo toties, & tam diu quæſito. Surge cœleſtis Pater excipe famen;

mentem & prodigum filium. Redit totus defædatus & macer ex longinqua regione ubi pavit immunda animalia.

Idem Crucifixum manu tenens in morte. *Ex Eusebio.*

O misericordissime IESU, fortitudo mea, & spes mea; in quem credo, quem spero, amo & amabo sẽper. Assiste nunc mihi manu potenti, ut feliciter hunc passum mortis pertranseam. Tempus est ut pulvis redeat in terram suam primævam, anima verò quæ in illo tanquam deposito erat, ad Deum & Creatorem suum. Aperi mihi Domine portas vitæ. Cùm ut latro in Cruce patereris liberalissimè promisisti. Aspice me ut latronem cui ex ligno redemptionis benefecisti. Admitte me ut Matthæum, Magdalenam, & facinorosissimos admisisti. Quid lucraberis Domine si in ignem æternum cõijcias

as hanc paleam infirmitatum ardoribus siccatam! tuus est honor remittere peccata, & eripere ex luto in quo jacet instar immundi animalis fieri non potest ut tu Deus meus me â te repellas, sum enim caro de carne tua, & os ex ossibus tuis, & filius ejusdem Patris, & me fratrem tuum in Evangelio nominas. Ejà surge frater mi, nam suscepisti meam humanitatem, ut mihi dares tuam divinitatem. Adest hora quam quæsivisti: Libera â leonibus hanc animã, quam tanto cum amore quæsivisti. Surge desiderium collium æternorũ, ad quos festino, recitetur supplex vox mea in conspectu tuo. Hic aspice vulneratum in itinere Ierichontino: Cura eum & impone super divinos tuos humeros. Computruit lingva mea propter sermones impios, impleti sunt oculi mei vanitate, non expendi intellectum in considranda lege tua. A planta pedis usq; ad ver-

ticem

ticem non est in me sanitas, Bone Iesu sanguis ab his venis profluxit, ut ego me illo redimerem: Illum oppono ut mihi non inferas meritam pœnam æternæ damnationis Ego sum illa merces tanto pretio empta: Ego sum illa ovis perdita, reduc eam ô dulcis Pastor, & pone eam inter illas quæ sunt in ovili tuo. Tu promisisti quòd in quácunq; hora peccator pœnituerit veniam consequetur. Ecce ego venio totus dolens propter peccata mea. Tu sta promissis. Nā hæc hora in qua doleo mea est, nec est dolor extra tempus ad pœnitendū mihi datum. Veni amâtissime Iesu, eamus in campum amænitatis, & in hortum gloriæ tuæ, nè repellas, nè elongeris, non sum dignus vocari filius tuus, scio quód tibi nequaquam displicebit si te vocavero Patrem. Hâc itaq; dulci voce te invito. O Pater, ô Pater mi, ut me admittas in possessionem regni tui.

Eius-

Ejusdem dum ei S. Viaticum afferretur. *Ex Eusebio.*

DOmine mi quis ego sum ut intres sub tectum meum; Sumne ego meliòr quam Patres mei; Moysi viro sanctissimo & mansvetissimo non concessisti ut videret faciem tuam: Quomodo nunc ergo te dimittis ut visites pauperem & publicanûm: Satis tibi non est mecum cibum sumere, sed insuper præcipis ut te comedam: Quam bene prospectum est errabundæ ovi, cúm teneat intra se Pastorem suum. Non timeo inferni ministros neq; monstra abyssi. Nunquam me meus dulcis Pastor deseret postquam mea viscera subivit, Retinebo eum mecum, nec elongabit se â me. Tu es Deus meus, & Pater meus. Non est grave animæ meæ deserere hoc corpus cùm eius loco recipiat illud tam pretiosum. Ipsum quoq; corpus libens patietur abire animam, vi-

dens

dens honorari ſe præſentia tam nobili. Non timebo mala dum tu mecum es iam ſiſtet mors contra faciem meam. Vide ô Ieſu ego ſum æger & tu medicus, ſana me. Ego nudus, & tu dives, contege me. Ego morior in ſolitudine & fame, tu qui cibus es paſce. Ego patior ſitim, tu qui es nectar cœlicum refrigera me. Libera me de tot laqueis defenſor meus, gubernator, Cuſtos, Dux, Rex, & Deus meus, in cuius manus commendo ſpiritum meum, quem redemiſti in ligno crucis, & propter quē diſtendis, & dilatas tuas miſericordias.

Sancti Anſelmi morientis.

Apud ipſummet.

PRoſtratus ad pedes tuos Sanctiſſima Virgo iacet rebellis Filius, qui tamen confidit in clementia tua materna Onuſtus vinculis & compedibus vitæ prioris, flecto genua coram

im-

immensa tua pietate. Corpus in prædam datum est æstuante febri, anima verò plena est timidarum cogitationum. Peccata mea detego coram te ut remedium afferas, & abscondo propter fœditatem nè offendã mundissimos oculos tuos. Nec curãtur sine confessione, nec deteguntur sine pudore, & confusione. Si tegãtur incurata manent, si detegantur, detestabilia sunt. Exurunt me dolore, & terrent pavore. Sana me Domina, nè feces corruptorum meorũ scelerum causent aut in te, aut in filio tuo nauseam. Mater sanctæ spei! venit Filius tuus salvare quod perierat, & tu Domina oblivíscêre peccatoris se humiliantis & ad te maximo cum doloris sensu clamantis! ô cœlestis Pastor! quæsivit Iesus tuus errantem oviculam quæ pœnitentiam abiecerat, & tu poteris despicere eum qui cum amaritudine cordis deflet sua errata; ô Fili, ô Mater si

am-

âmbo iniuria affecti estis, attamen adhuc in pectore vestro superest aliquid clementiæ pro eo qui confunditur propter sua scelera præterita. Ambo offensi estis, ambo estis abyssus misericordiæ, & dulcedinis; Hic reus & vinctus pro tribunali divinæ iustitiæ confugit ad sacrarium clementiæ Matris Dei, ad Filium cordis eius. Misericordissime Iesu parce servo Matris tuæ. Misericordissima Mater Maria parce mancipio Filij tui. Proijcio me in medium duarum tantarum misericordiarum, ut non incidam in duas iustitias rigidissimas. O bone Fili, ô bona Mater, non sit irrita hæc confessio mea, non me cõfundat spes in vobis reposita. Nuncia mihi ô mundi Iudex cui condónabis? Dic orbis reparator, quis reconciliabit, si tu damnas? Et tu Domina nunquid abijcies hunc vermiculum decantantem tuam magnitudinem ex amore tui, & detestantem cum dolore peccata sua.

San-

Sancti Victoris Episcopi Uticensis in *Libris de Persecut. Vandalica.*

Miseremini mei Angeli Dei mei, accurrite, nam vestri officij est assistere, & subvenire ijs qui cupiunt hæredes fieri æternæ gloriæ. En ad ruinam vergit castrum cujus vos castellanos & protectores constituerat Deus. Tristis, afflictus, æger, agonizans vobis spectantibus in terram abeo. Succurrite, adjuvate, date vires pro transitu tam periculoso. Præsentate Domino gemitus meos & dolores, efficite ut acceptentur in satisfactionem pro peccatis angustiæ & timores præsentes. Orate pro me ô Sancti Patriarchæ quorum vita plena fuit molestijs, & afflictionibus, & mors in terra invia, & consolationis experte. Subvenite Sancti Apostoli, nam cujuscunq; animæ interitus vobis erat aculeus gravissimus.

mus. Quomodo ſilebis ô glorioſe S, Petre videns unam tuaram ovium ſub Leonis ungvibus, & in mortis agone? o Sancte Paule Apoſtole quas moras nectis, ſi cúm minor erat amor tuus nemo condemnabatur, quin cor tuum ureretur; quisquis de te non ſperabit modò optimè, cùm ſine comparatione increverit amor tuus; o ſancte Ioannes Fili Virginis quis dolor erit tuæ meæq; Parentis à te ſedulo miniſterio tot annis conſervatœ, ſi audierit à te hũc eius filium derelictum fuiſſe in adverſis? Novi & nimium novi quòd ſim indignus veſtris precibus: Nihilominùs etiam novi, quòd precabimini Deum pro dyſcolo hoc filio cùm exemplum habeatis Chriſti Domini veſtri qui pro inimicis ſuis crudelibus deprecatus eſt faciem æterni Patris.

Sancti Ephrem. *Lipon. tom. 2.*

EHeu quia Implicatus ſum laqueis mortis, dies mei finiti ſunt, tela vitæ meæ ſucciſa eſt, lampas lucis meæ defecit, impegit in piratas cymba mea, anni mei terminũ ſuæ peregrinationis invenerunt. Gemitus mortis, & dolores inferni terrent & torquent me; undiq; obſideor ab inimicis meis, Domine mi IESU Chriſte, noli intrare mecum in ſeverum judicium. Abyſſus ſum peccatorum, ſed tu bonus miſerere. Sic ſic gratia tua apparebit. Si uteris juſtitiâ Domine quis ſalvabitur! Utere mecum gratia, parce & recipe in pace ſpiritum meum quem manus tuæ creaverunt.

Ejusdem, ad Beatam Virginẽ.

VIrgo glorioſa & Domina mea aſſiſte mihi in hac hora, per honorem quem ut Mater Dei habes,

& per gladium doloris qui pertransivit viscera pietatis tuæ, cùm conspexisti Mansuetissimum illum Agnũ, inter carnificum manus, & maledicas populi lingvas. Per excessivum dolorem quem passi sunt oculi isti pleni misericordiâ, cúm videres tunicam Iesu plenam densatis segmentis carnis & sangvinis, nec nó inculcatam pedibus lixarum. Per solitudinem, jejunia, peregrinationes, vigilias, persecutiones, & dolores quas cor tuum sustinuit. Per 33. annos quibus vixit Filius viscerum tuorum. Per lætitiam quam sensit anima tua cúm illum ad pectus lactabat, & ipsius corpusculum nutriebat, & cúm illum videbat adorari ab Angelis & Prophetis, & innotescere; per miracula & doctrinam, & coli ut magnum Prophetam. Per inexplicabilem gloriam quæ tuum pectus perfudit, cúm post horridas Passionis tempestates vidisti eum à mortu-
is

is ſuſcitatum & glorioſum, Per hæc omnia myſteria & alia vitæ & mortis tuæ, ſupplico, mulier Virgo Benedicta, non dedignare ſubvenire huic indigno peccatori, qui in immundis cogitationibus, verbis & operibus vitæ ſuæ annos abſumpſit. Es mater manſuetiſſimi & Clementiſſimi Dei, ideò recipe me clementiſſima ut mitiſſima Domina præſentando meas preces, cum tuis, coram Filio tuo Domino meo, & obteſtando ne occludat mihi viſcera pietatis ſuæ. Protege me nunc & ſẽper o dulcis Mater obſtruendo inimicis meis omnem aditum quoad vixero, & defendẽdo in mortis tranſitu animam meam. Non videant oculi mei in illa hora, & momento terribilem vultum dæmonum, & ſi viderint effice, ut non tradam victas manus & opes Filij tui. In tremendo die univerſalis Iudicij audiam, quòd fueris Advocata mea, & per

preces tuas factus sim hæres.

Addo hic glorias Theophili Pœnitentis ad B. V. *Sur. tom.* 5, 4. *Febr.*

SUſcipe in te o Virgo hoc onus protegendi. Quomodo defigam oculos in eum quem tantopere offendi, niſi prius tu Domina placaveris ejus juſtiſſimam indignationem. O potentiſſima & valdè miſericors. Progredere obviam & brachijs apertis excipe accurrentes ad tuam pietatem. Offendi Filium tuum, ſcio tamen quòd multi alij peccatores confitendo peccata ſua impetrârunt te mediatrice honorem & gratiam quã perdiderant. Tu es eadem ſemper, ego ſum quod illi fuerunt. O conſolatrix afflictorum, protetrix fugientium, baculus noſtræ infirmitatis, quæ ſemper exaudis opertos ſceleribus ad te confugientes. Intercede pro me apud filium tuum, & omnia

ad

ad meum fluent votum. Filius tuus misericors est, & nihil negare eorum potest, quæ te mediatrice petimus. Non me despice, respice lacrymas meas, confirma mea proposita, o ádjutrix mea, & refrigerium meum. Tu es mihi porta ad misericordiam, per te ingrediar. Tu es spes mea, per te & tecum sperabo,

Sancti Eustachij M. *Sur.*

DOmine sis mihi propitius, & fac né anima mea videat horridos vultus suorum inimicorum; aut si viderit ut non timeat, aut si timuerit, ut non succumbat victa, aut si succubuerit, ut non moriatur: aut si mortua fuerit, ut statim resurgat.

Sancti Martiniani Eremitæ
Sur. 13. *Feb. tom.* 5.

NOn veniat tibi o dùlcis IESU horror ob sentinam infelicissimi hujus peccatoris. Spero in te,

non mea me decipiat ſpes. Tu imperâſti ventis âc mari turbato, & ſubitò obedierunt tibi. Defige in me oculos tuos & ſubitó ceſſabit tempeſtas. Cùm tu poſſis omnia, conſerva me in tua gratia uſq; ad finem, & conſerva me à tot dolis inimici.

Sancti Laurentij Iuſtiniani.

8. *Ian. Sur. tom.* 1.

MOrtuus eſt Chriſtus propter me, pudor eſſet ſi refugerem mortem. Contemplare mi Ieſu præſentem hanc meam vilitatem, & miſereare mei. Fieri poteſt ut animus iſte tuus, aut cor quenquam clamantem à ſe repellat. Nonne tu es ille qui dixiſti. In tribulatione, clamo, quid ni exaudias.

Sancti Franciſci ante Viaticum.

Ex Chron. Ord. ſeraph.

DOmine quis es tu. Et quis ego ſum. In tua præſentia me colloco ut

co ut mendicus ad portam divitis, & obſecro, ut ex theſauris clementiæ mihi dones privilegia gratiæ. Sto ante te ut mancipium coram hero petens cibum & potum tui corporis & ſangvinis, ut veſtem pretioſam charitatis cooperientem innumera peccata. Sto ut reus ante judicem, & poſtulo ut pietatem exerceas erga me, quando anima à corpore avelletur, & præſentabitur coram Tribunali tuo. Domine ſto apud te ut amicus apud amicum, petens ut me tua charitas ita tibi colliget & uniat, ut nunquam ampliùs à te recedam. Sto ut filius ante Patrem, petoq; ut pro me ſolicitus ſis, & me introducas in poſſeſſionem hæreditatis tuæ.

Sancti Arthaniamij M.

GRatias ago tibi Salvator mi, quia roboraſti ſervum tuum quamvis indignum, atq; adeo debellavi eos, qui me perdere in hac hora

cupiebant. Redeo ad invocationé, ut agnoſcas quàm ſim puſillus & debilis & ſubvenias paupertati meæ. Recordare quia pulvis ſum, & vires meæ nihil ſunt. Committo me Clementiæ tuæ, nè permitte ut trophæum de me ſtatuat inimicus qui nunquam à me perſequendo deſiſtit.

Sanctæ Euphraſiæ Virginis

13. Feb. Sur. tom. 1.

CUr me deſpicis bone Ieſu? Adde ſi ità placitum eſt ante te vitæ meæ annuam moram ut defleam culpas meas, necdum egi pœnitentiam, necdum eſt in me pietatis veſtigium. Non laudant te qui deſcendunt in infernum, nec in ſepulchro invenitur qui confiteatur tibi, nihil poſt mortem mihi lacrymæ proderunt. Ut pœnitentia utilis ſit neceſſè eſt me vivere. *Non obtinuit hunc annum.*

Sanctæ Basilissæ M.

PRotege me Christe in hac hora, nè me Sathanas lupus insatiabilis deglutiat. Plus prodesse potest tua manus quàm obesse pleni hostium exercitus. O Sponse Cœlestis concede mihi per tua merita vitam cœli, in qua tu Rex es.

S. Mariæ Ægyptiacæ ad B. V.

2. April. vitù P. P.

ÆQuum non est me tam fœdè conspurcatam & sordidatam oculis hisce profànissimis ô Virgo purissima, te aspicere. Verùm cur Deus homo factus est nisi ut peccatores ad pœnitentiam vocaret? Cur tu es Mater Dei hominis, nisi ut per te inveniamus ad quem confugiamus? Adjuva me, non enim habeo aliud refugium. Recordare Domina quia propter me Iesus ille tuus effudit sangvinem suum ex venis suis. Hic

adsto

adſto tota confuſa & pudibunda, nec præſumo oculos ad te attollere: Tu tamen cum ſis Mater Filij miſericordiſſimi, & tu ipſa ſis plena miſericordiâ abſq; dubio ſubvenies meæ calamitati; Sciat totus orbis quòd non deſpexeris preces indignæ peccatricis, Aſpice dulciſſima Virgo quot tentationibus premor, nec mea fragilitas par eſt illis devincendis. Præliare pro me, da robur mihi luctanti cum feris implacabilibus, Te eligo in meam advocatam & gubernatricem, Fugiant à facie tua inimici mei qui me conturbant, Veni o Lux clariſſima diſſolve tantam caliginem radijs tuæ charitatis, Fœdæ me imaginationes undiq; circumdãt, dormiens & vigil patior abominandas illuſiones: Vellem eas devincere, ſed vix prævaleo. Ubi hæres Domina mea? Non permitte ut impetus & continua duratio prælij me ſuperet. Da, ut adjuta tuæ vigore
gra-

gratiæ animosè perferam omnes ictus.

S. Isabellæ Virg. Sconaugiensis 18. *Iun ex Egberto.*

EGo morior o amantissime Iesu; abscedo ex hoc mundo sine dolore, te enim desidero super omne quod est creatum, per sanctam tuam passionem consummatam in cruce, in qua extendisti brachia paratus amplecti totum mundum, miserere mei, & me amplexu tuo excipe, solare me, in tuto me loca.

Sanctæ Macrinæ 19. *Iulij*

DOmine tu sustulisti gladium Cherubino Paradisi & per Crucem in eum nos reposuisti. Non me à te separent obscuræ cavitates abyssi, nec impediat liberum ad te accessum invidia inimici.

Sanctæ Euphemiæ M.

GRatias tibi Domine ago quòd usq; in hanc horam me paternâ providentiâ nutrivisti. Agnosco innumera pericula corporis & animæ ex quibus me misericorditer liberâsti. Attribuo bonitati tuæ patientiam quâ tot annis toleràsti mea tam fæda delicta. Obsecro ut me eripias ab ore draconis quod hiat ad me deglutiendum. Lava me ab omni fœditate sangvine illo, qui è venis velut fontibus vivis profluxit. *Claudat ista.* S. Philppus Benucius, ut est lib. 2. ejus vitæ Cap. 22. cilicio & veste religiosâ indutus in morbo ultimo jacere voluit; & in terra poni, atq; recitari ita ut audiret Psalmos pœnitentiales, quibus adjungebat suspiria. Singultus, lacrymas, tunsiones pectoris. Cùm verò in ijs legeretur. *Peccatores, te rogamus audi nos,* Ita est mente per horas tres

abstra-

abstractus, ut mortuus crederetur. Tum quasi evigilans in hæc verba prorupit. *Væ mihi, cari fratres, quàm terribilis est pugna quæ contingit in morte. Sciatis quòd ego sum repertus in magna adversitate coram Tribunali Divino, nam dæmon repræsentando mihi culpas vitæ præsentis, cum solitis fraudibus voluit me deducere in desperationem salutis.* Si hæc Sanctus, quid peccator.

SOLILOQVIUM DECIMVM NONUM.

Pœnitentia antiquor.

ASpice anima mea exempla pœnitentium qui tamen nec tantùm, nec tam gravitèr peccarunt. Concurrite & accedite, venite & narrabo vobis omnes qui Deum irritastis. Congregamini & videte quanta ad ædificationem ostendit Deus animæ meæ &c. Attendite Fratres mei verba mea. Inclinate aurem vestram

qui

qui Deum rursus vobis ipsis per veram conversionem reconciliare cupitis. &c. S Ioan. Climacus loquitur gr. 6. Cùm igitur pervenissem ad monasterium pœnitentium, imò verò ad religionem fugientium, vidi revera (si dicere id audeam) quæ negligentis oculus non vidit, aurisq; desidiosi non audivit, & in cor pigri hominis non ascenderunt, res, & verba quæ Deo vim inferre possent, habitus & studia quæ ipsius clementiam celerrimè flecterent. Quosdam enim ex illis reis vidi noctibus totis usq; mane sub dio stare pervigiles, pedesq; immobiles tenere, cumq; somno miserabiliter depressi agitarentur, vim naturæ inferre, nullamq; sibiipsis requiem omninò indulgere, sed seipsos increpare, ignominijsq; & contumelijs afficere atq; excitare. Alios miserabiliter in cœlum intuentes, & illic adjutorium cum gemitu & suspirijs

& vo-

& vocibus invocantes. Alios in moratione existentes & reorum in morem, vinctis post terga manibus humi luridas suas facies inclinantes, indignosq; qui se in cœlum aspicerent vociferantes, nec quidquam ad Deum dicere orando præ cogitationum & conscientiæ hæsitatione præsumentes, neq; quomodo aut unde orationem facerent præsumentes. Solamq; animam tacitam mutamq; mentem Deo offerentes tenebris ac desperatione plenam. Non nullos in pavimento strato cilicio & cinere sedentes ac faciem genibus operientes frontemq; in terram collidentes,

Alios jugitèr pectora tundentes animamq; suam ac vitam suspirio ingenti revocantes. Ex his alij quidem pavimentum madefaciebant lacrymis alij verò quia lacrymarum imbres non haberent seipsos miserabiliter lamentabantur. Plurimi ut fieri in mortibus solet, super anima-

bus

bus ſuis ululatum diræ vocis emittebant anguſtiam cordis ferre non valentes. Alij ex intimo corde rugiebant, atq; intra eos gemitûs ſonum cohibebant: Interdum verò cũ ſe continere non poſſent, repente exclamabant: Vidi ego illic nonnullos habitu & cogitatione & actu quaſi à ſemetipſis exceſſiſſent ac ſtuporem mentis incurriſſent veluti æneos quosdam ſummo ex mærore effectos, totos tenebris obſi os, & ad omnia vitæ hujus veluti inſenſibiles factos mentem quippe jam in humilitatis abyſſum demerſerant, ac mæroris igne oculorum lacrymas fixerant.

Alios item mæſtos ſedere atq; in terram fixis obtutibus ſtare perſpexi, caputq; aſſiduè movere & leonum in morem ex imo corde rugitum ac gemitum emittere. Ex his alij pleni ſpe, remiſſionem omnimodam inquirentes orabant, Alij ex ineffabili hu

lij humilitate indignos se remissione judicabant, nec omnino posse Deo rationem reddere clamabant. Quidam hic excruciari ut illic misericordiam consequerentur à Domino supplices poscebant. Pleriq; ex cōscientiæ onere attriti ac depressi satis sibi ex intimis esse dicebant, si vel supplicijs eximerentur, regnoq; non potirentur.

Vidi illic animas humiles contritas & prægravi pondere incurvatas ac dejectas, quæ vocibus illis suis ad Deum emissis lapides quoq; ipsos ad compunctionis sensum emollire potuissent. Ita enim defixis in terram luminibus ajebant. Novimus, sane, novimus omnibus iam pænis atque cruciatibus nos esse dignissimos. Et meritò quidem, neq; enim idonei jam sumus qui pro debitorum nostrorum multitudine satisfacere possimus etiamsi orbem universum, ut pro nobis lugeat convocaverimus,

mus: Illud ſolum rogamus, iſtud deprecamur, id totâ animi intentione ſupplicamus, neq; in ira tua arguas nos, neq; in furore tuo corripias nos, neq; juſtiſſimi judicij tui legibus excrucies nos, ſed parciùs & miſericordiùs. *Satis* enim nobis eſt ingenti, illa tua ac terribili comminatione, ſupplicijſq; illis occultis atq; ignotis liberari. Neq; enim ut pœnis omninó liberemur petere audemus. Quâ enim facie, quo animo id audeamus, qui profeſſionem noſtram violavimus, eamq; poſt priorem clementiſſimamq; remiſſioné ſordidavimus? Illic profectò o dulciſſimi amici, illic verba David rebus ipſis cerneretis impleta, ærumnis affectos homines, atq; uſque in finem vitæ incurvatos, totiſq; diebus mæſtos incedentes, & ex putrefactis corporis partibus fœtorem exhalantes, qui quaſi ſine ulla carnis cura degerent obliviſcebantur

comedere panem ſuum, potumque aquæ cum gemitu miſcebant, & cinerem cum pane manducabant. Adhæſerunt illorum oſſa carni, ipſique ut fænum exaruerunt, nec quidquam apud illos audiviſſes, niſi hæc verba, Væ, væ, me miſerum, me miſerum. Iuſte, juſte, parce, parce Domine. Nonnulli, miſerere dicebant. Alij verò rurſus miſerabilius clamabant. Ignoſce, ignoſce Domine, ſi poſſibile eſt. Vidiſſes in illis æſtuantes lingvas inſtar canum ex ore procedentes. Ex his alij ſub ardentiſſimo ſolis æſtu ſeipſos cruciabant. Alij contra acerrimo frigore ſe affligebant. Quidam modicum aquæ deguſtantes ne omninò ſiti exareſcerent, ita quieſcebant. Nonnulli cùm panis exiguum quid accepiſſent, reliqvum manu longius proijciebant, indignos ſe qui rationali cibo veſcerentur aſſerentes quippe qui irrationabiliter egiſſent. Quē

apud

apud istos locum risus habere poterat? Quem otiosus sermo? Quem iracundia? Quem furor? Nec enim quód in hominibus iracundia esset sciebant, adeò luctus furorem omnē penitùs extinxerat. Ubi apud illos contradictio? Ubi festivitas? Ubi confidentia? Ubi corporis obsequium & cura? Ubi vel vestigium inanis gloriæ? Ubi deliciarum expectatio? Ubi tenuis vitij cogitatio? Ubi pomorum degustatio? Ubi ferventis ollæ solatium? Ubi gulæ ulla illecebra? Horum enim omnium spes apud illos nulla erat. Non terrenæ cuiusquam rei curâ angebantur. Non iudicare omninó ullum hominum didicerant. Nihil penitus in illis invenisses. Cæterùm iugitèr ad Dominum clamabant, solaq; vox orationis audiebatur. Alij enim pectus validè manibus cædentes quasi iam ad ipsam adstarent cœli ianuam ad Dominum dicebant, Aperi nobis iu-

dex ianuam, aperi nobis ex quo illam nobiſmetipſis per peccatum clauſimus. Clamat alius oſtende faciem tuam tantùm & ſalvi erimus. Alius è contra appare his qui in tenebris & umbra mortis ſedent humilibus tuis. Alius rurſus. Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes perimus, quia deſperavimus, quia nimiúm defecimus.

Nonnulli dicebant putaſne apparebit Dominus ultrà ſuper nos? Alij vero, num pertranſiit anima noſtra debitum intolerabile? Alij, putasne adijciet Dominus ultrà conſolari in nobis; Putas illum audiemus dicentem nobis qui ſumus in vinculis inſolubilibus exite; & qui in inferno pœnitentiæ ſedemus, laxamini. Putasne clamor noſter ad aures Dei ingreſſus eſt? Cuncti verò ſedebant ſēper ante oculos ſuos mortem attendentes ac dicentes: Quid putatis continget? Quænam erit illa ſententia?

tia? Quis finis noſter? Putas erit revocatio? Num ſupereſt ulla ſpes veniæ mæſtis humilibus reis? Num valuit oratio noſtra ingredi ante conſpectum Dei, aut meritò repudiata eſt, abiecta atq; confuſa. Aut ſi fortè intravit, quantúm peregit, Quãtùm placavit Deum! quantùm profecit! quantúm operata eſt. Emiſſa quippe ex immundis corporibus & labijs parum virium habere potuit. Putas omninò reconciliavit Iudicem. An ex parte. An vulnerum vel medietas deleta eſt: Quippè maxima cùm ſint plurimis & laboribus & ſudoribus & doloribus indigent. Putas appropinquaverunt nobis cuſtodes Angeli noſtri, an adhuc longiùs à nobis ſtant. Niſi enim illi appropient nobis, inutilis & infructuoſus eſt omnis labor noſter.

Neq; enim habet vim confidentiæ oratio noſtra neque munditiæ pennas ut ad Deum ingredi poſſit, niſi

nisi hanc è proximo assumant Angeli qui nobis præsunt, eamq; offerant Domino. Nonnunquam verò hæsitantes hujusmodi ad invicem dicebant. Num fratres aliquid proficimus! num petitione nostrâ potiemur! num iterum suscipit! alij verò ad ista respondebant. Quis novit? ut dixerunt Ninivitæ, fratres nostri si forte pœniteat Deus, atque ab ingenti illa pœnitentia nos liberet? Tamen quod nostri muneris est non negligamus. Et si quidem ille aperuerit, bene est. Si verò aliàs, Benedictus Dominus, justè exclusit nos. Verumtamen perseveremus pulsantes usq; ad finem vitæ nostræ. Forsitan improbitati nostræ ac perseverantiæ cedens aperiet, benignus quippe & misericors est. His atq; ejusmodi seipsos exhortantes atq; excitantes, ajebant. Curramus, fratres, curramus, cursu enim opus est, & vehementi cursu

quoniam cætu nostro decoro atque optimo excidimus. Curramus neq; huic carni nostræ sordidæ atq; nequam, parcamus fratres, sed occidamus illam sicut priùs occidit nos. Sic beati illi rei faciebant: Genua illis ex perpetuo orationis usu occaluerant, Oculi defecti atq; defatigati intùs profundi recesserant, pilis omnibus ciliorum amissis. Genæ ardentium fervore lacrymarum adustæ videbantur, facies marcescentes ac pallidæ squalebant, nihilq; à mortuis in comparatione differebant. Pectora tunsionum ictibus dolebant; salivæq; sanguinis ex pectoris, illisionibus emanabant. Ubi lecti usus? Ubi indumenti mũditia & firmitas? Omnia ibi discissa erant & sordida, ac pediculis operta. Quid autem est eorum qui à dæmonibus arripiuntur, si cum his conferatur afflictio? Quid mortuos plãgentium amaritudo! quid mæror

in exilio degentium! quid parricidij reorum pœna! nihil ſanè eſt eorum pœna ſuppliciumq́; , quo inviti afficiuntur , ſi voluntariæ iſtorum pœnæ conferantur. Sed quæſo fratres, ne ea quæ dicta ſunt fabulas exiſtimemus. Rogabant nonnunquam iſti , magnum illum Iudicem, Paſtorem dico , inter homines Angelum, ut ferrum ac torques collo ac manibûs imponeret , pedesq́; patientium conſtringeret ligno , nec priùs inde ſolveret , quàm ſepulchrum ſuccederet. Imò verò nec ſepulchrum quidem. Neq́; enim profectò hanc quoq́; beatorum illorum tevera mirabilem ad Deum charitatem atque pænitentiam obſcondam. Quoties ad Dominum profecturi , & incorrupto Iudicis Tribunali ſiſtendi erant , felices illi regionis pœnitentium cives , hoc ſibi per eum qui præerat adiurantes , a magno illo ſummis precibus petebant , ne ſepultura hu-

râ humanâ dignarentur; sed brutorum instar aut fluvialibus undis traderentur, aut in campum projecti bestijs devorandi permitterentur. Quòd etiam nonnunquam fecit illorum precibus obtemperans discretionis lucernâ, jubens illos omni psalmodiâ, omniq; honore privatos proijci. Cùm verò extrema illorum hora advenisset, terribile omninò miserandumq; spectaculum cerneres. Nam cùm eum, qui se praecedebat efflare jam animam sensissent, socij adhuc sensu integro vigente, circumstabant illum, aestuantes ac lugentes ac desiderio pleni, miserabili omninò habitu, maestioreq; sermone capita sua commoventes, efflantem jam animam interrogabant, misericordiâq; flagrantes aiebant ad illum. Quid est frater? Quonam modo tecum agitur? Quid dicis? Quid speras? Quid suspicaris? Percepistine ex labore tuo

quod

quod quærebas? Aut non valuisti? Pervenisti ad portum, aut nondum potitus es spe tuâ? Accepisti certam aliquam fiduciam, an adhuc incertâ spe fluctuas? Consecutus es libertatem, an agitatur, ambigitq; cogitatio? Sensisti aliquam in corde tuo lucem, an tenebris adhuc & ignominiæ confusione plenum est? Ullane tibi vox intrinsecùs facta est, dicens. Ecce sanus effectus es, aut, dimittuntur tibi peccata tua, aut, fides tua te salvum fecit. Illamne tibi adhuc vocem audire videris, quâ dicitur: Convertantur peccatores in infernum? Et, ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras. Et, tollatur impius ne videat gloriam Dei. Quid agis frater? Dic nobis, oramus? Ut & nos scire possimus quidnam nos illic maneat. Tuum quippe tempus jam clausum est, aliudq; de cætero in æternum non invenies. Ad hoc quidem

 dem

dem alij dormientium (*morientium*) Benedictus (aiebant) Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Alij verò, illud gementes dicebant: forsitan pertransibit anima nostra aquam intolerabilem. Quod nondum confidentes aiebant, sed considerantes quàm sit pavendum illud terribile incertumque iudicium. Alij verò etiam mæstiùs quiddam respondebant ac dicebant. Væ animæ illi quæ non servavit possessionem suam integram & immaculatam. Hâc enim horâ tamen sciet quid illi præparatum sit.

Quæ ego omnia cum apud illos audissem & vidissem, parùm abfuit quin desperatione absorberer, cùm meam intuerer malitiam, & negligentiam, eamq; Sanctorum afflictioni compararem. Quænam verò qualisve erat eius loci facies & habitatio, tota tenebrosa erat, informis, fœtida, sordida, squalida Car-

cer enim & condemnatio rectissimè appellabatur. Ipsa deniq; vel sola loci contemplatio perfectæ pœnitentiæ ac luctûs magistra erat. Sed ea quæ alijs difficilia atq; impossibilia videntur, eisq; qui virtute ac spiritalibus divitijs se excidisse meminerunt, grata sunt & amabilia, fitq; eorum perfacilis assumptio. Anima enim quæ sigillum castitatis aperuit & c acerrimo dolore compuncta, non solùm, quos prædiximus labores cum omni studio & alacritate suscipit, verùm etiam seipsam mactare per exercitationis magnitudinem contendit; si tamen in ista Charitatis ac timoris Domini favilla ulla derelicta est. Huiusmodi profectò erant illi beati (*pœnitentes*) Alij ad Dominum clamabant: ubî sunt misericordiæ tuæ antiquæ, quas ostēdisti animæ nostræ în fortitudine tua? Memor esto opprobrij, & laboris servorum tuorum. Alius verò,

quis me ponet, aiebat secundùm mensem dierum meorum priorum, in quibus me custodiebat DEUS, quando lucebat lucerna lucîs eius, super caput cordis mei? Sicq; priores omnes suas virtutes memorabant, atq; ista infantium more plorabant dicentes. Ubi est orationis puritas? Ubi huius certissima fiducia? Ubi dulces lachrymæ in amaritudine? Ecce ubi sunt! Ubi intimæ munditiæ & castitatis spes? Ubi beatissimæ ac placidissimæ quietis expectatio? Ubi sincera ad pastorem fides? Ubì orationis illius in nobis efficacia, & virtus? Perierunt ista omnia, & quasi nunquam visa sint, defecerunt, utque nunquam fuerint, ita deleta sunt & perdita. Ista cum gemitu & lamentatione prosequentes. Ita demum alij ut à dæmònio arriperētur orabant. Alii ut in morbum inciderent a Domino poscebant, Plurimi oculos amittere, miserandumq;

omnibus

omnibus spectaculum fieri optabant: Nonnulli paralytici fieri & languorem corporis contrahere, solùm, ne futura supplicia experiri cogerentur cupiebant: *Inter illos S. Climacus 30 diebus hæsit & postea interrogatus an vidisset illa certamina?* vidi, *dixit*, Pater, vidi, & admiratus sum felicioresq; existimavi qui post lapsum ita lugent, quàm qui nunquam lapsi sunt, & non se ita deflent &c. Non autem ignoro fore ut ista quibusdam videantur incredibilia, aliis verò ad credendum difficilia, nonnullis etiam desperationem parientia, quæ modò enarravi beatissimorum illorum certamina: Porro vir fortis ex his stimulum magis igneumq; iaculum sumpsit, zeliq; conceptum fervorem in corde ferens abiit: Atqui illo, alacritate minor est cognitâ imbecillitate suâ, atq; ex hac cognitione & reprehensione sui facile humilitatem possidens, post primum cur-

currit, nescio an apprehenderit (*quia tepidior*) Vir autem negligens ista quæ dicta sunt ne audiat quidem ne forte id modicum, quod interim operatur omninò desperans dissipet, compleaturq. in illo quod Dominus dicet. Ab eo autem qui non habet alacritatem, & ipsum quod habet auferetur ab eo. Fieri non potest ut qui in laqueum cecidimus iniquitatum, inde unquam emergamus; nisi nos in abyssum humilitatis pœnitentium deijciamus &c. Caveamus omnes sed inprimis qui cecidimus, ne impij Origenis morbo cor nostrum ægrotare incipiat, is enim scelestus doctrinæ morbus, cùm nimiam Dei clementiam præferat, voluptatum amatoribus maximè acceptus esse consvevit.

Sed sit, & illud quod in Concilio Toletano decimo scribitur. Potamium Episc. Bracharen. qui semel tactu fœmineo sorduerat (*verba Conci-*

cilii) ipſum ſe, nullo cogente in ergaſtulo quodam incluſiſſe, & novẽ menſibus pœnitentiã egiſſe, ac deinde proprijs literis hoc ſuum peccatum & pœnitentiam ſpontè ſuſceptam Concilio Epiſcoporum ſignificâſſe Concilium autem decreviſſe; ut toto vitæ ſuæ tempore in agenda pænitentia perſeveraret. Cùm affirmaret nihilominùs Concilium humaniùs & miſericordiùs cum illo actum; quàm antiquorum regulæ & ſeveritas pateretur. Sed & cùm ad indulgentias veniebatur à Pœnitentibus, non leves ijs conditiones aſſignabantur, ut Eugen. IV. anno 1430. *ut neſcoam* (ait Gobat) *utrum hâc ætate reperiendus eſſet qui tanti indulgentiam mercari vellet.* Nempe toto anno ieiunare, ſemel in ſeptimanâ die libera à ieiunio &c. Nec de ijs eſt quòd ſibi quiſpiam blãdiatur. Nam opus eſt ut ſit in ſtatu gratiæ, in quo illum nullæ indul-

gentiæ

gentiæ ponent, debet dolere de peccatis, debet conari satisfacere per alia bona opera, neq; ex confidentia indulgentiæ peccare. Quod autem soli illi in vivis indulgentias consequantur, qui student per alia opera satisfacere pro peccatis; Navarrus rationibus octo probat & l. bona fides a. de opposito. *Indignus est alienâ ope qui sibi non vult opitulari cùm potest*: Et licet hæc doctrina improbabilis esset, tutior tamen: Idcircò eligenda, quia indulgentia non pendet à nostra opinione: Unde qui prætermittit aliquem actum, qui iuxta probabilem aut probabiliorem opinionem putabatur non esse necessarius ad consequendam indulgentiam. Si re ipsâ tamen fuit necessarius, non obtinetur indulgentia. Ita Bonac. Dian. &c. idem est, an omnes conditiones totaliter in gratia expleri debeant: & Navarrus docet, si quis in ijs vel venialiter

pecc

peccet, nil obtineat. Iam de plenarijs Coningk Navar. docent, etiamsi pro ijs obtinendis omnes conditiones impleantur, ita tamen intelligendas concedi (ex Bonif. VIII, Extravag Antiquorum) ut illi qui pro magnitudine pœnarum quas debent, ferventer etiam opera præscripta obeunt, omnium pœnarum quas debent indulgentiam consequãtur, alij proportionatè partis, iuxta proportionem pœnarum, quas debent, & devotionis, quâ obeunt conditiones, idem proportionaliter de partialibus indulgentiis dicendum. Quia tantas lucrantur, quantas Pontifex spectatâ hâc causâ & circumstantiâ operis, potest eis concedere, Insuper valde pauca de indulgentiis secundum specificas, vel individuales rationes, circumstantias, & conditiones, consideratis, certa & explorata habentur agit Bonac. Reginal. ideoq; passim dubitant autho-

thores de indulgentiis, an non ſuppoſititiæ, an non revocatæ, &c. & addunt, *valeant quantum poſſunt*. Vt apud Gobat aliquoties poſt enumeratum indicem earum. Tutiùs ageret qui iuxta veteres Canones, pro periurio 40 dies in pane & aqua & ſeptem annis pæniteret, ut Papa Gelaſius & Fabianus decrevit, qui pro furto quadruplum redderet, Eccleſiæ duplum, & annis ſeptem in pane & aqua pœniteret. Sed demus te indulgentiam conſequi, nunquid tot annos tolles purgatorii, quot annorum eam conſequeris, utpote triginta millium? nec enim tamdiu ſtabit purgatorium; ſed quia Tolet. Bonac. Coningk docent multis annis valde rigidæ pœnitentiæ aliquos vix lucrari annum purgatorii, pœnitentiæ autem vicem explet indulgentia, ideoq; illa multorum annorum obtenta, non totidé annos tollit purgatorii, ſed forte

ſæ-

ſæpe vix horam. Sed ait P. Georg. Gobat Theſ. Ecc. p. 2. n. 641. *Addo eſſe opinionem cuiusdam viri docti, prudentis, ac pii, quòd ne quidem omnes religioſi, qui in religione ſtatuq; gratiæ moriuntur potiantur indulgentiâ, morientibus religioſis conceſſâ,* & certè nõ apparerent tot, poſt mortem rogantes auxilia, nec purgatorio torrerentur. Et tamen in morte datur facillimè indulgentia, & pro actu incomparabiliter minùs excellente (*ait idem ibid.*) quàm ſunt univerſi, quos etiam tepidiſſimi religioſi exercent.

Requirunt inſuper aliqui opera pro conſequenda indulgentia debere fieri cum intentione lucrandi indulgentiam; cum cognitione & ſaltem virtuali intentione illius intentionis, quam præfixit Pontifex, cum dolore de peccatis; ut ſi velis mortuo tibi prodeſſe, dum es in vivis, peculiarem devotionem habeas ad

indul-

indulgentias lucrandas & ſuffragãdum animabus in purgatorio &c. quas demus conditiones probabiliùs non requiri, interea tamen hîc nil prodeſt probabilitas ſententiæ maior vel minor, ſed ſola veritas. Ideò *ait Gobat n. 686. debes te accommodare ſententiis tutioribus ſive ſint magis ſive minùs probabiles.*

Nec illud modicæ conſiderationis: Multi Theologi docent, in morte non ſufficere attritionem cum Sacramento, ſed opus contritione; quia etſi probabiliùs eſſet ſufficere, in re tamen tanti momenti, ſequi debes tutiorem, etſi minùs probabilem ſententiam: 2 Etſi communiter doceant, Sacramentum ex Attrito facere contritum, ſeu non requiri ad ordinarias confeſſiones contritionem; tamen hoc non eſt de fide nec plùs quàm probabilis opinio, qualem poſſibile eſt eſſe falſam. 3 Quoties in idem peccatum relaberis, etſi cæ-

teræ sint eædem circumstantiæ; tamen quodvis sequens peccatum est gravius peccatô priore, & solùm tibi restat, *Fortè Deus miserebitur & me convertet*. Sed fortè etiam non miserebitur, cùm & huius rei non pauca sint exempla, & tu nihilo illis, qui reiecti sunt, melior: Et certè non habet causas cur misereatur, quia hominem non toties offenderes, an illo Deus tibi vilior? Non permittis nidificare vespertiliones in tuo cubiculo, permittis in throno Dei & templo, quod es, tu: 4 Qui spe confessionis peccant, imò etsi non spe, eius, sed tamen se non emendantes ad Dei misericordiam confugiunt multò graviùs patiuntur, quàm si non confugissent. 1. Reg. 4. passi Iudæi cladem quatuor millium, non se emendantes in sceleribus, imò per impuros filios Heli arcam apportari curârunt. *Afferamus ad nos arcam fæderis, ut salvet*

vet nos de manu inimicorum nostrorum. Postquàm allata arca: *facta est plaga magna nimis* nimirum triginta millia cæsa Hebræorum. 5. In iudicio mundi qui primò peccat, potest invenire veniam, si peccet secundò difficillimè, si tertiò & quartò, nescio an remittetur. Et hoc iustè fit: itaq; & Deus hoc faciet, imo faciet Ecc. 26. *In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi venit.* Ioan. 5. dictum sanato homini. *Noli ampliùs peccare ne quid deteriùs contingat tibi.* Quia numerat Deus peccata, & tandem ferit ubi completur mensura. 2. Petr. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ quàm post agnitionem converti retrorsum ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Non frustra monet Chrysost. serm. de lapsu primi hominis. *Cogita o homo graviorem esse culpam post veniam, renovatum vulnus peiùs dolere post curam, molestiùs hominem sordidari post*

gra-

gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat, sanitate indignus est, qui semetipsum, postquam curatus est, vulnerat, nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat.

SOLILOQVIUM VIGESIMUM.
Pænitentia nostra.
PUNCTUM I.

I. VRget nos ne Pœnitentiam differamus, 1. Mortis tempus incertum, & fortè subitum. 2. Interim *nemo scit an amore, an odio dignus.* Ideoq; debet media adhibere, quibus se certiorem faciat. 3. Adimpletur quando nescimus mensura peccati. 4. Tam diu in servitute diaboli interim manes. 5. *Qui baptisati estis*, eum ergo tantis fœditatibus in nobis exhibebimus? DEO Patri spectandum exhibes, quantùm putas isto dspectu recreatur? Quidquid à Deo petimus, dum in peccato

cato ſumus, ita agimus acſi latro adhuc cruentis manibus à Patre, cuius Filium occidit, hæreditatem petat, unde ait Deus, *manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* 7. Omnia opera tua nil merentur. 8. Si hic gravis labor pœnitentiæ an levis erit ignis gehennæ? 9. Sed Clim. gr. 5. Si pœnites, ſcias quòd, *Pœnitentia eſt corporeæ conſolationis perpetua & iugis repudiatio. Pœnitentia eſt voluntaria earum rerum omnium, quæ affligunt, toleratiô. Pœnitens eſt cruciatuum ſemper ſibi opifex. Pœnitentia eſt valida ventris afflictio, animæq; in ſenſu firmiſſima iugis reprehenſio* Id: Ibid. *Qui revera reatûs ſui pœnam dat, is omnem diem quâ non auget bona pœnitentiæ ſe amiſiſſe arbitratur, etiamſi quæ fortaſſis bona alia in illo fecerit &c.*

PUNCTUM II.

SEd fortè plures, & fortè graviùs offendunt dum pœnitent, magis

expediret illis statim damnari, quàm post pœnitentiam, quam agunt: De his mitissimus erga lapsos Aug. *pœnitentes pœnitentes! vel potiùs Deum irridentes.* Graviùs utiq; offenditur læsus si deprecando irrideas, vel illudas. Satisfactio pro peccato ferè infinita esse deberet, tu confessionem velut rem levis momenti leviter agis, satisfactionem differs. Si sicut Pharao promittis emendationem, & fallis, cave ne tandem ad hoc devenias, ut sicut Phoraonis cor induretur & malè pereas. 2. Deprecamur, sed ità ut inter amplexus in latus pugionem læsi stringamus; dedimus nos, sed gladium tegimus quo mactemus: Convivio Deum accipimus, sed venenum inter cibos novo peccato apponimus. 3. Si quis sæpius dicat se tecum de cætero sincerè acturum, & tamen fallat; si se tibi submittat, & alapā impingat? 4. Sacrilegium in con-

fessione admittere, est Sacramentũ destruere, inhonorare, sicut si quis porcum baptiset, bestiæ Euchari-stiam porrigat, oleo sancto calceos tingat. 5. Christi sangvinem accipis ut eo peccata tua abluas, & interea te dæmoni sacrificas. 6. Ideò Spiritus nequam assumit septem se nequiores & redit ad te. 7. Ipse Deus non video quomodo possit tibi credere (ut homo loquor) toties promittenti emendationem & fallenti, nã qui tali credit, facilis censetur ad credendum. At, *qui facilè credit, levis est corde*, quòd in Deum non cadit. Si ergo Deus tibi non credit in confessione statuenti emendationem, vide quantum illa valebit: Non frustra S. Bern: de inter: tomo c: 37 *Simulata confessio, non est confessio sed duplex confusio.* Quia nimirum & se ipsum confundit homo, & Deum confundere vult quodammodo levem volendo facere. 8. Quodsi à Deo

Deo vitia debent removeri, virtutes adſcribi. Ipſe diiudica. Clementem ne eum ſupponeres, an potiùs inertem & ignavum? quem ideo offenderes quod ſcires non ſolere ſtatim punire, facilè ignoſcere, & dares illi alapam & ſecundam & decimã, nec propter hoc magis ſolicitareris quàm quòd pulex ſit niger: Et hæc tua mens illi bene conſtaret, & illum tamen putares remiſſurum facillimè & hoc iterares in illum, unâ die aliquoties insuper eiusdem manu arreptâ eum cæderes, oculis ligatis illuderes, & tamen ubi leviter pectus percuſſeris, velles ſtatim ignoſcere.

PUNCTUM III.

TEntatio ais ad peccatum impellit. Execratur antiquitas Tulliæ impietatem, quæ per corpus occiſi Parentis ad regnum properavit: Ita agis per calcatum perge Deum, per cal-

calcatum perge cœlum, quorſum ? Ad peccatum, ut tibi ſatisfacias, ut Deum contemnas? non ob regnum, ſed ob turpitudinẽ, non ob rem magnam, ſed ob momentaneam. Et ecce talis impietas tunſione levi pectoris tolli debet! 2. Iudicia, iudicia Dei, qualia eritis, quando noſtra facinora & gentiliũ cõferetis? Appellabitis Reginã Sabã Sydonẽ &c. Ubi eritis tunc peccatores? An ſub collibus, quos rogabitis ut vos operiant? An ſub montibus? ſed nec ab his impetrabitis ut vos tegãt? Sed aſpicietis in quem confixiſtis: Dicetis *in quo te confiximus* Domine? Reſpondebit *in decimis veſtris &c.* in pœnitentia veſtra, &c. dolor eius in iuſtificationibus veſtris, in ſatisfactionibus pro peccatis.

PUNCTUM IV.

IN primitiva Eccleſia dabatur pœnitentia annorum ſeptem pro

uno

uno peccato, imò annorum quindecim, & tamen quàm pauci tunc salvabantur! quid modò ubi ad minimas, sacerdotes coguntur descendere, ut vel illas dignetur pœnitens acceptare. Ridendo ad infernum pergimus, qui aperuit fauces suas 2. Deus dicit: *Nisi pœnitentiam feceritis, peribitis*, sed pœnitentiam *dignam*. Surdi homines non sunt Ninivitæ. 3. Clamat Deus, hic vos iudicate & non iudicabimini: Ibi enim & in *Angelis reperit pravitatem*, *& iustus vix salvabitur*, *&. nullus vivens iustificabitur.* At ô Dei iudicium! ô judicium! tamen ad te culpas nostras reijcimus! immensa es misericordia, quanta eris Iustitia! 4. Humane intellectus quomodo iudicas? Alapam Deo impegisti per veniale, occidisti per mortale, & per hoc sufficit una tunsio pectoris joco facta? Profectò non sic pro colapho regem placares, non sic pro

filio occiso. Rideret hic Climacus tuam pœnitentiam, qui veterum gr. 6. obstupescit. Proinde pœnitentes verius irridentes non facitis dignos fructus pœnitentiæ, plus facis si levissimô verbô comparem tuum afflixeris: 5. Proinde peccasti mortaliter, hic infernum unum afflictionum in te coacervare debes, quia peccatum dignum inferno: velis contemni, subijci, etiam pedibus dæmonum. Deus prœscribit omnibus modum Ioël 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra &c.* 6. Gravè est pœnitere; *magno vulneri, magna medicina debetur.* Nunquam pro peccatis tu ad æqualitatem facies, quidquid feceris. Valetudo inquies obstat. Eritne, rogo, in inferno respectus tuæ valetudinis? Dæmones sanè te molliter habebunt! 7. Facite, dignos pœnitentiæ fructus, quia multi, multi, multi cõfessi in

æternum perierunt. Sanctus Cypri. anus de lapsu. *Pœnitentia crimine non sit minor. Putasnè tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium* (res terrenas) *præponere maluisti, cuius templum sacrilegâ contagione violasti: Putas facilè eum misereri tui, quem tuum* (per peccatum) *non esse dixisti. Orare oportet impensiùs, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibûs ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibûs occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus, post indumentum Christi perditum, nullum iam velle vestitum, post diaboli cibum, malle ieiunium &c.* Chrysost. hom. 12. in epist. ad Heb. *qui in peccatum cecidit, multo tempore opus habet, & pœnitentiâ diligenti, & lacrymis: ideo enim sordes vix abluuntur & purgantur.* 8. Sed cùm Basil. apud Vil. in praxi) moneo *noli differre de die in diem conversionem tuam, nè dum sic connectis unum*

 diem

*diem cum altero, occurrat ille non co-
gitatus, in quo superveniat tibi ater spiri-
tûs* (dæmon) *& insultu facto animam
secum tuam auferat.* 9. Nec cessa pœ-
nitere. Adultera si iterum recipiatur
à marito, putatnè quod eodem modo
ac priùs ante adulterium se gerere
debeat? 10. Dignum est omni pœnâ
peccatum. DEUS Pater ait Cath. Se-
nensi: *omnes pœnæ quas anima sustinet
vel sustinere potest in præsenti sæculo,
nullo modo condignæ ad culpam etiam mi-
nimam puniendam.* Quid ad morta-
lem? *Quoniam offensa, quæ mihi fit, qui
sum bonum infinitum, procul dubio, exigit
satisfactionem infinitam.* Cyprianus
libro 3. epist. 16. *In minoribus etiam
delictis, quæ non in Deum committuntur,
pœnitentia agitur tempore iusto, & ex-
omologesis fit, inspectâ vitâ eius, qui agit
pœnitentiam: & sæpe per tres annos de-
tinebatur* ut videretur an in fletu pœ-
niteat, antequam absolveretur: &
modò quid! 11. Hæremus adhuc in

dubi-

dubitamus, an pœnitentia ſit agenda, cum iuxta S. Cyprianum ſerm. de lapſu *hoc ipſum ſit novum*, peccatum ait ille. *Ecce peiora adhuc peccandi vulnera, Ecce maiora delicta, peccaſſe, & non ſatisfacere; deliquiſſe, nec delicta deflere &c. &, non ceſſet in agenda pœnitentia, atq; in Domini miſericordia deprecanda, ne quod minùs eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur.* Unde S. Greg. Nazianz. orat. 2. de Bapt. *Recipio pœnitentes, ſi lachrymîs rigatos videro.* Et quod miſericordia Dei interim nos non pœnitentes toleret. Chryſoſt. de Virg. c. 23. *Cùm multa peccantes, nullas ſcelerum pœnas pendimus, nec confidamus ſed pendamus potiùs, quamvis enim hic à Deo non iudicamur, tamen una cum mundo apud inferos condemnabimur.*

SOLILOQVIUM VIGESIMUM PRIMUM.

Contritio.

1. HOc me tenet quod ait Scriptura, *contritio & infelicitas in viis eius*, Sed ideò infelix quia in vijs non recedit de via peccati. Si quis alium gravissimè offendat, & idem statim facit, tum judicat offensus sibi illudi. Manemusnè in vijs? En dolor, en propositum! An ut Pelagiæ! An ut Magdalenæ, an ut Petri! Negavitnè rursus! rediitne rursus! At difficilè inquies, mutare vitam, sum habituatus; ista vereor ne sint signa reprobationis. Scimus, si Medici omnia adhibeant, & non prosint, pro desperato ægrum habent.

2. Ecce doloris veri imago. Occidit parens filium unicum, optimum, noctu in tenebris, putando hostem, quomodo dolet! an ità ut statim rursus sit illum occisurus. Vulnerat filius

filius matrem casu, an ita dolet, ut statim iterum sit vulneraturus? Heu nostrum dolorem! heu imaginem doloris! heu verba doloris! bene providit veritas. *Qui me non amat plus quàm Matrem Patrem &c. non est mê dignus.* Rumpere cor meum, quod peccasti, & toties, quoties peccasti, sed rumpere millies, quoties Deo illæsisti. Ille pro peccatis tuis sudat in horto sangvine, tu verbotenus dicis doleo, & non recedis, ille obtestando pro te cruci suffigitur ne pecces ampliùs. Tu quid! *Multiplicasti Domino meo* Pater æterne *gentem, & non consolationem.* 3. Dolor verus est qui est super omnia, quia Deus, qui est super omnia, offensus est à me tam vili, qui propè sum infra omnia. Itaq; debeo dolere, ita; ut omnia potiùs amittere, & pati deberem, quàm rursus malè agere. Sed quàm firmus dolor! venit ventus vanitatis, honor meus, hic agitur, er-

go superbiendum. Ergo pluris sum æstimandus quàm DEUS. Venit voluptas, venit &c. In hoc est contritionis pars! ob amorem tui Deus malo omne malum subire, omni bono carere, quã te de cætero offendere. Hinc sequitur *cor contritum velut cinis*. Scinditur, quidam fit motus, qualis est, si quis cor nostrum in minutissimos pulveres redigeret, in partes discinderet. Sed heu me! toties hoc dicimus, sed quam fallaciter! nullus tam fœdus, barbarus, qui tam levi de causa fidem datam fefellit. Quomodo mihi credes amplius Deus mi? At credis, *in quacunq; hora ingemuerit peccator*. O abyssus bonitatis tuæ! ô abyssus perditissimæ malitiæ meæ! Doleo, doleo! ah millies doleo, & super omnia. Credo nunc. Sed heu me! sic ago tecum, manum tibi velut Ioab do in signum amicitiæ, & te ferro confodio, do osculum sed ut te tradam.

O

O quantâ maledictione dignus sum! An potest fieri si vehementissimum affectum haberemus, qualis est cõtritio ut foras non prodiret per lacrymas? Non credo, si cor millies scindatur ut possim gemitum exteriorem tenere. Sed heu! quod signum veri doloris? ante confessiones risus, & confabulatio, post eadem omnia. Potestne fieri aliquis tam subitò de gygante pygmæus? de æthyope albus? en hæc monstra sũt in nobis. Hoc momento Deum amo super omnia, sequenti infra omnia. Væ illi qui imponit hominibus, & quomodo non væ nobis qui Deum ipsum decipere volumus, dicimus nos amicos, & ecce qui sumus? Itane subitò potes mutare te Homo, cùm super omnia doles? Moritur parens, quia verè doles? non potes esse lætus, altero momẽto: bona tibi diripiuntur, rem carissimam amittis, non potes etsi ve-

lis esse lætus, etsi tot ad lætitiam te trahant. Quia verè doles. Iam te iudica qualiter doles de Deo offenso, quem tam subitò mutas? Quod si contritio est dolor super omnia, te ipsum iudica, si tibi oculus esset eruendus, manus amputanda &c. & posses unico te mendacio salvare excusando te, an non mentireris? Si sic. Amittis pecuniam & fur tibi aufert; quomodo deinde attendis, en Deum amisisti & cœlum. *Contritio* est malle omni bono carere, & omne malum perpeti quàm peccare. Intentet quis collo gladium, in ignes est proiecturus, si in defensionem adhuc audes mentiri, non verè elicuisti contritionem. 2. Proponatur tibi hinc ebrietas, luxuria cum suis omnibus illecebris, inde vivi tui combustio, aut in rotam intorsio; si non magis cohorrescis ad ebrietatis mentionem, non elicuisti contritionem, etiamsi æqualiter horrueris.

3. Si tibi quiſpiam denunciaret, immiſſos in te à R ge ſatellites ut te membratim concidant, & alter, te peccâſſe mortaliter; ſi ad priorem nuncium maiori pavore concutieris, erit ſignum non veræ elicitæ Contritionis. 4. Oculos tibi eruere, aures reſcindere & linguam, manus & pedes truncare paret quiſpiam, alter ſollicitet ad iram, ut in ea quempiam diffames, aut maledictis impetas, ſi non magis hunc quam priorem oderis, non verè contritus fuiſti.

Actus aliqui Doloris
Monachorum *apud S. Climachum.*

Miſericordia Domine miſericordia. Doleo me iniuſtum fuiſſe contra bonitatem tuam. Salva me quia tibi hoc erit glorioſum, & ut nomen tuum exaltetur. Reſpice me Domine oculis tuis Clementiſſimis, meaſquè ærumnas & humilitatem libera, &

de-

defende, parùm infert, si ego perdar, at multùm refert si tua in parcendo misericordia fiat nota. Plus respicio tuum honorem, quàm meam utilitatem. Et quia honorificum tibi est, nunquam te offendam.

Theophili Lapsi 4. *Febr. Lipom. tom.* 5.

Quò ibo miserabilis, nisi ad Christum bonum meum quod inhonoravi? Hoc scio & confiteor quòd tua bonitas tanta sit, ut nolis perdi opera manuum tuarum. Respiro & vivo ex consideratione, quod tu sis totus bonus, & non cupias me destruere, Verùm nihilominus etiam est, quod hoc ipsum cruciat cor meum, quod scilicet iniuriam intulerim bonitati tam misericordi, quæ merebatur ut tibi in rebus omnibus deservirem.

San-

Sancti Iacobi Eremitæ post lapsum, *Metaphr. & Lipom. tom. 3.*

Quomodo attollam oculos ad cœlum? aut quomodo audebo petere veniam? Conforta me Domine ne in me spes deficiat. Noli in pœnam peccati destruere hunc peccatorem, noli eum despicere Deus meus, imò ad gloriam tuam, & ut prædicetur tua charitas & misericordia, parce mihi, & me respice. crescit honor tuus apud mundum, cùm ille videt me homuntionem indignissimum, ab hac tam dulci bonitate donatum esse libertate, & vivere beneficio tantæ misericordiæ, quam nunc & semper exaltare cupio. Tua est gloria magnificari, à tam levi vermiculo.

Sanctæ Pelagiæ Pœnitentis.

Sur. tom. 5.

DEUS meus & Salvator meus! Ego sum mare & abyssus iniquitatum; Tu benignus, concede huic vilissimæ creaturæ beneficium tuæ Redemptionis. Tu recepisti Magdalenam, & condonasti Samaritanæ. Recipe similiter miserabilem hanc animam inter brachia tuæ misericordiæ. Agnoscit conscientia mea quod meæ culpæ superent numero suo arenam maris; attamen quid sunt comparatæ tuæ misericordiæ! Tu Domine in terram descendisti, ut versareris cum publicanis & peccatoribus. Vide in me speluncam draconibus refertam; sed obsecro, tu eam effice hortum deliciarum æternarum, in quibus exalteris & glorificeris. Hoc volo, hoc desidero, ut nota fiat tua potentia & misericordia,

dia, & ut manifestum fiat te esse sūmè bonum, nec ullum à te deseri. Peto quod mihi salutiferum est, quia tibi placet hoc à me peti, & quia volo ut in me honoreris, & credaris esse benignus & misericors, & Deus infinitæ bonitatis. Desiderat anima mea fieri sponsa tua, nè unquam tibi displicear. Tuum placitum & tuus honor sunt scopus, mei desiderij.

Sancti Guilhelmi *ex Theobaldo Episc. & Sur. tom 1.*

Respice Domine mi, hanc ovem perditam, admitte hunc filium prodigum, qui vitam egit inter immūda animalia. Miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam. Da mihi spiritum per quem omnia amore tui contemnam. Ego Domine sum tuus, & nolo te offendere. Tu enim es qui omnem honorem mereris, cùm sis Deus Deorum & Do-

Dominus Dominantium thesaurus infinitorum bonorum.

Sanctæ Mariæ Neptis S. Abrahami *Sur. tom.* 2.

Heu me miserabilem! heu me, quia profanavi templum Dei! Eheu deturpavi eius imaginem, & rupi fœdus in Baptismo initum, & vota millies in vita facta! Miseram me! quæ propter vilissimam voluptätulam averti oculos à Deo meo, & omnem eius substantiam vendidi. Heu me! quæ pessumdedi omne id, quod comparaveram per tot Sacramenta & bona opera. Quibus deinceps oculis cœlum aspiciam, cùm isti quos habeo toti contaminati sũt ex aspectu malitiæ? Quibus labijs, quâ linguâ supplicabo illi purissimæ Majestati, cùm sint maculata & tam fœdis culpis deturpata? Ad Deum quali cum corde accedam? Quomodo loquar cùm legem ejus conculcârim

cârim cùm promissa ei facta violâ-rim? Cùm sim plena maculis in corpore & anima? Heu me! quò me vertam? ô si me mors ante rapuisset, quam talem malitiam committerem contra divinam Majestatem! quis lacrymarum fons poterit eluere tot & tantas maculas? ô quantis bonis excidi! in quanta mala incidi! quid tibi accidit anima mea? quomodo tantopere elongavi à te Deus meus? Quomodo me ita abieci. Converte te ad me ô Deus meus, peccavi, peccavi? Tu es amator meus & amor meus, tu enim es qui me quæris. Agnosco in te viscera Materna etiam erga eos, qui te non quærunt. Nullum vulnus tantum est, quod tu curare non possis. Da mihi têpus & locum Pœnitentiæ: Indignã sum tuâ misericordiâ, attamen eam mihi Filius tuus sanctissimus promeruit, consequar per illum, quod ex me nonmereor. Parce amantissime

Pater

Pater propter id quod es. Elue meas maculas ſangvine IESU Chriſti: Sic non invenietur in me fœditas, quæ tibi diſpliceat. Hoc doleo, quod in me inveniatur veſtigium rei, quæ tibi diſplicet. Da ut in te reſpirem, relevata potenti tuâ dextrâ. Libera me à tam profunda miſeriæ abyſſo, ut ſemper cantem gloriam tuam.

Sancti Iſidori Hiſpalenſis.
Sur. tom. 2. Apr. 4.

Tu Domine non inſtituiſti pœnitentiam pro juſtis, ſed pro peccatoribus: ecce me peccatorem cuius delicta ſuperant numerum arenæ maris. Si cœli in conſpectu tuo mundi non ſunt, quanto minus ego miſerabilis? qui bibo tanquam aquam iniquitatem, & nutrior tanquam lacte recenti, peccatis!

San-

Sanctæ Brigittæ.

Majorem dolorem sentio propter peccata commissa, quàm propter infirmitatem. Etiamsi nunquam in cœlùm admittenda forem, servirem tamen huic magno Domino. Debetur enim omnis subiectio huic bonitati Infinitæ.

SOLILOQVIUM VIGESIMUM SECUNDUM.

Communio malè facta.

PUNCTUM I.

QUO vadis IESU dum à Peccatore sumeris ? 1. Ad Crucem ? Malles. Crucem elegisti ut peccatum tolleres, cum peccato in eodem corde eris, sicut ignis cum aqua, sicut ovis cum lupis, sicut agnus cum draconibus. 2. Ad lutum ? Malles: Pejus est peccatum. 3. Si quis te in ignem mitteret ? Malles

4. Si

4. Si in ſaniem, & quisquilias pro-ijcereris? Malles. 5. Ad carcerem? Malles. In Iudã, poſt Euchariſtiã ingreſſus diabolus an ut te occluderet in hoc carcere? Quia dixiſti, *hæc eſt hora & poteſtas tenebrarum.* 6. Ad mortem? Malles, ibi vita humanâ deſtructa divinitas quantùm in homine, ſicut qui imaginem Regis in deſpectum combureret, in lutum pedibus detruderet, Regem deſtruit ut poteſt, 7. Ut immunda tuo ſanguine ablueret? Malles. Et certè parietes dœmoniaci habitaculi abluuntur. 8. An ut tuum ſanguinẽ hoſti in fœdus contra te propinet? Ita eſt. 9. Si quis acceptâ Euchar. porcos & canes paſceret. Fit, *Nolite dare ſanctum canibus, nolite margaritas ante porcos iacere.* 10. Si quis a Medico acceptâ optimâ medicinâ eam in venenum converteret, & eam medico propinaret. Si quis Magiſtrum veræ fidei, hæreſeos accu-

ſaret,

farет; si quis amicum in hostes in-ducerет, Patrem proderet Tyranno, si quis in infernum SS. de cœlo de-traheret. Pejus tecum fit.

PUNCTUM II.

1. QUid ages in eo corde. 2. Ut judicetur homo sicut Pilatus, Herodes &c. *Iudicium sibi manducat, & bibit.* 30. Ut maledictione repleas. *Quotum os maledictione plenum est.* 4. Ut in corpore morbos contrahar. *Ideo inter vos infirmi multi, & dormiunt multi.* 5. Ut in eo statu stet, ut melius esset illis non esse. *Melius si natus non fuisset homo ille.* 6. Ut si quid bonarum consuetudinum, honestarum virtutum habeat, destruatur. *Evelle, destrue, eradica.* 7. Ut cuncta bona ejus per varios casus consumantur *Deus ignis consumens.* 8. Ut morte mala pereant, ut Iudas, qui *crepuit* per medium, & *ruptus*, ampliùs illius intestina te deferre nō poterant. 9. Ut infames, sine ho-

nore

nore contempti apud homines sint, *Imple facies eorum ignominiâ & quærent te.* 10. Ut illis nec in hoc, nec in illo sæculo remittatur. Quia contra Spiritum S. quodam modo peccârunt, præcipuum enim opus Spiritûs S. fuit ut tu incarnareris, ita præcipuum ut in cor hominis venires. Ut magis in infernum præcipites. *Hic est positus in ruinam multorum.* 11. Ut omnis creatura contra illos decertet, Elias ait, *si ego vir sum Dei, descendat ignis super vos.* Si ego sum Christus &c. 12 In inferno sint specialiter exosi & dæmonibus, & damnatis. Fel, *draconum vinum eorum, dum adhuc essent esca in ore eorum ira Dei descendit super eos. Famem patientur ut canes.* Edebant hunc panem ut canes. 13. Sicût Angeli erant in eum secuturi si dignè accepisset, ita sequuntur dæmones, *post buccellam introivit in eum Sathanas.* 14. Ut mutentur in dæmones & ita exosi sint Deo.

Deo. Ita de Iuda, *unus ex illis erat Sathanas.* 15. Ut indurentur, ut amplius resurgere non possint. *Indura cor eorum.* 16. Vt in peccata maiora veluti pondere pressi labantur. Chry. *Indigna Corporis Domini sumptio non alleviat sed gravat.* 17. Vt in venenum illis vertatur sicut medicinæ malè sumptæ. *Mensa eorum venenum aspidum* Sanctæ Hildegardi trecentis annis ante Lutherum revelatū est, quòd Lutherus, & bella in Germania, & tantarum ruinarum in anima & corpore moles, permittenda est propter indignam Communionem, quæ tum erat in Germania.

PUNCTUM III.

1. QVis dignè sumit? Qui magis separat? quam pro morte, quia nec exhortationem, nec pedū lotionem fecit pro morte Christus, sed discipulis tantùm *ego mitto vos*,

ut hic. 2. Qui habet purius os, quam Angeli? oculos &c. quia *Angeli non audent aspicere*. 3. Qui est purior quam sol & luna? *Quia luna non est munda in conspectu eius*. 4. Qui ex una sumptione semper est melior &c. *Quia terra crebrò venientem imbrem bibens, & non germinans maledicto obnoxia*. 5. Qui proposita implent. *Perdet omnes qui loquuntur mendacium, virum dolosum abominabitur Dominus*. 6. Qui mavult omnia amittere, quam venialiter peccare. Apoc. *dignus est agnus qui occisus est ab origine mundi &c.* Sed tu à diaboli aris tantum secedens ad sanctum domini, sordidis, & infectis scelere manibus accedis. Mortiferas voluptates, & spurcitias pænè adhuc loqueris, & domini corpus invadis. Et tamen scriptura Cor. 10. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicē dæmoniorum, non potestis mensæ Domini communicare, & mensæ dæmoniorum*, 1. Reg.

Reg. 24. 19. Ex Bethsamitis quòd vidissent arcam domini, quæ erat figura hujus Sacramenti, 50. millia plebis perierunt. Accidit nobis quòd Caino Gen. 4. 10. *Quid fecisti? Vox sanguinis Fratris tui clamat ad me de terra.* De terra. Quia ut Bern. declam. Ecce nos. *Præstantissimum sæculi pretium in sterquilinium proiecisti.* Quia ut Chrysost. in 5. Cor. 11. 27. *Ita reus es corporis; & sanguinis Domini; ac si Christum occidisses & sanguinem eius effudisses.* Quia ut S. Th. â Villanova Conc. 3. de SS. Sacr. *Quascunq; blasphemias, irrisiones, quascunq; opprobria, impiissimi Iudæi corporaliter in Christum exercuerunt, has omnes spiritualiter repetit impius comestor, filium Dei in semetipso crucifigens, & ostentui habens.* Quia ut Ambr. in cap. 10. Hebr. *Conculcâsti Corpus Domini.* Ideò Chrysost. hom. 83. in Matth. *Multò dæmoniaco peior es, qui peccati conscius accedis, quoniam ei ex his*

traderis tormentis. Instituit Christus, ut per hoc Deus summam gloriam haberet, tu facis, ut summum despectum; ut habeat tecum unionem, facis ut dissidium. Quid aliud diabolus totò suò odiò in Deum excogitare posset? Accipis illum sed ut Cain Abelem, ut occidas, sed & hujus sangvis de terra cordis tui clamabit vindictam. Accipis ut Iosephum Fratres, ut vendant, ut obstetrices Pharaonis filios Hebræorũ, ut mactent, ut Dalila Samsonem, ut prodas, petis caput ejus; sed ut Herodias, Ioannis. Sed illud horridum est, quòd qui indignè edit, ad peccata gravissima magis acuitur sicuti Iudas de quo S. Cypr. serm. de cœna Dom. *Vbi sacrum illum cibum mens perfida tetigit; & sceleratum os, panis sanctificatus intravit; parricidalis animus vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea de area exsufflatus est, & præceps cucurrit ad proditionem*

& pre-

& pretium; ad desperationem & laqueum. Meliùs profectò esset ut Id. ibid. Meliùs *erat molâ asinariâ alligatâ, mergi in pelagus, quàm illotâ conscientiâ, de manu Domini buccellam accipere.* Ibid. *Idolorum servitus est; & horrenda abominatio, velle simul Baal famulari & Christo.* Abi retro &c. Idem de indignè accedente fœmina serm. 5. de lapsis. *Non cibum sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia palpitans ac trepidans concîdit.* Et S. Macarius vidit tales, loco hostiæ carbones ex manibus diaboli accipere. *Ruffinus in VV. Patr. lib. 2.*

SOLILOQVIUM VIGESIMUM TERTIUM.

De Respectibus Hūmanis, qui sunt causa imperfectionum.

PUNCTUM I.

1. IN eo sunt. Omittere aliquid ne de te alij loquantur, rideant, non orare, non benè agere &c. 2.

Vide an non hoc negare Christum coram hominibus? sed Matth. 10. ille tales coram Deo negat. 3. Nonne hoc dijs alienis, id est, hominibus & respectibus sacrificari? At Exod. 22. *sacrificans diis eradicabitur.* Et Osæ 8. *sacrificia eorum tanquam panis luctûs, omnes qui manducant ea contaminabuntur.* 3. Nonne hoc Deum negare tuum Dominum, & eò perfidem desertò alios quærere? Certè Paulus ait. *Si hominibus placere vellem, servus DEI non essem.* Unde Isai. 30. *Væ vobis filii desertores, hæc dicit Dominus, Habuistis consilium & non per me.* Non hoc est Christi consilium quod sequeris. 4. etiam ipsi S. Petro, cùm ille aliquid humano respectu egisset, Paulus in faciem restitit: *reprehensibilis enim*, inquit *erat*, quomodo non tibi in cœlo resistet cùm tua oratio coram DEO sistetur, vel tu ipse in judicio? 5. Nonnè hoc est esse paleam quæ vento humani-

te.

respectûs agitatur, cùm grana tritici jacent? sed cum grana in horreum ponentur, ponentur paleæ in igne. 6 Hocnè est sanctificare nomen Dei coram hominibus, an potiùs obscurare, & polluere? Sed Malach. 2. *si non audieritis, & si non posueritis in corde vestro ut detis honorem Nomini meo; dicit Dominus, immittam in vos maledictionem; & maledicam benedictionem vestram?* 8. An non hoc erubescere Evangelium: Quid ergo factus es Christianus? 9. DEUM colis Belzebub, id est muscam. Reg. 5. *Si Baal est DEUS hunc sequamini, si DEUS est DEUS hunc sequamini; quid claudicatis?* 10. An non hoc mentiri Deo & Spiritui S? sed tales subitâ morte Act. 5. Petrus punivit. 11. Elige quem sequaris ducem, si Deum, decernè illum tam facilè deserere, quem nec ob mortem Martyres poterant sine damnatione deserere? An levius cri-

men erit, ob metum levissimum, ob verbum negare, quem negare ob rotam, equuleos, torturas, damnatio est! 12. Considerasne DEI oculos ubiq; spectare? & hæc illo spectante audes! O impudentem! 13. Christus ait. *Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* At tu! Sed 2. Paralip. 15. *Hæc dicit Dominus. Dereliquistis viam Domini, & Dominus relinquet vos.* Et Luc. *In qua mensura mensi fueritis; in eâdem remetietur vobis*: vos ob respectus humanos eum deseritis, negligitis, & ille ob leves, ut vobis videbitur, causas vos in cœlum non admittet. 14. Quid super est, nisi ut remoto Christo quem coram hominibus erubescis, respectus humanos tibi loco Christi in altari statuas, si ob respectus Deum relinquis.

PUN-

PUNCTUM II.

1. PRov. 16. *Perversus in ore suo portat perditionem, & in labiis suis ignem condit.* Incidit cogitatio, faciendum esse hoc vel illud boni, ecce verteris ad Christum. Et occurrit, quid dicent de me homines, & ecce perverteris à Christo. Luc. *Scienti & non facienti bonum peccatum est illi.* S. Paulus ait: *Qui cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt morte digni sunt.* 2. Pejor es Iudæis, qui Hebr. *Si Dominum gloriæ cognovissent, non crucifixissent*, tu deseris, etsi agnoscas. 3. si virtutem amas, quid homines attendis? imò quia attendis, es impius, & non es in gratia Dei: Prov. 17. *Malus obaudit linguæ iniquorum, iustus autem non intendit labiis mendacibus.* 4. A quo speras mercedem, à Deo an ab hominibus! à quo metuis infernum, ab his, an ab illo! Cypr. epist.

epist. 3. *Qui cum Christo non est, adversarius Christi est.* Imò Christus ipse. *Qui non est mecum, contra me est.* Qui non est cum Christo etiam apud Herodem ubi irridetur, illudit eũ, etiam apud milites ubi conspuitur, 4. Quibus oculis aspicis Christum, cum elevatur S. Hostia? & ecce hi sunt oculi qui respiciendo hominem non respexerunt Christũ. Levit. 21. *Homo, in quo fuerit macula non accedet offerre dona Deo.* 6. In quo tibi displicuit Christus, ut illi praeferas hominem? An non est omnipotens? An non Iudex omnium vivorum & mortuorum? Quid est quod te movere ut illi non assistas possit? 7. Cypr. Epist. 4. l. 1. *Nec immemores esse debemus quid per Isaac prophetam c. 29. ad Iudaos locutus sit Dominus increpans & indignans, quòd contemptis divinis praeceptis, humanas sequerentur doctrinas. Populus inquit iste labiis suis honorat me, cor verò eorum*

pro-

protul est à me. 8. fecit Aaron metu humano vitulum; & tamen Moysen habuit Fratrem, qui Deum illi reconciliaret. Et ecce Num. 20. Deus ait Moysi: *Apprehende Aaron Fratrem tuum & Eleazarum filium eius, & imponas eos in moutem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic.* 9. Gal. 6. *DEVS non irridetur.* 10. Psal. 49. *Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Si videbas furem simul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Vides aliquem, & facis non quod Deo sed quid illi placet, garrit quis in Missa, & tu propter eum, ridet pauperes, & tu etiam; diripit, & tu applaudis. Scelera alia agit, & tu, ne offendas, connives.

PUNCTUM III.

3. HAbebat causam respectuum Iuvenis in Evang. cui parens

mortuus, dum eum vocaret ad se Christus, poterat dicere. Quid de me dicent homines, si insepultum reliquero! Respondit Christus, *Sinite mortuos, sepelire suos mortuos.* Acsi diceret si adhuc respectu tali duceris, mortuus es Deo & non habes vitam æternam. Habet & ille qui arat, si retrò respiciat, quid dicant de illo homines, laudentne ejus laborem, an rideant? sequanturne, an illudant? attamen Christus ait: *Nemo mittens manum ad aratrum & retrò respiciens aptus est regno Dei.* 3. Habent & illi, qui à Parentibus ad religionem abeunt: ego dicar desertor perentum, ingratus educationis, in senecta immemor? At Christus ait: *Qui pluris facit Parentes quàm me, non est me dignus, imò qui non odit Patrem Matrem &c. non potest esse meus discipulus.* 4. Si dimicat quis cum hoste, & non audet eum fortiter prosternere, quia ait, quid dicet hostilis

lis exercitus? Hoc ſtulte cogita,, quid dux tuus? Dux tuus Chriſtus - inimici domeſtici tui, eos non attende. 5. Sic Saul verebatur ne pro ſtulto haberetur. Si Domino omnia pecora hoſtium ſine diſcrimine immolaſſet, quia poterat cum Iuda dicere. *Vt quid perditio hæc?* Nunquid Deus his indiget? Nobis hæc utilia. Tamen ob hoc crimen & ipſe & filij eius, & domus eius in anima fortè omnes, & in corpore certò perierunt. Quantò meliùs, licet David ab uxore Michol irrideretur, reſpondit: *volo contemni contemptibilis eſſe*. 7. De ſapientibus veteribus teſtatur S. Paulus Rom. 1. quòd *Deum verum agnoverunt*, ſed ob reſpectus ſcilicet humanos, ne fortè ſapientibus alijs contradicerent, populo diſplicerent, *non ut DEVM glorificarunt*, ideoq; DEUS illos in execranda ſcelera labi permiſit. Hæc ſunt verba S. Pauli ad quæ anima cohor-

refce, & fimilia metue (*DEUS enim noster zelotes.*) *Evanuerunt* in: quit *in cogitationibus suis*, nempe ob varios refpectus. *Propter quod tradi: dit eos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis &c. tradidit eos Deus in passiones ignominiæ &c. tra: didit illos Deus in reprobum sensum.* ubi enumerat plurima fcelera in quæ la- pfi. Ter tradidit: Primò in luxuri- as omnes, fecundò in luxurias con- tra naturam, tertiò deniq; ut omné pudorem perderent nec crimina æ- ftimarent, imò quafi virtutem effe putarent. 8. Ais quàm hæc intole- rabilia? Irrideri ob virtutem, tradu- ci, fabula fieri. Imitare ergò fan- ctos & fuge hoc fæculum nequam, in quo pudet effe pudicum. Sed tu *amas periculum* fcias Eccl. quia *peri- bis in illo*; das locum diabolo fed Cypr. lib. 1 epift. 11. *Evadere diabo: lum non poteris cùm te eius laqueis im: plices.*

plices. Sed tu vis ut te & mundus amet, & DEUS, imò ut DEUS fallatur qui dixit Cor. *Qui pie volunt vivere persecutionem patiuntur.* Matth. *Quia non estis ex mundo, odit vos mundus.* Metuis ne ut imprudentem appellent quòd tantas spes deseras, quod sponte eligas contemptus esse, at hi sunt respectus humani. Occurrebat fortè & id Magdalenæ, dum ad Christum properaret. Me insanam dicent, convivio pleno irrumpere, pedibus hominis, qui habetur vilis, advolvi, per urbem cum eiulatu currere, sub crûce damnati patibularis consistere: Occurrebat Alexio domo fugienti. Me insanum iuvenili temeritate rapi! parentes mactare; non locum hominem sanctificare & domi, sanctis eremos esse, & impijs in eremis urbes. Sprevit hæc. Et omnes penitus Sancti sic egerunt, quia nemo qui respectus humanos curavit, in cœlum pervenit. Re-
spe-

ſpexit ſemel uxor Loth, etiam hæc liberata fuit, & ecce periit & illa. Et tu toties reſpicis homines pereuntes, & quòd Chriſti cauſam agas erubeſcis. Sed Cypr. ſerm. de lapſ. *Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit aut metuit.* Sed idem ſermone de cæna Domini. *Idolorum ſervitus eſt horrida abominatio velle ſimul Baal ſamulari & Chriſto.* Iuxta hos reſpectus & leges humanæ prudentiæ procedebat Ananias, & Saphira, & fortè dicebant. Fortè fiet ut in proviſoribus deſit charitas, aut non æſtiment noſtras neceſſitates, expedit potiùs aliquid ſervare quàm deinde cum murmure pati miſerias, continget aliquem è fratribus affligi, erimus adiumento. *Stulte hâc nocte* in hac caligine ſecularis prudentiæ *morieris, & hæc cuius erunt?* Petrus, cum accederet Chriſtus ad lavandos eius pedes, etiam ad humanas rationes reſpe:

spexit. Egone ita superbus, ita inurbanus ero? Et parum aberat quin ex libro prædestinationis expungeretur. *Nisi te lavero non habebis partem mecum.* Iuxta has rationes ivit Pharao, Ego ad vocem unius viri dimittam populum, ad prodigia quorum similia Magi faciunt? ridebor ab omnibus. Quid si illi ipsi ut pote qui bene inspexerunt regnum meum illud collecti invadant? Periit in rubro mari.

SOLILOQVIUM VIGESIMUM QVARTUM.

Peccata venialia.

PUNCTUM I.

1. SVnt *peiora* morte. S. Doroth. serm. 20. *Longè melius est & corpus suum & omnia corporea perire simul, quàm lædi animam tuam in re etiam minima* 2. Tam fœda ut Cath, Gen.

Gen. dixerit c. 15. Quòd *quando amor perfectus vel exiguissimam imperfectionem deprehendit, si Deus non averteret in pulverem redigeretur, non corpus modò, sed & anima nisi esset immortalis.* 3 Peius infernò. Quia illum Anſ. lib. de ſimil. c. 190. prælegit. 4. Cath. Gen. 24. *Anima præ nimio dolore fieret mortalis, nam sola obscura, sola inquã* (venialis peccati) *obscura visio, quæ nonnisi momentanea fuit, si paulò diutius durasset, licet corpus habuissem prorsus adamantinum, interiissem.* 5. Deberet potiùs eligi infernus & gloria tam magna, quàm eſt Beatiſſimæ Virginis reſpui, ſi peccandum eſſet venialiter: ita eadem ſancta c. 39. 6. Inde meretur ut totâ vitâ fleatur. Etſi eſſet unum 7. Sunt aliquomodo infinitæ malitiæ, quia contra bonum infinitum ita S. Th. 3 q. 1. a. 2. ad 2. 8. Nullæ pœnæ ſufficiunt ad illud tollendum (huius vitæ) Cath. Sen. c. 3. *Quoniam offensa quæ mihi fit*

qui

qui sum bonum infinitum (ait DEUS) *procul dubio exigit satisfactionem infinitam* (unde nec SS omnes nec B. Virgo satisfacere pro uno veniali potest) 9. Ans. lib. 1. Cur DEUS homo cap. 21: *Nec pro aliqua re mundi nec pro omnibus simul est committendum.* 10. S. Paulinus Nolanus epist. 74. ad Celantum. *Nescio, an possimus leve aliquod peccatum dicere quod in Dei contemptum admittitur.*

PUNCTUM II.

D*Isponunt* venialia ad mortale. Sicut calor ad ignem. Aug. in Psal. 59. *Proiecisti molem* (mortaliũ) *vide ne arenâ* (venialium) *obruaris.* Sicut ægritudo ad mortem Th. 1. 2. q. 12. a. 5. 2. Non differt à mortali nisi ut puer à viro Th. 1. 2. q. 88. à 6. 3. Orig. hom. 8. *Quoties anima peccat, toties vulneratur.* Imò Bas. 3. Orat. de peccato. *Peccatum est longe graviùs, quàm sit vulnus, aut cicatrix,*

aut plaga intumeſcens & inflammata. 4. Impediunt auxilia, ne dentur ad vitandum mortale. 5. Corrumpunt habitus virtutum, quæ inhibebant mortalia. 6. Sunt acſi quis mercatori cauſa eſſet, ut lucra non acquireret. 7. Faciunt ut guſtus amittatur in ſerviendo Deo, conſolationes, & lumina ſubtrahantur, & ita tædeat vitæ ſpiritualis. 8. Aug. lib. hom. 50. c. 5. *Veluti ſcabies noſtrum decus exterminat, ut ab illius Sponſi amplexibus ſeparent.* S. Cæſarius hô. 8. *Veluti quibusdam puſtulis animam deformem faciunt.* 9. Si te ſordibus quis obrueret. Ecce Baſil. in 4. Iſai. Sordibus comparat. 10. Perditur pudor qui retrahebat à mortalibus. 11. Ita illa æſtimabant Sancti. S. Diodochius c. 27. *Etiam valde parva errata pro graviſſimis ducens lacrymas multas continenter* DEO *offert.* Iſid. lib. 2. Sent. c. 10. *Si quis à torpore mentis evigilaverit, ea quæ levia exiſtimabat*

con-

confestim quasi horrenda atq; atrocia pertimescet. Id c. 18. *à perfectis viris, velut magna crimina vitantur.* 12. Graviter pro his pœnituerunt. S. Paula Hier. ep. 29. *Ipsa levia plangebat, ut eam gravissimorum criminum crederes ream.* 13. Vellesne circa Urbem, non quidem ruinam muri sed foramina pati, ut per ea hostis intret? Hæc sunt venialia, juxta S. Cypri. lib. 1. de singul Cleric. 14. Vellesne in tecto domus tuæ etsi non totum tectū, sed unam tegulam deesse? 15. Etiam magnum flumen si in parvos rivulos secetur, perit, quid tua virtus, quæ est exigua? 16. Deus negligentibus venialia, tentationes augeri sinit. 17. Habitus vitiosi acquiruntur.

PUNCTUM III.

Pœnæ venialium. 1. Moyses dilectus Deo terram promissionis non ingressus, etsi tam sanctus fuerit, & hoc ob veniale. Imò & Deus tales

deserit juxta Cypr. de hab. Virg. *Demus operam ne quid immundum & profanum templo* DEI (loquitur de corde hominis) *inferatur, ne offensus, sedem, quam inhabitat Deus, derelinquat.* 2. Ob unum veniale, tota regna puniuntur, ut ob Davidis numerationem, immittuntur pestes, exercitus hostiles, fames, incendia. Idem in Ezechia evenit, qui coram legatis Babilonicis se jactavit. 3. Cham putatur venialiter peccasse, & tamen quantum punitus? Ita S. Ephrem. Lothi uxor, & tamen subitò destructa. 4. Num. 15. Qui ligna Sabbato colligebat, lapidatur. 5. 3: Reg. 13. Propheta laceratus à leone. 6. 3. Reg, 20. Qui nolebat Prophetam rogantem percutere, à leone discerptus. 7. 4. Reg: 2. Pueri qui irriserunt Elisæum ab ursis lacerati. 8. Act. 5. Ananias & Saphira subita morte, & tantùm veniale fuit, ut ait S. Isid. Pelus. 9. Cas.
coll.

coll. 7. c. 26. Abbas Paulus quod nimis fugisset fœminas, paralysi percussus. 10. Abbas Moyses à dæmone correptus ob veniale, Cass. coll. 7. c. 27. 11. Bethsamitæ quod arcam curiosiùs aspexissent. De principibus 70. viros, & de plebe 50. millia amiserunt. 12. Distractio in oratione, quam gravis censetur à S. Amb. lib: 1. de Cain & Abel cap. 9. *An nescis quàm grave sit in oratione contrahere peccatum, ubi speras remedium? Dominus certè hoc per prophetam docuit esse grave maledictum dicens Ps. 8. & oratio eius fiat in peccatum.* 13 Oza quòd temerariè arcam tetigerit, ei DEUS iratus *& mortuus est ibi.* 2, Reg. 6. 14. Sæpe animos exercitibus nostris ob peccatum veniale, quale putant aliqui Achani, DEus adimit, ut Iosue factum c. 7. & promissa quæ decreverat dare, retrahit, & duci consilia subtrahit, nec facile à senibus & ipso Iosue placa-

catur; *surge quid iaces pronus in terra*, in futurum minatur, *non ero ultra vobiscum.*

PUNCTUM IV.

TU *verò* dicis te diligere DEUM, sed circa lethalia vulnera, interea alapas, iniurias, molestias pro Libitu infers huic Patri. 2. S. Macar. hom. 27. *qui delectantur cum vitio amicitiamq; contrahunt cum eo, huiusmodi cum Sathana pacem habent.* Imò Chrysost. serm. de cant. David. *Qui volens delinquit, vel sponte furit, dæmon est.* 2. S. Greg. 3. past. 14. *Qui peccata minima flere ac devitare negligit à statu iustitiæ, non quidem repente sed per partes totus cadit.* Habesne tot gradus gratiæ, quot venialia? 3. Imò fortè melius tecum ageretur, si in mortalia laberèris. Quia Greg. 3. past. adm. 34. *Nonnunquam deterius in parva, quàm in magna culpa peccatur.* Maior enim

quid

quò citiùs agnoſcitur, eò etiam celeriùs emendatur, minor verò, dum quaſi nulla creditur, eo peiùs quò & ſecuriùs in uſu retinetur. Imò Aug. tr. 12. Ioa. innuit. *Multa venialia non ſecùs occidere animam, ac mortale unum.* Bern. ſerm. de tripl. custo. *Non iam nævus eſt ſed macula, ſi in actionibus noſtris vel minima reſidet negligentia mandatorum.* 4. Quid diſtractio in oratione? Nonne Caſſ. coll. 23. c. 7. *Non iniuſtè non ſolùm levi peccato, ſed etiam graviſſimo impietatis crimine aſtringitur qui precem Domino fundens, ſubitò à conſpectu eius quaſi ab oculis non videntis nec audientis cogitationis improbæ vanitatem ſecutus abſceſſerit.* 5. Veniale eſt mendacium. At S. Doroth. ſerm. 7. *Nullus mendax adhærere Deo aut uniri unquam poteſt.* Quia ut Hier. in 1. Tim. *Quoties vitiis vincimur, Deum negamus.* 6. Hæc impediunt, ne Sacramenta ex opere operato maiorem conferant gratiam. 7. Iuxta

S.

S. Bas. Reg. brev. 7. Contristant Spiritum Sanctum. 8. S. Cypr. de operibus Christi Serm. de Baptismo, *Nō pertinet ad te Domine, nec de tuis est, qui te non diligit, nec diligit te, qui te scienter offendit.* Quia 4. Rev. 48. S. Brig. *Scienter peccans venit in manus diaboli.* Et cap. 125. Christus ait. *Talis nisi magna præcedente contritione incurrit iudicium Dei, & mundi.* 9. S. Catharina Senen. quia in quadam visione aliò respexit, ita à B. Virg. reprehensa, ut in amarissimum fletum proruperit. In eius vita Christianus Noë Cisterc. ante altare, matutino absoluto obdormivit, B. V. veste eum percutiens excitavit, aiens: *Non esse hic locum dormiendi sed orandi.* Cæsar. l. 4. c. 40 B Musa puella monita à B. V ut lusu, iocis, risu abstineret, si secum regnare vellet. S. Greg. 4 Dial. c. 17. 10. Apoc. 2. *Tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*, id est ex Ecclesia mea, ut fi-

hæreticus aut atheus, ex religione mea. 11. Induit te veste pretiosissimâ gratiæ Deus, & tu illi fœdissimos cẽtones assuis. S. Teressa apud Riberam in vita sua lib. 4. c. 26. *Mille potiùs oppeterem mortes, quàm venialem aliquam culpam scienter, deliberatèq́; commiterem.* Veniale fuit imò valdè parvum, quod 1. Reg. 14. Ionathas mel gustavisset, & tamen Deus videbatur ob id, totum deserere populum, nec ad Ephod responsum dare, à quo salus populi pendebat.

PUNCTUM V.

VT tamen Dei clementiam dispicias, quàm facilè ea remittat vide. 1. Confessione. 2. Contritione. 3. Attritione. 4. Displicentiâ de illis, & aversione. 5. Cuiusvis Sacramenti susceptione. 6. Dicendo Pater noster &c. 7. Orando in Ecclesia consecrata. 8. Benedictione Pontificis. 9. Aqua benedictâ. 10. Be

nedictione Sacerdotis. 11. Signum Crucis formando. 12. Pectus tūdendo. 13. Rebus, & cibis benedictis utendo. 14. Reliquias, aut Agnum DEI gestando. 15. Benedictione. 16. Eleemosynis, seu spiritualibus, seu corporalibus. 17. Dicendo Confiteor &c. 18. Adorando SS. Sacramentum. 19. Vel Crucifixi imaginem, B. Virginis, aut alicuius S. 20. Mortificatione quavis. 21. Dicendo Nomen IESU. 22. Manuum Sacerdotis impositione. 23. Osculo terræ. 24. Benedictione Venerabilis Sacramenti. 25. Osculo SS. Reliquiarum. 26. Suffitu in templo cui datur. 27. Ingressu in religionem & professione. 28. SS. cineribus. 29. Processione in templo. 30. Comitando V. Sacramentum cum defertur, vel illud adorādo. 31. Quovis pio opere.

PUNCTUM VI.

QUàm diu etiam in amicissimo

retin

retinet vindictam peccati venialis Deus, quàm difficilè remittit, ex Moyse colligere est. De quo S. Greg. lib. 9. epist. 58. ad S. August. Apost. Angliæ. Certè Moyses, dum Dei populum ex Ægypto educeret, mira, (sicut tua fraternitas novit,) signa in Ægypto operatus est. In Sina mõte quadraginta diebus ac noctibus jejunans, legis tabulas accepit, inter corusca tonitrua pertimescente omni populo, omnipotentis Dei servitio, solus, familiari etiam collocutione conjunctus est; rubrum mare aperuit, in itinere ducem habuit nubis columnam, esurienti populo manna de cœlo deposuit, carnes desiderãtibus, usq; ad satietatem nimiam, in eremo per miraculum ministravit. Sed cùm jam sitis tempore, ad petram ventum fuisset, diffisus est, seq; de eâdem, aquam educere posse, dubitavit, quam jubente Domino percussit, atq; aquas efflu-

entes aperuit. Quanta autem post hæc in deserto per 38. annos miracula fecerit, quis enumerare, investigare valeat! Quoties res dubia animum pulsasset, recurrens ad tabernaculum, secretò Dominum requirebat, atq; de ea protinus, DEO loquente docebatur. Iratum Dominum populo, placabat, suæ precis interventione, surgentes in superbia atq; discordia, dissidentes, dehiscentis terræ hiatibus absorbebat, victorijs premebat hostes, signa monstrabat civibus. Sed cùm jam ad repromissionis terram ventum fuisset, vocatus in montem est, & quam culpam ante annos triginta ut dixi & octo fecerat, audivit; Quia de educenda aqua dubitavit, Et propter hoc quia terram repromissionis intrare non posset, agnovit. Qua in re considerandum nobis est, quàm timendum sit omnipotentis DEI judicium! quia per illum suum tot signa faciebat, cuius

cul-

culpam tam longo tempore ſerva-
bat in cogitatione.

PUNCTUM VII.

EX libro 3. Capite 9. Vitæ B. Ve-
ronicæ de Binaſco Virginis Me-
diolanenſis; Reprehenſio facta ab
Angelo, punctum hoc impleat.
Narravit aliquando ſororibus Vero-
nica, candida ſimplicitate, præclara,
dicens: Miſſæ ſacra agente Sacer-
dote, quopiam die, juxta altare ge-
nuflexam Sororem curioſiùs inſpexi
ſola mentis ſtabilitate: Verùm cùm
à corporeis ſenſibus me abſtrahi con-
tigit, Angelus Domini, qui mihi
adeſſe conſveverat, me tanta ſeve-
ritate increpuit, ut diem extremum
clauſura fuerim, ſi corpori mens
mea juncta foret, talia ſuſtinens. Heu
quàm ingens fuit horror ille, arguen-
tis Angeli! Quàm dura verba! quàm
terribiles vultus! Inter cetera verò re-
prehendentis Angeli, iſthæc verba

fuêre: Siccine egisti cordi laxans habenas? Cur oculis divagata es? Cur Sororem illam curiosiùs inspexisti? Profectò haud leviusculè in DEUM peccâsti. Regrediens autem Virgo ad corporeos sensus, trium dierũ spatio, innumeras effudit lachrymas. Dixit quoq;, Christum grave quodpiam sibi demandâsse ad peragendã pœnitentiam eiusce instabilitatis oculorùm. Secretiùs itidem demandatum servare, Virginem jussit Christus Maximus, quam ob rem affirmare consveverat Veronica dicens: Quando missæ sacris intersum, nec quidem caput movere ausim, metuens divinæ Maiestatis ultionem. Exposuit quoq; Angelus Domini Veronicæ primos purgatorij aditus, innumerasq; animas, sacris initiatorum, & utriusq; sexûs, maximam turbam, incredibilibus affectas inspexit. Ait autem Angelus Domini: Scito filia mea, animas, pro quavis
levi

levi inobedientia in superiores, ac segnitie in exequendis divinis, isthæc tormenta sustinere. Præstat inter earum crimina inane murmur erga superiores, & quarumdam sanctimonialium in suum Confessarium: Quapropter pro eodem scelere nunc acriùs affliguntur: Nam confessionis sacramentò, DEUM sibi olim propitium efficientes, patientur, donec DEO placuerit. Liberarentur autem orationibus, Missis, ac eleemosynis. Tanti est momenti murmur, quod nisi crimen illud confessione sacrâ expiâssent, æternis supplicijs forent addictæ.

PUNCTUM VIII.

HUmbertus V. Gen. Ord. Prædic. Instit. vitæ Spir lib. 4. parte 4. in hunc sensum tepidum Religiosum reprehendit, quo etiam modo alij tepidi possunt redargui. Ingressus es religionem ut tanquam serpens vete-

rem exueres pellem, ſed iſtam non deпones ſi laxè vixeris, opus eſt arcto. Si in ſæculo inter malos vixiſti benè, cur modo vivis malè inter bonos? Si malè vixiſti, profugiſti ad religionem ne in manus Dei viventis incideres, reſumis modo funem, quo in inferno ſuſpendaris, & Domino, qui rupit tua vincula, loco ſacrificij laudis, offers contumeliam. Dedit tibi locum Deus pœnitentiæ, & in illo contra Deum pugnas, & theſaurizas tibi iram. Deus tibi pœnam inferni commutavit in vitam religioſam, & tu pœnam quæris æternam! Diſtinxerunt labia tua vota Domino, ſponte illa elegiſti, dediſti omnia tua Domino per illa, cur te ipſum tradis diabolo? Mentitus es Spiritui S. ſicut Ananias, peribis cum illo, quia non reddis quod promiſiſti. S. Benedict. cap. 58. regulæ dicit. Qui aliter facit quàm profeſſionem fecit, ſciat ſe damnandum à

Deo

Deo, quem irridet, & proteſtatur Prov. 21. Deſpexiſtis omne conſilium meum, increpationes meas neglexiſtis, ego quoq; in interitu veſtro ridebo. Mundum reliquiſti pro Deo, cur etiam Deum relinquis? Quæſiviſti ut negotiator margaritam pretioſam, inveniſti, & ecce illā proculcas, pro qua omnia dimiſiſti. Deum repuliſti & à ſæculo repulſus es. Dimiſiſti Fratres, Propinquos, Patrem, Matrem propter Deum, & ecce ipſum Deum dimittis! In loco Sancto peccas, ſed audi Iſai. 56. In terra Sanctorum iniqua geſſit, nō videbit gloriam Domini. Agis inter ſervos Dei, ſicut Iudas inter Apoſtolos, & Iob. 2. Sathan inter filios Dei. Salvator Ioan. 6. Iudam vocavit diabolum, quia inter bonos malè agebat. Dicit enim. Nonne vos duodecim elegi & unus ex vobis Diabolus eſt! Habens manna cœleſte, illud faſtidis, & quæris Ægypti

cepas? De manu Dei cibos accipis & vestitum. Vide ne sit dictum de te. Ecce manus tradentis mecum est in mensa. Luc. 22. Si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus. Canis certè illum non invadit, à quo pascitur. Obtulisti te Deo, aufers te Deo, & offers diabolo, cui te immolas hostiam execrabilem & fœtentem. Et adhuc præsumis stare coram Deo quem tibi hostem fecisti! Occupas locum servi Dei. Audi Luc. 13. de arbore infructuosa. Succide eam, ut quid etiam locum occupat! Decipis illos à quibus beneficia accepisti, illi vel vivi, vel in purgatorio tuis fidunt orationibus: at illæ quales sunt? Peccata quæ in loco sacro committuntur absq; misericordia punit Deus. Peccavit Angelus in cœlo & cecidit sathan sicut fulgur. Peccavit Adam in paradiso & in perpetuum
est

est expulsus. Peccavit Iudas in Collegio Apostolorum, & suspensus crepuit medius, & omnia illius viscera sunt effusa. Peccavit Ananias & Saphira in medio justorum, & statim corruerunt, & expiraverunt non terrent te exempla, facta est tibi frons tanquam meretricis, Ascendisti crucem cum Christo, sed sicut latro malus illum blasphemas, non audies, non audies illam vocem. Hodiè mecum eris in paradiso, in loco enim salutis damnationem tuam operaris: Minoris facis tua peccata, imò nec eorum turpitudinem vides, quia à luce, quam ingressus fueras, recessisti ad tenebras. Iob. 24. Manè consurgit homicida. Sed cur? Ut mactet, juguler. Tu torpes ut DEO laudem reddas. Isai. 5. Abiecisti legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israël blasphemasti. Qui gratiam acceptam non æstimat, non est illa dignus.

Tenet jam gladium justitia Dei super caput tuum ne te occidat, Iob. 19. Fugite à facie gladij quoniam ultor iniquitatis est gladius.

SOLILOQVIUM VIGESIMUM QVINTUM.

Gratiæ DEI Actuales.

PUNCTUM I.

1. QUia sæpiùs mentionem illarum fecimus, hîc illas exponemus. Constituuntur tribus Protectione, Excitatione, Directione. *Protectio* in eo est, quòd DEUS non permittat, ut diabolus ultra modum tentet ita, ut nos peccemus, quòd occasiones peccati non dentur, quòd morbis nos dæmon non afficiat, in via non supponat lapidem, ut pedem frangamus, & si peccemus pulsat cor ut pœnitentiam agamus. Exci-

cita-

citatio in eo eſt. Quod bonæ cogitationes in nobis oriantur, ut eleemoſynam demus, peccata vitemus, oremus, ad templum eamus, librũ ſpiritualem legamus, &c. *Directio* in eo conſiſtit, ut quod boni propoſuimus, exequamur, unde tales dat ſocios, qui non impediant, ad locos tales deducit, ut aptè poſſimus facere, dat confeſſarium, qui det optima, & facillima conſilia. Guſtum quendam in ipſo bono opere ut mortificatio, oratio, ſapiat. Ut nihil aliud occurrat, quod diſtrahere poſſit. 2. Hæc dantur propter quodlibet bonum opus, ſi homo non ſit in peccato mortali. Maximè verò propter uſum Sacramentorum, & quando homo non abutitur illis. 3. Subtrahuntur autem & ſi non de toto, tamen maxima ex parte, ſi homo vocationi divinæ reſiſtat, aut mortaliter peccet. Eſt autem certa cuiq; menſura gratiarum ita neceſſaria ad ſa-

lutem, ut si illam accipiat, certissimò salvetur: Si minùs accipiat, sæpe peccabit, & sæpe resurget, & tandem ultimò peccabit, & damnabitur. Quia salus nostra sæpè à rebus modicis dependet, circa quas nisi protegat, excitet, dirigat, certò peribis. Ut in *Protectione* permittit, & non impedit DEUS ut v. g. eas ad convivium, ibi audis aliquid turpe, consentis, peccas, oritur rixa, tu in illo peccato occideris. Inebriaris, DEUS perm,ttit ut exeas domo, incidis in pugnantes, occideris. Is natatum, DEUS permittit te, ut ad dextram eas, ubi aqua profundior, mergeris. Is per plateam, DEUS non impedit avem aut dæmonem ut tegulam dejiciant, obrueris. Is cubitum, DEUS non prohibet, ut certo situ jaceas in quo humores turbantur, & malignus humor in cor descendit, subitò moreris. Bibis avidiùs, DEUS non prohibet, ut guttur aliquis humor

mor impediat, præfocaris, Fructus comedis crudos, Deus non excitat in te nauseam, vel certè fructus infectos ab aliqua bestia venenata, comedis, paulò post apoplexiâ tangeris. Vadis per plateam ubi fossa, Deus oculos non dirigit ut eam aspicias, cadis, pedem frangis, non impedit ne malus chirurgus vocetur, vel ne erret, ungventum aliud pro alio accipiendo, tu interim peccas, moreris, & sic de alijs. *In Exercitatione* permittit ut tale hospitium conducas, in quo sint personæ, quæ te inducant in peccatum, venias ad confessarium vel qui in re non est sacerdos, vel qui te magis confundat, quàm dirigat, ut in te excitetur melancholia, & ut in desperationem incidas. Sunt duæ viæ, una latronibus infesta, altera secura, permittit ut dæmon in te excitet mẽtem eundi via infesta, ut occidaris. Cogitas ad Confessionem ire, venit soci-

ſocius, qui te abſtrahit, irridet, vel aliò abducit. *In directione* Non dat guſtum in rebus ſpiritualibus, ut vix poſſis aliquid boni facere, non dat horrorem peccati, ut illud non fugias, permittit tædium, ut moleſtiſſimum ſit tibi opus bonum, & ſic de alijs, quæ facillimè vitari poterant, & hac ratione infiniti homines in æternum pereunt, quorum ruina à minimis cœpit. Similiter alij ex minima occaſione convertuntur & tandem ſalvantur. Eex Leſſio.

SOLILOQVIVM VIGESIMUM SEX T,U M.

Quid ſit in cœlo eſſe?

PUNCTUM I.

1. EST habere, gaudere, lætari, quod oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non a-

ſcendit: Attamen multa bona vidimus, plura cogitavimus, plurima excogitare poſſumus. 2. Omnem Sapientiam acquires perfectiſſimè, Philoſophiam, Theologiam, Ius, &c. 3. Omnia videbis quæcunq; geſta ab initio mundi, omnia ædificia, omnia bella, ſplendores &c. 4. Iudicia DEI occulta intelliges, quare hic cum bene vixit, tandem in morte peccat, & damnatur, ille totâ vitâ peccator, tandem convertitur & ſalvatur, quare Ethnici ſine vera fide relinquantur, infantes ſine baptiſmo, mali fortunentur, & ſimilia. 5. Quid quid eſt in avibus pernicitatis, habebis, & quidem ita, ut eo quaſi ipſo quod velis, omnia regna, loca, omnes cœlos, ſolem, lunã, &c. luſtres, & in viſceribus terræ metalla & mari omnia clauſa contempleris, per omnia penetres, inſpicias. Nihil pati poſſis, non famẽ, æſtum ſitim, frigus, morbos, ma-

los

los homines. 7. Quidquid voluptatum excogitabile sine sordibus tamē, experiaris, omnem dulcedinem, quæ est in cibo, potu, saltu, musica. 8. Quos velis Sanctos adeas, jam Beatissimam Virginem, jam alios, jam etiam damnatos. 9. Vias tuæ prædestinationis agnosces, quàm te mirabiliter Deus in cœlum duxerit, cur te affligi voluit hôc vel illô. 10. Quidquid excogites & in mentem bonorum tibi veniat, hoc habebis.

PUNCTUM II.

Est Deum videre: 1. Quidquid boni est, ut in cibo sapor, in floribus odor, in musica dulcedo, hoc in Deo habebis, sed longè meliori modo. 2. Quidquid oblectabilitatis aurum, vestes pretiosæ, possessiones habent, hoc in Deo, sed excellentius. 3. Quidquid pulchritudinis in personis, pratis, imaginibus, rebus omnibus &c. vides, videbis sed pleniùs.

niùs. 4. Quas vides,& te ita rapiunt bonitates, umbra sunt, imò nihi respectu Dei, & ab illo habent totum, sicut à Domino infirmus servus, ille est tota bonitas. 5. In eo mille & millies mille & infinitos mundos, ædificia, reges, milites, Angelos, scientias, meliores, perfectiores, videbis. 6. Quidquid laudis, famæ, gloriæ invenitur, in illo, ut in fonte obtinebis. 7. Quod potest Deus, videbis; id est, creaturas, animalia, aves, infinita & infinities meliora; quidquid Deus scit, cognosces, id est, Deum ipsum, Angelos, rerum omnium naturam, florum, lapidum virtutes, & quæ ex his artificia chymica &c. fieri possunt. 8. Quidquid est dulce, sapidũ, gratum, jucundum, gustabis in eo, sed nobiliori modo. 9. Videbis & intelliges ipsum Deum, hoc est, ipsã bonitatem, à qua omnia, bonitatem accipiunt, sicut à ditissimo rege

mendici eleemosynam : Ipsam essentiam, in qua, magis omnia sunt, quàm in se ipsis : Ipsam immensitatem, & tum dilatabis cogitationes & voluptates tuas extra mundum, ut ijs capiendis mundus angustus sit, videbis quomodo donat, & infinita donare potest, & nihil ipsi deerit, esse ubiq; & ubiq; totus, ab æterno amat res & odit aliquas simul : Punit & præmiatur, nunquam felicior esse potest, quia quidquid felicitatis cogitare potes, ultra & ultra hoc habet. Quomodo in momento infinitos mundos possit & cœlos creare Quomodo sit sapientia infinita, nil rerum quæ in mundo fiunt, nec ipsa peccata sine gravi causa] permittit : Ibi quidquid aliquis artifex effecit ab initio mundi, aut facere poterit clarissimè videbis, quidquid doctissimi assequi, cognosces. In eo quidquid pulchri in universis rebus, ut gemmis, auro, quidquid amæni-

ut in hortis; quidquid gloriosum, ut olim in Romanis &c. totum simul est: Ipse est fons vitæ, ut ab eo quod vivant animalia, & Angeli habeant esse sicut habet rivulus à fonte. 10. Et hoc totum in æternum, hoc est sine fine, sine morte, sine morbo, sine hoste, sine labore, sine ullo, quidquid inquietare aut affligere potest. Sine tædio quia pura sunt bona.

PVNCTVM III.

Finge simul, quidquid voluptatum in cibo, potu, victorijs, scientijs, carne, omnes ab initio mundi homines ad finem habebunt, hoc in unum conflari, & ecce respectu cœli, nec tantum sunt; ut mors respectu vitæ. 2. Quidquid scientiæ sapientes, artis artifices, eloquentiæ oratores, Poetæ, historici habuerunt, respectu hujus, quod in cœlo habebis, nec ut umbra est respectu solis.

3.

3. Quidquid divitiarum, imperiorum, gloriæ, Cæsares, Reges, victores obtinuerunt, respectu cœli nec est ut picturæ respectu prototypi. 4. Cogita adhuc, & omnes mundi sapientes, imò omnes Angelos adhibe, ut tecum cogitent quidquid potest excogitari desiderabile, plus in cœlo & meliùs habebis: Lege omnes historicos & scriptores qui aliquid quod optari potest descripserũt, nihil est. Omnes homines dicant tibi, quod quisq; pulchrum, jucundum, audivit, vidit, effingere, aut desiderare potest, plus & plus ibi erit. 4. O vita qua vivit ipse DEUS quàm es bona! ô felicitas, quâ beatus ipse DEUS & infinitè beatus est, quomodo me beabis! *Concupiscit & deficit anima mea!* ego ego ipse cũ Angelis, cum Christo, cum Sanctis conversabor ita, sicut cum hominibus, sicut cum fratre, matre! 5. Cogita adhuc & tecum ad cogitandum

dum advoca quidquid laudari, optari potest: Habebis & habebis abundantiùs, hic umbras cogitas, ibi sunt res ipsæ. 6. Rape me Deus, jam tædet hujus carceris, ibi esse volo ubi omnis sensus, omne membrum, omnis animæ potentia, omne momentum, suam & novam & ferè infinitam habebit voluptatē: Ibi esse volo. Propter me parasti, Filius tuus id mihi sangvine suo veluti hereditatem emit, negare non potes dummodo ipse velim. Sed quàm raro & quàm langvidè volo! & tamen quid hoc est, quod locutus sum sicut si arbor aut lapis vellet loqui de delicijs hominis, quas nec potest nosse, nec intelligere. 7. Quid est voluptas cœli? Est ea quæ nullis meritis aut pretio nisi infinito empta est, & pro qua Filius Dei ut nobis lucraretur mortuus. 8. Sicut damnatos omnes maledicunt, ita hos ipse Deus benedicit, omnes

San

Sancti & Angeli. 9. Dabit Deus Dominium & potestatem in creaturas inferiores, ita quodammodo sicut dedit Christo ut de ijs pro libitu disponat. Apoc. 2. *Qui vicerit & custodierit usq; ad finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* 10. Et quia Deus est vita, in ipso Deo immergentur, & tum vitâ aliquâ indicibili, purâ, vivent, respectu cuius, hæc vita moderna, mors est. Deus est omnia, & non magis non est omnia, quàm est, & quidquid non potest facere, non ideò non potest facere, quia vires illum deficiant; sed quia illud implicantiam involvit. Videbis hæc, cognosces hæc anima, sed non hoc modo, ut in terra cognoscere soles; ibi intellectus immediatè sine phantasmate agit, nec priùs ut priùs aliquid sit in sensu: Sed ita cognosce-

ut veluti in ipsum Deum cognitum muteris, & veluti si speculum aliquod daretur, in quo omnia gesta ab æternitate, ab initio mundi vîderes idq; unico intuitu, quidquid arcanorum in natura quidquid intra terram, & mare agitur, quomodo metalla & gemmæ nascantur, qualis quodvis astrum virtutis, molis, figuræ: Omnes homines velut illis præsens, naturas viventium, consilia Principum, & omnes scientias in momento acquireres, statim Theologus, Mathematicus, Iurista, Medicus &c. fieres, & in his omnia arcana penetrares, quadraturam circuli, motum perpetuum, &c. omnes Angelos, Dei circa te consilia & circa multos alios, mysterium Trinitatis, & intra illam scientiam intrares, cùm sit tanta ut in te intrare non possit, & simul *intrares in gaudium*, quod ob magnitudinem intra te totum recipi non potest,

test. 11. Illas immensas astrorum moles oculis perlustrare, illam eorum immensam velocitatem; nam defactò notæ Astronomis stellæ quæ libero oculo videri possunt, in æquinoctiali circulo, uno horæ minuto, milliaria germ. 214800. conficiunt: intra verò pulsum arteriæ 3580. jam verò quantò velociores his globi his altiores, nobis ignoti & qui visum effugiunt, In his ipsis globis, aquæ, montes, valles &c. & hi respectu cœli empyrei sic cum suo toto cœlo punctum sunt. *O Israel quàm magna domus Dei tui & ingens locus possessionis eius. Verè nec in cor hominis ascendit magnus est & non habet finem.* 12. Hæc ipsa caro nostra quas non habebit voluptates? melodia omnis in terris, respectu illius, stridor est: Odor, fœtor est: Sapor, amaritudo, corporum ad tactum proportio, disproportio est. Sed hæc omnia præter videre DEUM nihil sunt. Videre

autem DEUM significat, possidere, seu illo frui; sicut audire Musicam, est illa frui. Sed quid hoc est ipsum? Estne melos auribus gratissimum? Amplius. Estne gustui dulcor, membris robur, visui aliquis summè oblectans color, naribus constans & non obtundens sensum odor, toti corpori aliquis svavis attactus? Amplius, amplius. Non hæc, quia hæc materialia, sed & hæc, modo tamen quasi infinito meliora. Estne aliquod bonum quo summè voluntas oblectatur, verum, quo intellectus: Hoc est sed quale sit concipi modo non potest, quia modo nihil est in anima quod per sensum non intravit, at ibi immediatè; ideoq; in hac vita *nec oculus vidit, nec auris audivit* & consequenter, *nec in cor hominis ascendit*.

SOLILOQVIUM VIGESIMUM SEPTIMUM.

Spes & Misericordia DEI.

PUNCTUM I.

1. DEUS in neminē immittit ullā tentationem, nisi quam scit illum posse superare, etiamsi suâ malitia nolit. *Fidelis DEVS est qui non permittet vos tentari ultrà quàm potestis.* 2. Magis nobis vult benefacere, quā ignis calefacere: Quia quò maior bonitas, magis se communicat, DEus est naturâ bonus. 3. Neminem ideò creavit ut damnet, sed omnes ad cœlum ordinavit, & omnibus dedit sufficientissima media, ut possint venire, tum primò, quando vidit aliquos non usuros illis medijs, damnavit. 4. Peccata ita remittit ac si nunquam fuissent, Ps. 50. *Super nivem dealbabor. In mare proiiciam omnes*

mnes iniquitates tuas. Non recordabor ampliùs, obliviscar, unde si rursus labaris, ita tibi remittit ac si nunquã peccâsses, quia oblitus est omnium, quæ antè fecisti; item si rursus, ac millies. 5. Scivit ille quando te creabat quòd tam frequenter esses peccaturus, nihilominùs te creavit, & quidem ideò ut esses in cœlo. 6. Peccata quæ semel quis confessus nunquam ampliùs redeunt etiamsi rursus in illa labatur, & solùm pro illis quæ non confitetur erit in inferno. 7. Peccata quæ semel confessus nihil ampliùs nocebunt, sed eo magis gratior erit DEO in cœlo, sicut si aliquis Filius ex captivitate redeat, vel ex morbis gravissimis convalescat. Luc. *Filius qui perierat inventus est!* Et quò ex gravioribus peccatis surgis, eò ipsi gratior es, ut patet in filio prodigo. Sicut magis lætamur, si ex graviori morbo, quam si ex leviori sanetur amicus. In iudicio minima

ma solvit *Visitâstis me* etsi non redemistis. *Dedistis* potum etsi non ditastis: minima planè cœlo persolvit. 8. Ità est contra naturam Dei nocere ? sicut contra naturam hominis, per aërem ambulare. Unde quidquid permittat in bonum est nostrum. Aug. *Sunt multi, quibus ipsa peccata cooperantur in bonum, cùm cadunt non colliduntur, quia tu supponis manum.* Luc. *Etiamsi quid mortiferum biberint, non eis nocebit*, sed sicut Medicus sapiens permittit esse hominem aliquamdiu in febri ut deinde sit sanissimus, ita DEUS in peccatum labi, ut vel homo, se magis humiliet, magis in Deo confidat, alacriùs serviat. Aug. *Nisi DEUS sciret ex peccatis elicere bonum non illa permitteret.* 9. Iure posset Christus expostulare à DEO, si aliquod peccatum nollet remittere, quasi illius passio, mors, non esset sufficiens pretium. Cùm una gutta sufficiat pro millies mille peioribus mun-

mundis. 10. Contra prudentiam. Deus faceret cùm creaverit hominē propter cœlum, si non daret sufficientia media. Sicut qui finem vult sine medijs. 11, Etiamsi non emēdes te, & in eadem relabaris post summa beneficia, adhuc te amicum, si voles, Deus suum faciet. Lapsus iuxta Clim. gr. 6. Moyses post tale beneficium, quale fuit videre Deum in rubo, tamen receptus & Dux populi factus; *Moyses cùm Deum vidisset in rubo rursus in Ægyptum, id est ad seculi tenebras, ad faciendos lateres intellectuales fortasse, Pharaonis rediit, verùm rursus ad rubum imò verò ad montem Dei regreditur. Qui intelligit quid sibi velit hæc speculatio, nunquam omninò desperabit.*

PUNCTUM II.

Speciali affectu fertur erga peccatores. 1. Reliquit 99. oves ut

unam amissam inveniret. 2. Si Adã non peccavisset Christus non incarnatus fuisset, nec B. V. fuisset Mater Dei, unde ex peccatis nostris facta est Mater Dei. 3. In Ecclesia canuntur Davidis Ps. & epistolæ Pauli, qui erant peccatores frequentiùs, quàm Ioannis, aut Prophetarum, qui erant innocentes. 4. Relictis discipulis cum Samaritana loquitur. 5. Etiam Matrem suam relinquit, ut cum peccatoribus agat. Dum nunciatur illi Mater adesse, ait. *Quæ est Mater mea &c. nonne hi qui verbum Dei audiunt*, id est quibus prædico; 6. Priùs peccatrici Magdalenæ quá ulli Apostolo Sancto comparet. 7. Ier. dicit: *Si Mater poterit oblivisci infantis &c. Et si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui.* 8. Misericordia non esset, si peccata & miseriæ nó essent, Dei *Misericordia super omnia opera est*, itaq; ut illam exerceat, debet peccatoribus esse propitius. 9.
Petrum

Petrum fecit caput Ecclesiæ, qui erat peccator, Paulum Principem inter Apostolos, qui persecutor, Matthæum Evangelistam, qui telonarius. 10. Omnes fuimus idololatræ scelerati, & nos vocavit ad fidem & Sanctos fecit. 11. Si *dedit pro vobis filium, quomodo non omnia cum illo*, faciliùsne mori, an dicere remitto tibi? *Maius gaudium super uno peccatore, quàm 99. iustis.* Ut dicat, se non esse eum, qui est, sicut Imperator si dicat: Frustra sum imperator, si non impero. *Ità non est opus medico bene habentibus.* Si non sint peccatores, meâ operâ non est opus. 12. Magos de Chaldæa terra ut Max. hom. de Epiph. docet, primos è Gentilibus ad se admisit. Qui Chaldæi famosissimi in superstitionibus erant, & nomen Magorum illis reliquit, quòd etsi illi fortè Reges optimi fuerunt suorum, tamen in illis gens superstitiosissima, à Romanis ob impie-

tatem ex urbe aliquoties eiecta, ad gratiam admitteretur. S. Aug in Ps. 109. *DEVS nihil promisit nisi indignis*, idem de se in Confess. *Ego fiebam miserior, & tu DEVS mi propinquior*. & alibi. *Christus non venit ad inspectionem meritorum, sed ad remissionem peccatorum.* Iurat nobis DEUS, quòd propter peccatores venerit non ob iustos, argumentis Pastoris quærentis ovem, mulieris, drachmam &c. probat. Tertull. *O miserrimos si nec iuranti Deo credimus.* 13. Quantoperè crederes eos in salutem homicidæ ferri homines, qui cum ille homicida filium Regis interemisset, ipsum Regem conspuisset, depalmavisset: quod tandem, tactus aliquo dolore, factum suum detestari ac horrere inciperet & reprobare: Illi omnes relictis suis negotijs in choros canentium se effunderent, &c. plausibus & Musica omnia complerent, &c. magis gauderent quam si

ali-

aliquot Filij Regi nati fuissent. Vide o anima an non tu sis ille homicida per peccatum mortale, per veniale depalmator, an non super te pœnitentiam agente gaudium sit in cœlis? Certè ita esse, asserit Salvator Luc.

PUNCTUM III.

NUllum est peccatum irremissibile Nam Marci 3. *Si peccaverit in Spiritum Sanctum;* de illis est, qui miracula Christi adscribebant dæmoni, tales enim nunquam credituri erant, ac nec convertendi. 2. Nec possunt dari tot peccata, ut remitti nequeant. Manasses habuit Paral. *Super numerum arenæ maris*, & remissa sũt. 3. Quamdiu homo vivit, amentiâ, non percutitur, nondum mensurã peccatorum implevit. Quia non esset viator. 4. Melior est DEus, quã Petrus, Petro imperat ut 77. in diem offensas remittat. 5. Magis est

Deus bonus; quàm homo malus, quia non esset DEUS, unde debet plus dimittere, quàm homo committere. 6. Esset contra Dei bonitatem, atq; impossibilè; ut creet hominem, cui non sit remissurus toties, quoties peccat si homo velit. Clim. gr. 5. *Noli turbari, si quotidie laberis, neq; resilias, sed sta viriliter: prorsus enim reverebitur tolerantiam tuam custos Angelus.* 7. Si septies in diem cadas, dum resipiscas Adhuc pro iusto apud Deum habeberis. *Eccl. Septies in diem cadit iustus.*

PUNCTUM IV.

CRede Deo Ezech. 2. 1. *Vivo ego dicit Dominus* (quasi diceret tam certi estote , ac me vivere) *quia nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* 2. Sperasne, si audires pro te orantem Christum *Pater dimitte illi*, orat. hoc enim est officium

cium Mediatoris. 3. Deus damnum aliquomodo patitur cum te damnat, quia tot auxilia & sangvinem in te impendit. 4. Donavit nobis infinita sua merita Christus, ut per illa satisfaciamus, applicemus nobis illa, possumus illa in parte altera statera ponere. 5. Non vile, non qualequale, sed suũ corpus dat in cibũ in pignus gloriæ, sicut dantur obsides: si fefellerit, qui pacta init, ut ijs pro libitu suo utatur. Vultne tale pignus perdere? *Pignus est* iuxta S. Th. in Rythmo unde ait Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, etiamsi mortuus fuerit vivet.* Imò. *Ego eum suscitabo in novissimo die* (in die iudicij, ubi alij præ metu ferè emorientur) 6. Estne Deus iocum faciens? quid svadet pœnitentiam? *& dicit iugum suum leve*, si difficile est! 7. Nunquid est illi honor, si illius imago ardeat in despectum, à cárnificibus utatur in inferno; idq; quam tanti emit,

emit, æstimavit. 8. Si aliquid non impetras, id inde est, vel quia in peccato existens petis, vel quia tibi hoc esset nocivum: dat interea aliud æquivalens. 9. In te volet ostendere artem suam Christus, sicut medicus in gravi ægroto, & eum optat sibi contingere. 10. Membrum es eius, te non rescindet si ostenderis vel modicum velle vivere. 11. S. Chrysost. de S. Philog. *cupit effundere misericordiam quemadmodum parturiens cupit eniti fœtum suum.* Et patet hoc in multis sanctis, qui priùs non erant meliores nobis. 12. Iacob. 2. *Super exaltat misericordia iudicium*, Sicut infinita est omnipotentia ad mille mũdos è nihilo creandos, ita justitia rigidissima; at adhuc maior misericordia, ut de nihilo, (veluti esset aliqua in homine sanctitas) eum amet, salvet, protegat. 13. In nobis est positum nèc plus à nobis requirit, ut simus securi de cœlo, quam ut

nihil

nihil nobis conſcientia objiciat. 1. Ioan. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 14. Nec ad munera percipienda aut dona opus eſt labore, ſolùm fide vivâ opus. Cypr. libr. de exhort. Martyr. *Vnusquisq́; tantum accipit de Dei ope, quantum ſe credit accipere, nec eſt quòd omnipotens præſtare non poſſit, niſi accipientis fides caduca defecerit.* 14. Ubi maximè terret, ubi adducit Dominum Villico inclamantem *redde rationem.* Ibi ſtatim, quàm facilè ſit in eius iudicio, dum homo non ſe negligat evadere. Eundem laudat, ſi nequiter ſecum agat, falſificet regeſtra Hier. epiſt. 151. *Quod adversùs Dominum fraudulenter, ſed pro ſe prudenter egerit.* ibid. *iniquitas bene diſpenſata vertitur in iuſtitiam.* Permittit, quibusvis contra ipſum fraudibus utaris etiam ex ipſis peccatis tibi faciendo fructum. Aug. med. ait. *Sunt quibus peccata cooperantur in bonum.*

Vil

Villici, Domini sunt confessarij, salvabuntur, si debita minuant peccatoribus pœnitentibus, & hi ipsi illos in cœlum recipient. Iam si te pecunia, per rapinas, furto, & reliquas iniustitias, non solùm per peccatum acquisita, (quia tunc aliquando potest esse tua) at iniquitatis, & aliena, salvare potest, si illâ utaris; quid non salvabit? 15. Fingis tibi, & te frustra terres, si perfectionem imagineris in eo, ut cilicia gestes, ieiunes, te flagelles &c. non in his cœlum; imò ad infernum hæc multos duxerunt. Hæc sunt media, nec unicè necessaria, finis est amor: hũc ubi habes, cœlum habes; at quid faciliùs quàm DEUM amare? naturaliter amamus bonum, DEUS summè bonus. Imò orationes multæ aliquãdo magis obruunt, quàm iuvant. Non vult DEUS ut te obruas, vult ut sis hilaris, ut svaviter agas, corpus non lædas, vires conserves, & pro

his

his cœlum habebis. 16. Ipſa dona DEI quàm facilia Cypr. lib. 2. ep. 2. *Manat iugiter Spiritus Sanctus, exuberat affluenter, noſtrum tantùm ſitiat pectus & pateat: Quantum illuc, fidei capacis afferimus, tantùm inde gratiæ inundatis haurimus.* 17. Etiamſi hoſtis eſſes Chriſti, adhuc pro te ille fundet ſangvinem, ut te ſalvet. Cypr. de bono Pat. *Vivificatur de ſangvine Chriſti, etiam qui fudit ſangvinem Chriſti.* 18. Non punit ullum; niſi videat, quòd omninò pœnitentiam non ſit acturus. Cypr. l. c. *Tunc* (primum) *repræſentatur pœna impio & peccatori, quando iam non poteſt pœnitentia prodeſſe peccanti* 19. *Niſi te ſalvum voluiſſet DEVS, non tradidiſſet unigenitum ſuum in mortem.* ait idem Cyp. de dupl. Martyr. Audi Tereſſam, quæ apud Riberam vitæ l. 4. c. 26. *In hoc* (Chriſto) *tam potentem & abſolutam me Dominam ſentio, ut univerſo reſiſtere mundo, ſi mihi adverſaretur poſſe videam.*

20 Ipſe tibi propone, nam tibi proponitur Filius prodigus; talenta habuit, eis ad luxuriam abuſus, ingenium, formam &c. hæc donec perderet, tam diu luxuriatus, donec & ipſis meretricibus ludibrio factus, dum ſicut porcus impudens factus in ſordibus volutus, nec reſipuit, niſi nauſeâ ſordium captus, & tamen malitiosè ſciens & volens, à Patre DEO monente inſtinctus ſuggerente, receſſit, non ſicut ovis, quæ ignoranter evagata eſt, non ſicut Ierichonte proficiſcens, qui in latrones, id eſt malos ſocios incidit, quorum alium in humerum, alium in iumentum accipit, ſed filium quidem expectat, donec ipſe veniat, ſed amplexatur. Anima mea dubitabis de hac bonitate? non es nequior filio prodigo, nec ipſe, Patre prodigi, durior. Aſſurge aſſurge in ſpem. Progredere ad eum, dicendo, *peccavi.* Et amplexabitur te, Vive, vive, reſpira. reſpira

ſpira anima, ſalus tua ante te eſt. Quotquot exempla ſeveritatis Dei legiſti, de talentis ſervorum, de vendito &c. nunquam deprecantem & dicentem: *peccavi*. Vidiſti rejici, puniri. 21. Parum & hoc eſt divinæ bonitati, etiam non redeuntes & projectos colligit. Ibat ex Ieruſalē ex civitate Sancta, deſerebat Eccleſiam aut religionem quidam, & Iérichontem, ſeu, Lunam huius mundi *cuius figura præterit*, petebat, ſpoliatus per malos ſocios veluti latrones bonis habitibus, virtutibus infuſis, deſperaverant eius converſionem Levitæ & Sacerdotes, ipſe ſemianimis vocem ad DEUM elevabat, & hunc collegit bonitas. O bonitas! imò *oviculam humeris reportavit*. Sanctus Anſelmus in fine operum ſuorum, ait: *eam animam fuiſſe quæ pœnitentiam abiecerat*. 22. Gentem peſſimam Iudæorum, quæ vix triduò poſt miracula, quieta eſſe potuit, inter

ipſa

psa beneficia murmurabat, quantoperè dilexit. 23. Matth. 20. In præmiando non respicit quid mereatur labor operantium in vinea; sed quid deceat suam bonitatem, & iuxta illam solvit pro labore. 24. Maiores Sanctos fecit, qui breviori tempore laborant, ut novissimis sæculis ubi centenos pauci excesserunt annos, quàm illis quibus ferè millenos attingebant. 25. Parobolæ Evangelij testantur quàm modicum à nobis requirat ut simus beati. Servi vigilantes dum Dominus à nuptijs rediens pulsaverit januam & confestim aperientes beati sunt, & ita beati sunt, & ut ipsemet præcingens se ministret eis. Atqui hoc parvum & debitum servorum officium, & Domini quasi nimia remuneratio: siquidem si tardè redijt domum, si ex nuptijs, Potius se debuerat dare quieti aut ulteriori lætitiæ. Virgines: non solùm ut serviret illis; sed ut essent

ſent ſponſæ iſtius, ſolùm debeant habere oleum in lampadibus. Filius prodigus ſolùm redire.

SOLILOQVIUM VIGESIMUM OCTAVUM.

Quonam ſum melior?

PUNCTUM I.

1. QUod beſtijs ſum (quo ad corpus vilior, certum eſt. Fortior leo, magis longævus cervus, magis agilis dama, pulchriores aves, & alia animalia, quæ nudæ poſſunt comparere: Habent ſingula in quo hominé antecellant; volant aves, non poteſt homo, natat piſcis &c. 2. Ita vile noſtrum corpus, ut cadaverum aliorum animalium, faciamus nos ſepulchra, & illa poſt mortem nobis ſint uſui, nos buſonibus ſolùm & fœdis vermibus. 3.

Nul-

Nullius animalis mortui corpus horremus, cùm cadavere hominis, vix est qui velit agere noctem, solus. 4. Nullum tam sordidum est quàm hominis. 5. Nullum tot morbis obnoxium. 6. Alijs viventibus vel DEus alimenta, vel homo præparat, homo ipse sibi. 7. Alia ubi nascuntur non nutrice, non gerulis egent. 8. Non indigent contra frigora ullis novis auxilijs, ut homo. 9. Non egent medicis, natura illis est omnia, non judicibus qui litem dirimant, non causidicis, atqui qui paucioribus eget, beatiorem vocat. 10. In cibo & potu vix excedunt; canes multò fideliores hominibus, quàm ipse homo? Pulchrè hominis originem S. Cyrillus in Ioann. describit. Homo, inquit, *venit ex regione quæ nihil . . . ellatur, regione paupere, deserta, ignobili; inculta; sterili; misera; rebus omnibus egente; in qua neque animal ullum; neque arbor; neque seges*

neque

neq; herba ulla nascitur. Sed peius est istis quia Ioan. 8. 44. Peccatoris Pater, diabolus est.

PUNCTUM II.

QUo ad animam; nobilior quidem sum omnibus infra Angelos, sed multa hic invenio, quæ me deprimant. 1. Priùs hostis DEI, iræ reus, mancipium diaboli, quàm natus. 2. Omnia alia finem, propter quem creata, optimè servant, lucet sol, terra parit &c. at tu quomodo cœlum quæris? 3. Quæ illis ad finem non conducunt, ne quidem attingunt, ut aurum, domos, vestes &c. tu verò etiam ea, quæ te retrahunt à fine, uti voluptates illicitæ &c. 4. Ubi se adverterunt impegisse, id vitant diligenter, ubi canis vapulavit, non intrat secundò, at tu toties agnovisti te infernum & talem infernum meritum, & tamen peccas, & hoc toties! 5. Pro nullis belluis tot

inven-

inventi cruciatus, equulei, scorpiones &c. Itaq; est maior hominis malitia. 6. Debilius animal non irritat fortius, ut lepus leonem, at nos qui, & quantum DEUM! ô stultiores omnibus brutis! 7. Servant ordinem à natura præscriptum, vere nidificant, autumno calidiores partes petunt, certis temporibus à cantu vacant: in nobis nec DEUS, nec natura, nec Magistri quidquam proficere possunt. 8. Defendit ursus ursum, leo leonem, solus homo homini lupus, & sæpe propter unũ uerbulum, imò propter unum nummum. 9. Gratitudo in bestijs mira, ut in leonibus, elephantis, equis, de qua multæ historiæ, utinam DEus vel semel gratos pro tot beneficijs inveniat. 10. Mirum illud, Sancti malebant cum bestijs in eremo, quàm cum hominibus in urbibus vivere, Elias fugit Iesabel à corvo pascebatur, Paulus Antonius &c.

11.

11 Confundit nos & hoc, si adhuc nostra ærea frons admittit pudoré: canis a Domino tunditur, vulneratur, non deserit, DEUS pro homine moritur, nec potest impetrare, ut homo velit cum illo esse in cœlo.

PUNCTUM III.

Etiam ipsis hominibus, vilissimis fortè vilior sum. Utinam tamē fortè. 1. Antichristus pessimus hominum, ita tamen exteriùs, & coram hominibus se geret, ut non solùm se sanctissimum, sed ipsum DEUM esse, non solùm plebi, sed etiam doctissimis sit persvasurus. 2. Iudas semel vendidit, & gravissimè etsi stultè pœnituit, idq; lucro aliquo ductus, & fortè spe deludendi Iudæos, nec tam claré advertit dignitatem Chtisti: at tu ipsis dæmoñibus, quantùm in te est, cùm suscipis Christum in communione, & paulò post, dæmonem per peccatum

in cor tuum admittis. 3. Damnati blaſphemant, oderunt DEUM, ſed auxilijs ab eo deſtituti, ſed inter extrema ſupplicia, ut coacti moraliter id faciant. Quid te cogit ad peccatum niſi fortè bonitas DEI. 4 Latrones & fures peccant: Sed ob lucrum, ſed cum ſpe evaſionis, ſed ex egeſtate ut plurimùm: Tu quare? illi ob aurum, veſtem; Tu? 5 An non peior Ethnicis? quos pro Deis agnoverunt, qualiter coluerunt? Ipſi Reges, per *ignem tranſtulerunt* prolem ſuam, hoc eſt uſſerunt, illis in victimam, *Filios dæmoni immolârant*. Quid de idolo Moloch. quid de Iudaica ſuperſtitione in ſuis ſabbatis, Turcarũ &c. 6. Hæretici peccant, ſed vel putant ſolà fide ſe ſalvandos, vel ſibi non imputari peccata, ſi ſunt electi, & ſi reprobi omnia eſſe peccaminoſa, purgatorium nullum. Tu quid? 7. Peſtis, morbi contagioſi, non inficiunt, niſi accedentes propiùs ad

au

tu tuis moribus, etiam literis, etiam verbis, etiam per alios, quot in peccatum induxisti? & ut eos afflatres insecutus es, Supereritne aliquid? cui te assimilabo ô deploratissime homo! 8 Certè peior es omnibus. Sit monstrum, quod pro lingva habeat gladium: ecce *lingva* tua *gladius acutus*, sub quo ceciderunt multi in fama, multi in anima. Sit, quòd oculis prædetur: *oculus* tuus, & tuam, & multorum animas *deprædatus*. Sit quod guttur habeat tam fœtens ut sepulchrum, in quo diffluit cadaver: *sepulchrum patens*, *est guttur* tuum, in quo mortui, non solùm mortui, sed in tabem prorsus abominabilem soluti; quales manus? quales aures? O DEUS! hunccine me creâsti? O Sancti! quale in me spectaculum habetis? Deosculor te terra, quòd me adhuc sustineas, nec enim me vel in inferno dignum locum invenio.

PVNCTVM IV.

ASCende anima mea altiùs, & contemplare miserias tuas. 1. Peior, vide, es dæmonibus. Illi semel, quod scimus, toto statu viæ peccârũt, tu nec numerum dices. 2. In pœnis inferni, adhuc pro Maiestate DEI quàm credunt, *contremiscunt*. Ea est quamvis coacta reverentia, & tu qualiter assistis, cùm DEus in altari proponitur. 3. Ad Dei vocem, corpora obsessorum relinquunt, in porcos etiam & lutum, si nomine DEI eis imperetur vadunt. Cùm tamen plus à te, quàm aurum ab argilla distent. 4. Res sacras æstimant. 5. Calumnias, quæ illis ab hominibus imponuntur, ferunt. 6 Nulli labori, & cùm sint superbissimi, nulli vilitati parcũt, ut finem à se intentum obtineãt. Comparẽt in specie capræ, cati, canis, suis, tu nec appellari talis sustines, ut cœlum obtineas. 7. Sunt uniti, ut Christus ipse

testatur, & cùm sint pessimi, tamē concordāt, tu nec cum bonis convenire potes. Superbi ergo ô homo, ô pulvis, ô cinis! an non etiam ipsis dæmonibus risui eris sicut mendicus, si se iactet Regem. O verè *stultorum infinitus numerus!*

SOLILOQVIUM VIGESIMUM NONUM.

Homo in conspectu DEI.

PUNCTUM I.

LEvemus nos supra nos, & in latum divinitatis expatiemur. 1. Quid es unus respectu alicuius Principis, qui millibus & millibus aulicorum circumsistitur? pone te, quantus es respectu Dei Si esses sicut una guttula maris, respectu totius maris, vel una arenula, respectu totius terræ, adhuc superbire posses. Sed

ita differs, sicut nihil, seu prope nihil ab immenso, tu spatium occupas trium ulnarum, extra has non es in latum & longum & altum; at quantum est illud, & quoties te Immensitas superat! esne respectu illius computandus, Deus autem est ubiq;. Tu es hodie, heri, annis vg. 30. Ante hos non fuisti ab æterno: quid sũt anni tui respectu totius æternitatis? Deus est & fuit. 3. Si corã Principe superbires, qui millenis millibus esset circumseptus, & te illi solus opponeres, quæ esset stultitia? at ille Princeps adhuc eiusdem tecum speciei esset: Deus infinitè, distat & hunc lacessis? Et coram hoc inflaris! 4. Confer lapidem cum homine, glorietur quòd multa agat, possit facere. Quanta dementia! maior est tua, nec tu plùs potes sine Deo agère, quàm lapis sine te loco moveri, imò infinities minùs. Quia nulla paritas dari potest, quæ explicet

cet nostram à DEO dependentiam.
4. Tam potens est DEUS, ut ne verbo quidem prolato, sed solá voluntate statim milliones millionum exercituum, mundorum, cœlorum, creare, & in illis omnibus suam, novo & novo modo magnificentiam ostendere possit, nec tamen in illis, tum primô inciperet esse, sed iam est, & si illa non coexistant ei: & illa omnia in interitum tuum immittere, & illa omnia cui velit donare, nec ipse ideò pauperior esse, sed omni momento meliora & meliora producere. Tu quid ante tam potentem Dominum? Et audes eum irritare? Mandatis eius non obsequi? Cùm ad te destruendum non opus illi sit verbô, aut voluntatis nutu, sed solùm subtractione conservationis, quâ te magis conservet quàm sol radium.
5. Omnia in illo magis sunt, quàm in seipsis, ita ut si ille non existeret, omnia statim eo ipso desinerent esse,

Unde illum non solùm propter illũ, sed propter se ipsa amare debent, quia maius illorum bonum est, quã illa ipsa sint suum bonum physicum. Te autem annihilato, nec unum pulicem destrui necesse, & tamen hũc offendis, & coram hoc non agnoscis te qualis sis? Ille nec potest cõcipi quin intelligatur existere, quia ipsius natura est ipsa existentia, tu autem semper es in quodam fieri, & veluti ex fonte existendi, ex DEO tua existentia tanquam rivulus aliquis perpetuò fluit: unde Ioan. dicit *Antequam Abraham fieret ego sum.* DEUS est, Abraham fit. Sed voluntariè dat tibi hanc emanationem, *voluntariè enim nos genuit.* 6 Det tibi potestatem ut destruas illi cœlum, terram, omnes Angelos, nihil illi deerit, ipse est sibi abyssus omnium bonorum, plus quàm tu es rationale. Ita ut ipsum eius esse, sit felicem beatum esse. Tua autem natura tota

ani-

animal rationale, & nihil ampliùs, ut vi naturæ respectu omnis boni & felicitatis, nihil habeas plus, quàm lapis vitæ. 7. Quidquid scis, intelligis, ex illo habes, ille est quidam sol intelligendi, radios in omnes creaturas vibrans liberè, maiores aut minores, quæ ex se sicut terra non plus habent lucis, quàm accipiant. Et hunc tu provocas! & mendaciter tibi adscribis te esse aliquid, te scire, non multùm habes, lucis sed multū illuminaris, ut, si lapis gloriaretur se multùm habere caloris, quia ab igne calefit, & non potiùs se multum calefieri. Vel ab Angelo supra terram elevatus, se altiorem cæteris, & non potiùs altius teneri. 8. Omnia extra illum nec sunt, sed neq; possibile est esse, & consequenter scire, operari &c. quia ipse nō solùm est fons essendi, ita ut ex illo emanet esse, & extra illum aliquid non possit esse, sed ab illo fluit esse,

& in illo manet; ita ut omnia extra illum nihil sint, & tendat ad nihil, sicut extra terram desinunt esse in terra sic extra illum desinant habere esse. O ingrata creatura quæ in hũc furis! 9. Ita Sanctus: Vt sanctissimi sint qui aliquomodo illi assimilentur, etiamsi adhuc infinitè ab illo distent, hinc est, quòd quò quis viliorem se reputat, magis se contemni optat, sanctior est: Quia illi similior, ille enim se verè cognoscit talem ut est ex se, id est, benedictum, gloriosum. Laudabilem, & infinitô dignum honore, & si se talem non cognosceret, falleretur, sicut qui diceret aquam esse baculum, ita homo humilis, talem se cognoscit, qualis est. Humilitas enim est veritas. Sed nunquam homo satis se vilem cognoscere potest, unde nec satis humiliare. Cùm enim sit quodvis peccatum, suo modo infinitè malum, infinitè vilis, despicabilis, stultus,

per

per illud redditus est, nec hoc unquam satis penetrabit. Et si nunquã peccavisset, saltem quia nunquam satis coluit hunc laudabilissimum DEUM, cui plùs cultûs & modo meliori debet, quàm unquam comprehendere possit. Aut si nec hoc, Saltem ob naturam suam, quæ magis distat à DEO, quàm nihil ab esse, sed ut nihil ab esse infinito, per se, imparticipato. Et qui hoc scit, omnes creaturas præ DEO vilipendit, & solùm ob DEUM quia ad illum ducunt, eas amat. O quàm vilis es anima quæ peccasti semel, vel saltem tepidior fuisti! O quam misera es! O quanta superbia est quodvis peccatũ!
10. Quid si insuper te tantus hic Deus amavit. Amavit, sed plusquam credi potest, aut quis decere putaret. Non habuisti bonitatem ob quã posses amari, eam tibi impertiit, tam in esse naturæ quàm gratiæ. Despexisti eum, sprevisti, mandata eius

conculcâsti; ut amares, similis tui factus est idq; in gradu infimo, *Vermis non homo opprobrium hominum & abiectio plebis.* Et hoc fecit, cui videbatur natura eius reclamare. Nam *exinanivit* seipsum quasi suam Deitatem annihiláſſet, cùm se humanitati univit. Ab esse transivit ad non esse, & esse & non esse sub una persona univit, superbenedictum cum similitudine maledicti, id est, peccati, coniunxit. Potentiam cum impotentia constrinxit. Parum hoc pro te. Ampliùs certè est contra naturam Deitatis destrui, & à vilissimis, & contemptuosissimis. Fecit eô modô, quo infinitus eius intellectus excogitavit, nullus alius creatus assequi, ne Angelicus quidem potuisset. Quantò hinc tua bonitas distat. Quanta humiliatio, nondū omnem intellectum consumpsisti ut te quàm infimè abjiceres, etsi nunquam possis in tantum, quantum

tua natura requirit, Deus suum intellectum impendit, ut contra id, quod natura eius requirit, se propter te abjiceret. Amabisne eum? Offendesne? Intumescesne coram eo? An non infinitè dilexit? An non, cùm infinitè sit honorabilis, reddidit se despicabilem?

PUNCTUM II.

ET tamen omnia, quæcunq; de eo aut humanus aut Angelicus intellectus cogitat, ne quidem ut umbra sunt respectu lucis. Quia totum est in illo infinitis modis altius, ipse de se loqui deberet, sed à nullo, nisi infinito intellectù intelligetur. Tu verò neq; unum nihil, intelligis; id est unam creaturam perfectè, & te extollis! habes minùs lucis, quàm sit granum arenæ, respectu totius universi, & coram illo puro, solo, infinito, immenso lumine, te ita geris ac si supra illud esses! alios excedis?

cedis? infinitè vilis res, rem infinitè vilem; Te respice quid habes ex te? & gloriare; quod habes ab alio pro eo gratias age. Quomodo risum, sed & irã indignitas movet Angelis cùm te alijs præfers. ut si pulvisculus sub pedibus, alijs se præferret, imò si se præferret calcanti. 2. Ex altera parte oppone te Deo. Sicut ille fons est boni seu bonitatis: an non tu fons mali seu malitiæ? & cùm sis nihil, habeasq; esse donatum, hoc esse tam vile redditum; ut, si infinitè distes à Deo, quia nihil es, magis infinitè distabis, ob tale esse, quia privatio mali, bona quodãmodo est, unde tuum nihil, respectu tui bonum est, ideoq; minùs à Deo distat. *Corpus* enim homicida est tuæ animæ, perpetuò morbos & pestes ad illam per sensus admittit, quia priùs obiecta sensu quàm intellectu percipiuntur. Imò inclinat ad malum animam, & difficilem reddit ad

bo-

bonum & animam, ut pestem citiùs concipiat, mollit, disponit, tum ne suo malo attendere possit, solicitudinibus vanis involvit, & passionibus veluti latronibus furiosis circumponit, & si anima velit extra pericula se ponere, illam secum detinet. *Anima etiam* fons est mali. Quia omne peccatum quod aliquis homo aut diabolus patravit facere potest. Unde sicut vocamus serpentem noxium, licet actu non noceat, nec minùs es mortalis, quòd non sis actu mortuus. Ita anima mala, licet actu malitiam non exerceat, & quod non exerceat, DEI est beneficium, qui sicut furiosum volentem se præcipitare detinet ac præservat. Boni etiam nihil agere potest, sed nec cogitare: & ob originale, quasi luto teterrimo infecta prodit, tum in intellectu cæcitas, & in voluntate malitia & simul proscripta à DEO, & hostis, tanti Dei declarata.

rata. Iam verò. Si, quò vilior persona quæ offendit, & dignior quæ offenditur, quantum necesse est quodvis peccatum esse, quod in DEUM cõmittitur. Quid si insuper ille amaverit priùs hunc offendentem? Quid si nullâ visâ, in ipso bonitate? Certè DEUS ita amavit, ut si ipse perire debuisset, pro sui conservatione non plus fecisset. Quid si præmonuit? Comminatus, ne faceres? Ad terrorem tui, alios te meliores puniverit? Certè punivit Angelos: Quid si omnia non solùm eum agere docuerit, sed & exemplo ostenderit? Præmia maxima proposuerit? Sæpiùs indulserit? Quid si hunc manu ducat? Concurrit certè, quod est plus. 3. Necdum finis vilitatis meæ. Ipsæ *actiones* sunt malum quoddam, etiamsi non essent ullo peccato infectæ, etiamsi non refunderetur in illas vilitas agentis: Sicut qui tenetur millionem dare, & dat obolum,

lum. Dei dignitas plus quàm millionem à nobis exigit, reſpectu cujus debiti, nec ut obolus, reſpectu millionis, eſt actio noſtra. Sed nec ſatis puniri potes pro tuis malis, quod ipſum eſt quoddam malum, ut ſi latro inveniatur, cuius ſceleribus nulla æqualia tormenta inveniri poſſunt. Et malum eſt vitri, quod non ſuſtineat malleos. Quia juxta multos Theologos peccatum mortale, omnem poſſibilem & infinitam in intenſione & duratione pœnam meretur, (ideoq; Deus infra condignum punit.) Quorum tu non es capax. Sed & in infinitum peiora facere potes, niſi Deus contineat. Et tanta tua malitia; ut tibi compeſcendo efficaciter, non quævis illius cohibitio, ſit ſatis. Quid ſi malitiam tuam refundas in alios, eos ad peccatum adducendo, vel quia es pars eorum eos pœnis obnoxios reddendo, ut Achan? Sed ſunt infiniti fere ti-

tuli

tuli malitiæ & vilitatis tuæ. Quid si tam vilis & miser tantùm, illum DEUM occideris, crucifixeris? Et ille pepercerit, & tu nihilominus secundò ac decimò ac centesimò crucifigas? Iudica te, an sis dignus cœlum contueri? An dignus veniâ? An dignus, ut te portet terra? An non vilior dæmonibus? 4. Capax es ex te omnium malorum naturæ, uti morborum, persecutionum ab hominibus & bestijs, imò ea exigit vilitas tua, sicut caro bufonis aut scorpionis ad se trahit venena, ut non solùm sis fons, sed & scopus & nidus malorum & vilitatum; ignorantiarum, desertionis à DEO, excæcationis. Ut nihil boni memoriæ occurrat. Quid si hunc tam malum, ille tam dignus & bonus DEUS velit sibi certô modo uniri, & ad suam dignitatem evehere, ille reluctetur. Sæpius, imò depalmet, & tamen sæpiùs à DEO retrahatur?

PUN-

PUNCTUM III.

MInùs es respectu Dei, quàm unitas respectu centum & centum millionum. Itaq; nihil es, tua duratio respectu æternitatis, ubicatio respectu immensitatis, scientia respectu divinæ sapientiæ, virtus agendi, respectu omnipotentiæ, & sic reliqua omnia respectu divinorum attributorum: ergo es merum nihil, & hoc ipsum nihil tale adhuc est ab alio, quia non à te illud habes, ergo de tuo es minùs, quàm ipsum nihil, Et si hoc nihili nihil, tanti homines faciunt, ut illud in Regibus Cæsaribus tantopere venerentur, & pro eo tantùm faciant; quantùm DEus adorandus, & quid pro eo faciendum? si, quia aliquid in aliquibus micuit de Ente, de sapientia, de potentia Dei quod tamen non erat tantum, nec tantùm radiabat ac imago Solis picta, respectu veri Solis; quia nullius creaturæ bonitas,

excellentia &c. tantùm accessit ad excellentiam & bonitatem Dei quantum etiam distortissima imago, quæ nec unam lineam integram, sed vix punctum perfectè exprimat prototypi, ad suum prototypon: & tamen tales ab hominibus relati sunt in Deos, hoc est, omni cultu, quē possibile est à creatura exhiberi, omni subiectione obedientiâ, amore, &c. digni judicati sunt. Quantò magis magnus noster solus & verus Deus amandus? 2. Si dicas Deum id esse, qui omni cultu possibili veneratione, obsequio, amore, &c. dignus est, infinities minus dixisti, quia infinities dignior est, quàm à Creatura ulla ejus dignitas concipi adæquatè possit. Unde infinities in infinitum dignior est. 3. Si dicas, præstat, creaturam etiam supremum omnium Angelorum, imò illam quam Angelis infinitè excellentiorem Deus creare potest, in inferno in æternum

num infinitis tormentis affligi, quã ut hic Deus ab ullo homine minimo peccato veniali, etiam verbo otioso, quod est contra ejus voluntatem, offendatur, infinities minus dixisti, quam si dicas, præstat unum pulvisculum in terram cadere, quam Cæsarem & omnes Reges vivos & innocentes comburi. Maius est dedecus, quod contra voluntatem eius signi, aliquid a Creatura committatur, quàm si unus lixa collum Cæsaris calcet, imò quàm ullis verbis exponi possit; ut nihil esset inconvenientiæ, si pro minimo veniali peccato, imò imperfectione, in æternum damnaretur Creatura: Ideoq; hoc ipsum est infinitæ bonitatis & misericordiæ, quòd solùm pro mortali damnet. Sed neq; tunc ad æqualitatem pro offensa magnitudine Creatura pateretur; etiamsi ad tanta supplicia pro minimo veniali damnaretur; quia illud veniale ob

infi-

infinitam dignitatem læsæ personæ, est quodammodo infinitæ malitiæ. Pœnæ autem infernales non sunt infinitum malum Creaturæ.

SOLILOQVIUM TRIGESIMUM.

Vilitas Hominis.

PUNCTUM I.

V*ilissimi sumus, ob id, quod sumus, Secundùm corpus*, primâ origine in Adamo de limo terræ, cùm enim stellæ ex aquis, ex aëre venti, pisces, & volucres ex aqua Bruta, & homines æqualiter, de limo terræ, unde cinis, pulvis, lutum sumus. 2. Homo quomodo conceptus, dicere horreo, vereor scribere, erubesco cogitare. Turpe enim cogitatu, turpius scriptu, turpissimum dictu est. Iam alimentum nostrum

ante

ante nativitatem fuit, quod tactu herbas, ut toxicum exitiale radicitùs enecat, in rabiem canes efferat. Corporis recens nati, tanta imbecillitas, ut cùm quadrupes, volucres vermes, mox nati reptent, currant; homo loco se movere nequeat. Ejulatus lamentabilis, vox prima omnium. Verbô, corpus humanum concipitur cum immunditia, & fœtore, paritur cum tristitia, & dolore, nutritur, cum angustia, & dolore, timore, nudus ingreditur, innumeris onustus miserijs egreditur. S. Bernardus, med. c. 3. Si diligentiùs consideres, quid per os, & nares, cæterosq; corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium non vidisti. Fructus autem corporis in animam redundantes sunt. 1. Quòd per illud contrahitur peccatum, nihil enim est in intellectu, quòd non sit priùs in sensu. 2. Pronitas ad malum, proni enim sunt sensus homi-

nis ad malum, mors intrat per fe-
nestras sensuum. 3. Difficultas ad
bonum, *corpus enim quod corrumpi-
tur, aggravat animam.* 4 Impugna-
tio animæ, *caro concupiscit adversus
spiritum.* 5. Illum hebetat, *agrum ho-
minis pigri replent urticæ* 6 Curas
gignit *solicitis, quod manducabimus,
bibemus, quo operiemur.* 7. Passioni-
bus plenum, *Homo natus de muliere re-
pletur multis miseriis.* 8. Gloriam re-
tardat: *Infelix ego homo, quis me li-
berabit à corpore mortis huius: cupio dis-
solvi. Secundùm animam* Eius mate-
ria vanitas, seu nihilitas: Ex hac
creata est, hoc est *ex nihilo sui facta,*
eius existentia, & conservatio, à
solius Dei nutu est, *nihilum habet co-
gitationis* 2. Cor. 4. *Non sumus suf-
ficientes cogitare aliquid à nobis, quasi
ex nobis.* Nihilum *operationis* Ioan-
nis 15. *sine me nihil potestis facere.*
Nihilum *consummationis.* Isaiæ 25.
omnia opera nostra operatus es in nobis
Domine

Domine, verè *substantia nostra tanquā nihilum* est coram DEO: Peius autē nihilô, quòd naturâ filia iræ; originali fœdata est, priusquam nata; spoliata in gratuitis, vulnerata in donis naturalibus, fomite gravata, quæ est lues animæ, vires & sensus corporis à virtutibus retrahens, ad vitia inclinans, scil. malitiam in voluntate, ignorantiam in intellectu, intemperantiam in concupiscibili, infirmitatem in irascibili S. Bern. in compendio. *Est anima onerata peccatis, confusa tenebris, irretita illecebris, parens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona ad omne malum.* Et quia actualis peccati nos reos agnoscimus, sumus rebelles lumini, bannizati, perduelles DEO, servi peccati, mancipia dæmonis, victimæ æterni incendij, justis hominibus, Angelis, DEO, execrabile anathema. 2. *Vilissimi sumus ob id, quod non sumus.* Quòd

non simus fratricidæ Caimi, pro-
ditores Judæ, Parricidæ, & Deici-
dæ, Antichristi, immensâ bonita-
te conservati à peccatis, quæcunq;
fecit homo, aut diabolus; & non
minor videtur esse gratia Dei, etsi
infinita sit, Deum nobis remisisse
peccata propria, quàm præservâsse
ab alienis: sicut excellentior est Beatæ
Virginis conservatio, quàm Magda-
lenæ liberatio à 7. dæmoniis. Peccati
enim aspectus in anima, facit Deum
tangi dolore cordis intrinsecus, ut
ipse loquitur in Genesi. 3. Vilissimi
sumus *ob id, quod fecimus*, quam e-
nim pauca, quàm imperfecta sunt
nostra bona opera, omnia scatent
defectibûs, quod opus veræ, since-
ræq; virtutis, perfectionis, salutis,
Dei gloriæ suscepimus? Pars vitæ
magna malè agentibus, somnô, o-
tiô, desidiâ effluxit. 8. Propè annis
primis nihil aliud novimus, feci-
mus, quam bestiolæ, à porcellis,
solâ

solâ extremâ specie diversi, computruissemusq; ut jumenta in stercoribus nostris, scabie, impetigine, sudore, pure, sangvine, nisi specialem gratiam erga nos, benevolentiam ad fastidium, & nauseam tollendam, nutricibus Divinâ Providentia indidisset. Verbo, *pannus menstruatæ* (quo nihil fœdiùs nihil execrabiliùs) *universæ Iustitiæ nostræ*. Vilissimi *sumus, ob id, quod non fecimus:* Cùm enim pro omni puncto temporis obligaremur præceptô illô: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* irreparabilem facimus jacturam tēporis. Si enim nunc nos omnibûs viribûs impendamus divino obsequio, debetur hoc isti puncto temporis; non resarcimus neglecta, unde, quod in opere defuit, in pelle luendum restat. 5. *Vilissimi sumus, ob ea,* quæ fecit pronobis Deus. D*ilexit* me, & *tradidit semetipsum formam servi accipiens, factus obediens*

humiliavit semetipsum usq; ad mortem crucis immensâ charitate, & abyssali simul humilitate. Tantùm sudoris, lacrymarum, dolorum, & sangvinis prodigens, ut si infinita maiestas, & essentia periclitata fuisset: in opere Incarnationis, incomprehensibilis misericordia, quo nihil maiùs eius omnipotentia facere, nihil meliùs excogitare divina sapientia, nihil excellentiùs divina bonitas potuit exoptare. Unde tenue, vile, frigidum omne opus nostrum bonum, si Dei Filij incarnationis, Eucharistiæ, Passionis, operibus conferetur. 6. *Vilissimi* sumus ob ea, *quæ nobis non fecit DEUS.* Nempè quòd mox post primum peccatum ad infernum nos non præcipitavit, sicut pulcherrimum omnipotentiæ, & sapientiæ suæ opus Luciferum: Ille enim nullius puniti peccati habuit exemplum, ego innumera; pro illo Christus non fudit

san-

ſangvinem, non mortuus, non in ſtituit Sacramenta, non doctrinam cœleſtem, neq; exemplum ſe ipſum propoſuit; ſicut pro me, quæ me præ erubeſcentia, faciunt contabeſcere. 7. *Viliſſimì ſumus*, quia tantus eſt DEUS, cui infinitis titulîs, etiam gratis impenſiſſimè ſervire, & famulari tenemur totâ æternitate, & cùm fecero omnia, debeo dicere, *ſervus inutilis ſum, quod debui feci*. Quomodo autem obligabo DEUM mihi, cúm ſolvere non poſſim debita? Opus bonum a DEO eſt, & Dei ſemper proprium, de alieno non poſſum DEUM obligare. Da totum tuum opus bonum eſſe, quod poſſibile eſt, alias non eſt vitæ æternæ meritorium; gloriari inde, & mihi applaudere non poſſum, quia id ultra condignum mihi ſolvetur in cœlo, iniuſtus autem ſum. ſi duplicẽ mercedem, hic laudem & complacentiam, ibi præmium exigam:

Etsi tam parum credo pro me fecisse DEUM, ut quibûscunq; semper vilibûs meis obsequiis possit compensari, iniquissimus æstimator sum. Si vile omne obsequim meum indignum est, eius humilitate & passione, quantò magis indignum erit eius immensâ Maiestate, & magnificentiâ. 8. Vilissimi sumus, *quia non aliud sumus, nisi infamia creaturarum.* De se David: *Substantia mea tanquam nihilum ante te,* De Iuda Æterna veritas: *Melius esset illi, si natus non fuisset:* Si sum aliquid *gratia DEI sum, id quod sum,* ipsum nihil, quod eram, antequam crearer, non fuit meum, quia posse, esse, meum omnipotentiæ Dei est. Antequam essem, neq; potui scire, necdum velle, talis, aut alius fieri. Ex nihilo nihil fit, quare necdum aliquid boni facere potui, ut essem bonus, nihil ex me facere potui boni, & ne essem bonus, multa mala feci:

Nunc

Nunc ex infinita Dei misericordia factus, neq; momentô me, membrum ullum, aut pilum conservare possum, uno momento ex me, tantùm Dei gratiâ, & conservatione vivo. Ut stellæ noctu jactant suos radios, magnitudinem, ad solem in die, nihil esse videntur, evanescunt; Ita peccatores remoti a Deo, & justi sanctitate illuminati, ad solis iustitiam, Christi præsentiam eclipsantur. Si facimus illud, & æstimamus nostra bona, quæ Dei sunt, ingrati, injusti sumus. Etsi verè nostra essent: nisi ea mox Dei faceremus, iisdem titulis essemus detestandi. 9. Vilissimi sumus, *ob id, quod scimus.* Scimus nos peccasse sæpè graviter, in gratiam nos redivisse cum DEO non scimus. Quare ut coniunx à marito deprehensa in adulterio, timet: Ita nos, quòd anima nostra, per baptismum aut etiam vota Religionis &c. DEO desponsa-

ta fidem datam violaverit, scimus: Reconciliationis autem signum evidens, sine revelatione nullum habemus. Humiliter se gerit minister Principis, si hunc offendit graviter, & infamem crucem meruit, seq; deprehensum novit, etsi Princeps dissimulet, neq; timere desinit, & in omnibus agit cautissimè. Ita nos juxta doctrinam Thom. Kemp. l. 3. de imit. c. 13. §. 3. debemus. 10. Vilissimi sumus, *ob id quod non scimus.* Non scimus 1. quidquam de finali gratia. Etsi enim evidentes haberemus de nostra electione, confirmatione, literas; non valerent eædem pro perseverantia. Illas enim habuit Saul electus Rex, electi populi, & unctus nomine Dei est. Habuit illam certæ electionis notam in Apostolatu Iudas, in Paradiso Adam, in cœlo Angelus, quos defecit constantia. Heron. Eremita prodigium fuit in laboribus, jejunijs, miracu-
lis,

lis, summâ perfectione & sanctitate, ut solâ Eucharistiâ victitaret, herbas semel degustaret, trimestri spatiô sylvestres, perijt adulter, ebriosus, Apostata. Neq; securum faciunt si essent merita Ioannis Baptistæ, quo *non surrexit maior inter natos mulierum*. Angeli confirmati in gratia contremiscunt, quòd possibilem agnoscant alicujus creaturæ damnationem, non timebimus nos, quorum periclitantur capita æternùm? qui infirmitatis nostræ conscij totum mundum cum pompis ejus, totum infernum cum omnibus dæmonibus, nos ipsos, carnem nostram, & amorem, atq; voluntatem propriam, hostes habemus juratos, insomnes, vaferrimos, exercitatissimos? si Christi Dei infinitè boni dignitatem considero, debeo optare omnia inferni tormenta perpeti, ut aliquo modo illi gratus sim: Meritò perhorreo cùm non facio, quan-

tum possum & debeo. 11. Vilissimi sumus ob id, *quod erimus*, scilicet in morte secundum animam desolatissimi, quando ex præteritorum memoria uret dolor, ex præsentium pudor, ex providentia futurorum timor, mortisq; propinquæ dirissimè excruciabunt angustiæ. Secundum corpus post mortem, esca serpentum, & bufonum, putredo, & purulentia tam intolerabili graviolentiâ, quantâ (Physicorum sententiâ) 90. porcorum vix procrearent verminantia cadavera. 12. Vilissimi sumus ob id, *quod non erimus*. Damnati scil. infra condignum puniendi; hoc est, neq; possibilibûs omnibûs tormentis, quæ meruimus neq; adæquatis infinitæ peccati malitiæ. Salvati ultra condignũ, præmiandi immensâ felicitate, & fruitione Dei, atq; transformatione *in ipsius imaginẽ*, quando *similes ei erimus*. 13. Vilissimi sumus *ob id*, *quod esse*

deberemus infra omnes diabolos humillimi, ne DEUS causam haberet, iterum suum sangvinem, & vitam prodigere: ut sic ad infinitum illius humilitatis gradum gustum, & desiderium, essemus humiles. Qui Angelicus intellectus satis ponderet, & comprehendat illam veritatem, pluris DEUM in nobis facere humilitatem, quam in se vitam suam: hanc enim pro peccatis abolendis profudit, & quasi lytrum, seu pretium appendit, & tum iterum permittit peccatum, ut humilitatem apud nos inveniat. 14. Vilissimi sumus *ob id quod sumus*. Scilicet peiores omnibus peccatoribus. S. Paulus se *primum dixit*, hoc est, maximum peccatorem, & non est mentitus: Unde non erit exaggeratio, si id ego de me dixero; quia non debeo, nec possum me ulli præferre, ne pessimo. Et hoc facilè mihi persvadebo, quia nemo me minùs habuit, quo mise-

ricordiam Dei flecteret, de fide enim eſt, nihil boni mei ad hoc præceſſiſſe. Nec habeo fundamentum credendi, ullum futurum, me ingratum magis; adhuc ſemel miſericordiam conſecutum, quam iam toties mihi indulſit Deus: imò temerè iudicarem in ullo poſſibilem eſſe maiorem ingratitudinem, quam in me evidentiſſimè agnoſco. Dignitas & præſtantia omnis creaturæ rationalis conſiſtit in cognitione & advertentia obligationis ſuæ. Hæc in nemine maiori abuſu, quam in me à me vitiata eſt, ego ſum indigniſſimus, & viliſſimus. Etſi enim Viri Sancti quidam maiorem lucem me habuerint, & alij numerô paſſionum externarum fortè excеſſerint, in nullo hæc duo inveniam ſimul, neglectum maiorem obligationum, cum cognitione illarum, inſpiratione cœleſti, tam potente admonitione conſcientiæ. Qui plura peccata
me

mê fecit, pauciores inspirationes acceperat, ideoq; pauciores mê habuit obligationes. Si magis me fuit admonitus, & inde ideo magis obligatus, minùs mê peccavit. Sed finge aliquẽ plus te peccâsse, maiorẽq; habuisse cognitionem, ideoq; etiam obligationem: necdum mê, fuit deterior, quia non cognoscet, neq; habebit mê maiores obligationes: & si fortè haberet, ego suspicari non possum, ego si credo me omnibûs plùs teneri ad serviendum Deo, sum omnium ingratissimus, & vilissimus. Unde peior sum Antichristô, quia etsi eius peccata excedant mea numerô, non tamen excedit eius cognitio peccatorum, illustrationem & obligationem meam. Non consequetur toties, ut ego remissionem peccatorum: non ditabitur tam efficacibûs, instantibus beneficiis, & illustrationibûs, non præservabitur

a tot,

à tot, ùt ego peccandi occasionibùs. Lucifer maiorem mê, lucem habuit, at propter unicum peccatum damnatus fuit, neq; habuit eas obligationes, quas ego, neq; pro eo, Filius Dei factus est Angelus, ut pro me, neq; pro illo sangvinem fudit, neq; Iudam Christus uti me obligaverat, quia necdum pro illo fuit mortuus. Nonne igitur absorbeor in abysso meæ ignominiæ? 15. Vilissimus sum, ob id, *quod non fui*: scilicet infinities vilior. Si enim DEUS non cohibuisset sua gratiâ meam malitiam: & me, & alios peiùs corrumperem. Nam unum peccatum Achani reum fecit, divinæ vindictæ totum populum Israël. Etsi unum peccatum Adami, innumeros posteros, ex se innocentissimos tam perniciosè infecit, quid fecissent infinita mea scelera? 16. Vilissimus sum, ob id, *quod esse possum*, scilicet infinitùm peior, & vilior, si DEUS gratiam

suam

suam mihi subtrahat, ut sum meritissimus. Cujusq; peccatoris scelera numero finita sunt, ego infinitũ peccare possum: & efficaciam in me habeo, ut totum mundum inficiam. Quia, improbissimus sum post tot beneficia, excessum amoris Dei erga me, divinas inspirationes.
17. Vilissimus sum, ob id, *quod esse non possum*: scilicet innocens. Unicum delictum facit, perpetuò infamem coram hominibus, peccatoribus, qui neq; malitiam peccati intelligunt, neq; dignum illius habent odium. Quantum ergo mea peccata, me coram gloriosis Martyribus, SS. purissimis Angelis, mundissimâ sanctitate Dei dehonestaverint? sed sit, mihi per misericordiam Dei hæc remissa esse, tamen quod semel fui, semper ero vilissimus, & pudor debet cum humilitate, tantùm in me crescere, quantum crescit in me divinæ misericordiæ

con-

continuatio. Experientia enim docet, quam ineffabiliter bonum erga me, DEUM contempserim, & adhuc manere me, atq; moriturum ingratum. 18. Vilissimus sum, ob id, *quod facturus sum*, petendo scilicet à DEO gratiam: qua toties turpissimè abusus sum, execrabili eius contemptu; qua proinde sum indignissimus: Sine qua tamen absque peccato (unicâ vilitatis meæ scaturigine) vivere non possum. 19. Vilissimus sum ob id quod *facturus non sum*: Scilicet non petendo gratiam Divinam, nisi ultro sine mea postulatione, DEUS eam mihi concesserit. Contremisco enim, nè illa abutar, iterum maiori indignatione, magis damnabili, eius contemptu. Cum ista tua indignitate, compone jam infinitarum gratiarum exundantes scaturigines, imò exaggerata flumina, immensam bonitatem, & amorem Dei, beneficiorum & fœcun-

cundissimam, & prodigã liberalitatem, fructus S. S. Incarnationis, atq; redemptionis uberrimos, S. S. Eucharistiæ &c. Sequetur *primò*. Possum me omnibûs peccatoribûs peiorem dicere, quia multi non ita Deum, virtutem, peccati gravitatem cognoverunt, sicut ego, non tot bona, & auxilia à Deo acceperunt specialia; non tam multa, & gravia commiserunt. *Secundò*, possum me omnibûs damnatis peiorem dicere: Quia de nullo mihi constat, eum tot, & tanta commisse flagitia, non, aliquando magis pœnituisse, non etiam satisfecisse, non plura bona opera fecisse; etsi postea in peccatis perierunt. *Tertiò*, possum me omnibûs dæmonibûs peiorem dicere: Quia illis toties non pepercit Deus, neq; se emendaturos, Deo promiserunt, neq; hoc eis fuit concessum, ut mihi: nec tot nominibûs Deo servire sunt professi, neq; in multa mea peccata inciderunt.

Pro Praxi.

Dicendo te maiorem aliîs, maximum peccatorum: si id omninò non sentis, decipis alios; si sentis, & non confirmas hoc ipsum opere, decipis te ipsum. Confirmabis, si te annihilabis; nihilum autem fieri est, proinde nihil de te sollicitari, ut procures Dei gloriam. Atq; non sollicitaris de ijs, qui non sunt, relinquendo te, & exinaniendo in omni patientia, absumptô omni affectu proprio, humiliatâ, & annihilatâ voluntate tuâ: sicut ergo non esses impatiens, si quis aerem verberaret, feriret, aut obiurgaret spatia extra orbem imaginaria, ita non debes quacumq; tibi illatâ iniuriâ commoveri, aliàs, jam æstimabis te esse aliquid. Tuam reputationem & commoditatem quærere, tam debet tibi videri ridiculum, & otiosum sicut

si esses anxius, ut fortunatus, ut honoratus esset homo, qui non est, neq; creandus est; si enim sincerè sentis te nihil esse, ita erga te, & tua debes affici, ac si creatus non esses. Et quid mirùm si ad Dei gloriam procurandam id sentiam & præstem quando ipse Filius Dei, cùm in forma Dei esset, ita se neglecto salutem meam procuravit, acsi ipse non esset, aut nihil esset? *Secundò.* Cùm omnis pœna, pestis; fames, bella à Deo, mundo infligantur propter peccatum, credendum mihi, quòd ego horum omnium causa sim: si enim peccata ad puniendum, DEUM provocant, cuius potiùs, quâm mea? hoc est, maximè improbi? & si innocentes, propter nocentes patiuntur, ut totus Israel propter Achan, mei causa, patiuntur omnes. Unde ego, à toto Dei populo lapidari debeo, ego, ut Ionas propter quem hæc tempestas orta est, mitti in ma-

re; ego cum Davide feriri ab irato DEO, quia ego ſum qui peccavi, ego iniqua egi, Antonomaſticos. Quare plenè mihi convenit, ut pœnas immiſſas tolerem, ſpontaneas, ſubeam poſſibiles: atq; iram Dei portem, quia ego peccavi illi.

Actus Interni
Humilitatis.

UTinam ſim in medio Fratrum meorum, ſicut, qui miniſtrat. Bone IESU, quando efficiar ſicut parvulus? Veniſti Bone IESu in mundũ peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum: Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ego putredo, & filius hominis, vermis. Quis ego ſum, ſervus tuus Domine, quia reſpexiſti ſuper canem mortuum, ſuper pulicem unum. Quid habes, quod non accepiſti? cur gloriaris

quaſi

quasi non acceperis? Putredini dixi: Pater meus es, & soror mea, vermibus. Pro Parentibus, & propinquis, mihi erunt vermes. Quem diligis autem Domine? quem diligis? me canem mortuum diligis, & pulicem unum. 1. Reg. 14. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis* Gen. 18. Domine non sum dignus aspicere altitudinem cœli. Domine non sum dignus calcare hoc pavimentum, per quod transeunt tot dilecti tui servi, mê longè meliores. Domine miserere mei propter merita servorum tuorum, mê longè meliorum, cum quibus habito. Domine, sicut olim inter Angelos tuos, dæmon comparuit Iobo nociturus, ita ego sum sicut unus diabolus, & diabolis peior; vivens inter Filios Dei, quia propter peccata mea, sum causa omnium calamitatum huius vitæ. Non nobis Domine, non nobis: sed Nomini tuo da gloriam.

O Do-

O Domine ad maiorem tui Gloriam nolo gloriari, nec quidquam quod in meam redundet gloriam, proferre. O Domine ut tibi placeam, nolo meas laudes audire, tibi Domine laus, tibi gloria, mihi autem confusio faciei meæ. O IESU humilitatis Magister, amore tui obviis ulnis amplector, quascunq; me ipsum humiliandi occasiones. Domine nō cupio ullum honorem, & illum, qui mihi exhibetur, ex asse totum tibi offero Domine. Domine Deus meus, & Pater meus agnosco, quòd verè sim omnibûs peccatoribûs, & diobolis, & damnatis peior: & ex me abominabilior, indignus omni bono, dignus ob innumera mea pec- cata omni malô: Elegi abiectus esse in domo Dei mei. Deus humilium celsitudo, verè sentio, & libenter cōfiteor, me, ex me nihil esse, nihil posse, nihil habere, nihil scire, nihil præstare, nihil mereri sine te. Te

Deo

Domine oportet crescere in meis fratribus, me autem minui. Deus meus in tuo fundo dego, aurâ tuâ vescor, te tenente subsisto, te largiente aliquid possum, te adiuvante operor, te aliquid faciente præmior. Omnem honorem meum pono in extremo mei ipsius contemptu, pro te Deus meus. Fateor te Domine, me indignissimum esse, quem tu omnium creaturarum contemptui objicias, exponas execrationi, & tradas furori. Liceat mihi Domine, ubiq; recumbere in novissimo loco cũ Domino IESU, qui pro me miserrimo homine, in patibulo crucis suspensus fuit.

Praxes se ipsum humiliandi.

Agnosco coram te omnia vidente, Deo, purissimo Iudice, me ob spurcissima, & enormia peccata, ac flagitia meritum ut in hac vita suppli-

cium patiar, omnibûs morbis, & doloribûs in meũ corpus accumulatis: ut commune fiam Xenodochium scabiei, impetiginis, lepræ, carcinomatum, pestilentiæ. 2. Agnosco &c. ut irrationales belluæ, ursi, tygrides, leones, scorpij, serpentes, dracones me purulentent, ungvibûs me discerpant, dentibûs comminuant. 3. Agnosco &c. ut res in me omnes inanimatæ, & animatæ desæviant, imbres, nimbi, turbines, fulmina quasi scopum impetant, prosternant, concinerent. 4. Agnosco &c. ut homines, bestiis ferociores, Angelos tuos bonos, & horrendos voluntatis tuæ executores, & malos, truculentos impiorum carnifices; & gravem tuam manum super me sentiam, plus quam super David, Tobiam, Iobum: aut quemvis alium, quem inauditæ calamitates fecerunt toti orbi notissimum. 5. Agnosco &c. omnia hactenus recensita tor-

men-

menta, simul & quæ sol vidit; maleficis iustas vindictas, iustis nequissima tormenta & quæ ingeniosa improbitas, ira, rabies atq; infernus evomuerunt contra innocentissimum tuum Filium, & ad finem mundi contra iustos evoment: me unum esse promeritum. 6. Agnosco &c. illa etiam me esse commeritum: quæ infernalibus solo temporis spatio tremenda tua Iustitia, & in locis purgantibus constituit. 7. Agnosco illa me meritum, quæ nec cogitatione ulla apprehendi possunt: neq; ullo tempore finiri, diabolis parata supplicia. Cæterùm DEUS humilianti se, quantùmvis sit peccator, dat gratiam; elevanti autem se, licet sit virtuosus, obstacula ponit, nam absolutè scriptura dicit. *Deus superbis resistit & humilibus dat gratiam.* Horribile sanè est, quod dicit author pius & doctus in libello de perfectione vitæ Christianæ, converso ex

Italico in Latinum ā Iodoco Lori-
chio, sic enim habet cap. 11. *Si su-
perbus sis & (contra castitatem)
non labaris, non leviter de tua salute du-
bitandum est.* Usitata est sanctis, ista
se humiliandi, & sui confusionem
quærendi ratio: sit exemplo B. An-
gela, quæ ut est in eius vita, in hunc
modum se confundebat ac vilem
faciebat. Video me cecidisse ab o-
mni bono, & video me esse extra o-
mnem virtutem, & extra omnem
gratiam, & video in me, tantam mul-
titudinem peccatorum venisse & de-
fectuum, quòd non possum cogitare
quòd DEUS de cætero velit mihi mi-
sereri: Et video me domum diaboli,
& operatricem & credulam dæmoni-
orum: & video me filiam eorum;
& video me extra omnem rectitudi-
nem, & extra omnem veracitatem, &
dignam infimo & ultimo profundo
inferni, Et ista humilitas, quam ali-
quando habeo, quæ facit animam
meam

meam esse contemptam, & facit animam venire in cogitationem bonitatis divinæ. Quia alia prædicta humilitas, non adducit, nisi innumerabile malum. Unde intus in anima videtur mihi, quòd sim tota circumdata dæmonibus, & video defectus in anima & corpore, & est mihi clausus Deus, & absconditus in omni potestate & gratia, ita quòd nullo modo possum recordari Dei, nec ipsius habeo memoriam, quia nec ipse permittit. Et videndo me damnatam, non curo aliquo modo de damnatione mea, quia plùs curo & plùs doleo, quia offendi Creatorem meum, quem nollem offendisse, nec offendere pro omnibus bonis & malis, quæ possent nominari. Unde & videndo offensiones meas innumerabiles prædictas, pugno cum omnibus membris meis, & contra dæmones, ut possim vincere & prævalere contra prædicta vitia & offensiones,

& non possum per aliquem modum omninò: Et etiam non invenio aliquod vadum, nec aliquam fenestellam, nec aliquod omninò remedium, per quod possum evadere, vel me juvare, & perpendo quod ego ita cecidi profundè. Unde & humilitate frequenter sum inabyssata, & facit me videre peccata mea, & superabundantiam malitiarum mearum & iniquitatum, ita quòd non video me posse manifestare, nec discooperire ea, per aliquem modum, ut eas simulationes & iniquitates meas, & peccata mea, possem manifestare, & vellem ire nuda per civitates & plateas, & vellem appendere ad collum meum carnes & pisces dicens: Hæc est illa mulier vilissima, plena malis & simulatione, & seminatrix omnium vitiorum & malorum. Faciebam enim bona ad famam hominum, & faciebam dici omnibus, qui invitabant nos, non

co-

comedo pisces, nec carnes, & ego eram plena gulâ & comessatione, & ebriosa: Et ostendebam quòd nolebam recipere nisi quantùm sufficiebat mihi, & studebam esse pauper exteriùs, & ubi jacebam, projiciebam multos pannos, & de mane faciebam eos levari, ne personæ venientes hoc perpenderent. Videte animæ meæ diabolum, & cordis mei malitiam: Audiatis quomodò sum hypocrita, & filia superbiæ, & quomodò sum deceptrix, & sum abominatio Dei, & ostendebam me esse filiam orationis, & ego eram filia iræ, superbiæ, & filia diaboli. Et ostendebam me habere Deum in anima, & consolationes divinas in cella, & ego habebam diabolum in anima & in cella. Et sciatis quòd toto tempore vitæ meæ studui, quomodò possem habere famam sanctitatis: & sciatis in veritate: Quòd propter malitias & simulationes quæ absconsæ

sunt in corde meo, multas gentes decepi, & sum hom icida multarum animarum, & animæ meæ. Et postea stando in ista abysso, volvebam me ad istos fratres meos, qui dicti sunt filij. Et dicebam eis, nolite mihi de cætero credere. Nonne videtis vos quod sum dæmoniaca? Vos qui dicti estis filij, rogate istam justitiam Dei, ut exeant dæmonia de anima mea, & manifestent nequissima opera mea, ut nõ ãpliùs vituperetur Deus per me. Et nonne videtis, quòd omnia quæ vobis dixi sunt falsa? Et nonne videtis, quòd si non esset malitia in toto mundo, ego replerem totum mundum, de abundantia malitiæ meæ? Nolite mihi plùs credere. Nolite plùs adorare idolum istud: Quia in isto idolo latet diabolus, & omnia quæ locuta sum vobis, fuerunt falsa verba, simulata, & diabolica. Rogate istam justitiam Dei, ut cadat hoc idolum, & frangatur, & manife-

ste n-

ſtentur opera diabolica eius, & mẽ-
dacia & verba interpolata, & inau-
rata, quæ dicebam; quia deaura-
bam me verbis divinis, ut eſſem ho-
norata & adorata pro DEO. Rogate
ut diaboli cedant de iſto idolo, ut
non plùs decipiatur mundus per iſtã
fœminam. Unde rogo filium Dei,
quem nominare non audeo, quod ſi
non manifeſtari me, per ſemetipſum
fecerit, quod faciat me manifeſtari
per terram, ut aperiat & deglutiat
me, ut facta in exemplum, dicant
homines & mulieres: ô quomodo
erat interpolata & deaurata, & tota
ſimulata interiùs & exteriùs! Et vel-
lem mittere in collum meum vincu-
lum, vel unam retortam, & face-
rem me trahi per civitates & plate-
as, & pueri ducerent me, & dice-
rent, hæc eſt illa viliſſima mulier,
quæ toto tempore vitæ ſuæ, oſtendit
falſum pro vero: & homines dice-
rent & mulieres. O ecce miracu-

lum quod fecit Deus; quia fecit per ſemetipſam manifeſtari & dici malitias, & iniquitates, & peccata, quæ toto tempore vitæ ſuæ, fuerant abſconſa. Sed iſtud dicere parum ſufficiebat animæ: Et ſciatis quòd ſum poſita in una deſperatione, quòd nũquam habui iſto modo, quia omnino deſperavi de Deo; & de omnibus bonis eius, & feci chartam inter me & ipſum, Et ideo ſum certa, quod nõ eſt aliqua Perſona in mundo ita plena omni malitia, & damnanda, ſicut ego ſum: Quia quidquid Deus mihi conceſſit & dedit, ad maiorem meam deſperationem & damnationem permiſit. Unde rogo vos omnes, ut rogetis iſtam juſtitiam Dei, ut non plùs tardet extrahere dæmonium de iſto idolo, & manifeſtentur nequiſſima opera, quæ intùs ſunt, quia caput meum dividitur, corpus deficit, oculi mei caligaverunt propter multitudinem lacrymarum, & omnia

omnia membra mea disiunguntur quia non possum manifestare malitias meas, & mendacia animæ meæ. Sed gaudeo, quia iam incepit aliquid manifestari, & omnia ista sine humilitate, vera esse in veritate videbam, & scias quòd tu, qui scripsisti, parum scripsisti, in comparatione omnium malorum & iniquitatum & abusionum mearum, quia quando eram parvula, incepi operari mala: Hæc & his similia cogor dicere prædicta humilitate inabyssata & depressa,

SOLILOQVIUM TRIGESIMUM. PRIMUM.

Quantùm me humiliare debeo!

PUNCTUM I.

1. CErtè magis, quàm Christus, quia nec tam Sanctus, nec

tam innocens, nec tam ſapiens, nec tam alti generis &c, ſum. 2. Magis quàm vermis, qui ſub pedibus tuis jacet, cui, ſi convitieris, ſi cõtumeliam dicas; ſi percutis, ſi omnia tollas, ſilet. Chriſtus fuit *vermis, & non homo*, unde plùs, me demittere debeo. 3. Ut opprobrium hominum, ut aliquis ſtultus, quem vexant, rident omnes, nec ſcrupulum faciunt ſibi, ſi obloquantur: ſuſtinet ille. Plùs me abjicere debeo. Quia Chriſtus fuit *opprobrium hominum*. 4. An, ut ſim veluti abiectio plebis? Id eſt tam vilis res, quam ne ultimus è plebe domi ſuſtineret, ſed abiiceret, ut aliqui veteres detriti extremè calcei ſimentum. Plùs, quia hoc fuit Chriſtus. 4. An ut habear mente captus? Plùs, ligabatur ille à ſuis. 5. An ut *fabri* pauperrimi *filius*? Plùs. Chriſtus hoc fuit. 6. An ut pro helluone, ebrio? Plus. De Chriſto dicebatur, *ecce vini potator*

tator hic est. 7. An ut pro Mago, dæmonium habente habear? Plùs, pro tali Christus habitus, *in nomine Belzebub* dictus, dæmonia ejicere. 8. An ut pro turbarum authore habear homicida, seditioso? Plus: Quia tali Barabbæ Christus postpositus. 9. An ut pro prædone, scelerato, cujus mors ne ad horam differenda? Plùs. Pro tali Christus habitus, & insuper ut summus sceleratorum, in medio eorum affixus. 10. An ut via publica, quam omnes tenent, calcant? Plùs. Christus de se, *ego sum*, dicit, *via*, ego sum *veritas*, quæ omnibus exosa, ego sum *vita* cœlestis, quæ multis derisui. 11. An, ut quoddam publicũ scandalum? An ut quædam publica insania? Plùs. Paulus dicit de Christo. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam.* 12. D. Bonav. de perf. vitæ c. 16. ait, De Christo. *Erat non solùm*

servus servorum Dei, sad servus servorum diaboli, factus serviens, infima peccatorum peccata expurgando.

PUNCTUM II.

CErtè profundiùs me abjicere debeo, quàm aliquis sanctus, quia maiores causas habeo. 1. Ergo ad pedes Luciferi. O misera, misera mea humilitas! imò grandis superbia! ibi se multi sancti ponebant. 2. An me reputabo maledictionem meram? Sed hoc Paulus mihi præripuit, & quantus Paulus! *optabam fieri anathema pro fratribus meis.* 3. An purgamentum aliquod? Paulus de se, & Apostolis dicit: *Nos sumus purgamenta huius mundi.* 4. An ut peripsema, nempe quisquiliæ, nempe lutum, quod calceo adhæserat, & inde rejectum? Hoc Paulus. 5. An ut mancipium, & *ecce* B. V. *ancilla.* 6. An infra dæmones? Sed & hoc fecerunt Sancti, ideoq; aliqui pri-

primum præ se locum dæmonibus concedebant. 7. An ut cadaver patibularij, quod omnes horreant, nemo videre sine nausea sustineat? Ecce Paulus. *Ego crucifixus mundo*. 8. An ut maximus peccatorum? At ecce Paulus, *primus peccatorum*. 9. An ut diabolus, sed Petrum ob leve delictum Christus talem appellavit: Mea, & gravia, & innumera sunt scelera. 10. An ut monstrum aliquod fustuarius nebulo? sed se Franciscus veluti talem per forum circumduci, jussit, conculcari: Dominicus cædi, Ignatius nisi saluti animarum aliquod ex eo impedimentum oriturum advertisset, cornibus affixis onustus, seminudus &c. per Romã incedere volebat.

PUNCTUM III.

CErtè magis quàm Angeli. 1. Angeli tanquam vilissima mancipia etiam perditissimis hominibus assistunt,

stunt, ab illis non recedunt, ad locos obiectissimos sequuntur. 2. Angeli tam nobiles spiritus, etiam vi-corum, etiam boum, murium, florum, & omnium vilissimarum Creaturarum custodes esse non dedignātur. 3. Quamvis toties à pessimis hominibus repellantur, non cessant instinctus suggerere, ianuam pulsare, cor movere, quamvis fortè mallent ardere in inferno, quam adesse peccanti. 4. Angelus custos assistit, etiamsi eius cliens in facinore est, in ebritate est. 5. Ab homine, qui est longè eô minor, venerationem non admisit, & nullô officiô præveniri voluit, ita S. Ioanni adoraturo dixit: *Vide ne id feceris conservus enim tuus sum*. 6. Communes servi sunt Angeli, unde & *administratorii spiritus* vocantur. 7. Etiam aspici à DEO indignos se reputant, & hoc Cherubim, quid alij inferiores? Cherubim alis, pedes, corpus velant. 8.
Rusti-

Rusticos labores, pro S. Isidoro Angelus subibat. 9 Homines, Angeli venerati, coluerunt, quod tam est magnum, imò maiùs, quàm si homines infra boves se abiicerent, & eos colerent. 10. Ab homine vinci sîverunt, sic à S. Iacobo Patriarcha.

PUNCTUM IV.

ET tamen quid habes homo tuum, nisi peccatum? quid superbis de alieno, & quidem de eo, de quo gravissimam rationem redditurus? Sicut si equum laudes, quia aurea habet fræna, cæterà est claudus, vel arborem, quia sericeâ veste tecta, sed est sterilis. 2. Et tamen si humilitatem non habes, spiritu Dei non ageris. S. Teressia cap. 5, Vitæ. Vocat eam Spiritum Dei. Hier. epist. ad Cesiphontem a.c. *Hæc una præsentis vitæ perfectio ut te imperfectum agnoscas.* 3. Scelerati erant Iudæi,

dæi, & tamen eorum pestem qua absumpta 70. millia, non illorum peccatis, sed suo levi David adscribit. Magdalena de Pazzis, ob sua levissima totum mundum perire; Dominicus se flagellum Dei, per quod civitates puniuntur judicat. Non superbiæ Nabuchodonosoris, sed suis peccatis attribuunt, pœnam incendij Babilonicæ fornacis tres pueri: Sanctus Paulus tantus vir, & in ea ætate, ad confusionem sui tentationes carnis fatetur; sed tu hunc spiritum non habes, & supra omnes extolleris! O superbiam sufficientem quâ cœlũ universum rubore suffundat, quæ totum orbem terrarum indignatione concutiat! O superbia digna, ad quã puniendam omnia coniurent elementa! S. Ignatius M. epist. ad Ephes. se vocat *novissimum fidelium*, & ad Ro. *abortivum*. S. Ephrem quẽ S. Basil. summè facit. S. Nysenus S. Paulo comparat, ait Cap. de timore

ani-

animi. *Ego ignavus, ac piger peccator &c. vos me peccatorem, & impium à morte culpæ, & æternæ pœnæ liberate.* Et Serm. de Beatit. *Ego autem miser, meiq; similes ignavi, formâ quidem ac habitu, pii religiosiq; sumus, sed re ipsâ pietatem, ac religionem exuimus.* S. Greg. in lib. 1. epist. 24. *Valde pertimesco, ne commissa mihi plebs fidelium, mei reatûs additamento, pereat, cuius nunc usq; delicta Dominus æquanimis tolerabat:* Et quod verè ita sentiret, scribit Mauritio Imperatori, 4. Epist. 51. *Credo quia omnipotentem dominum, tantò vobis ampliùs placetis, quantò me, ei malè servientem districtiùs affligitis.* S. Abbas Messenius, cùm senex perdidisset nummum, ille vendito pallio, nummoq; acquisito se eum furatum seni dixit. In prato Spirit. cap. 116. S. Apollonius ut Ruff. l. 3. *Hædi iniusti sunt, inter quos ego peccator.* S. Clara de monte Falco 2. p. vitæ cap. 27. *O sorores! si me cognosceretis, potiùs*

me

me abominaremini, *non enim sum talis uti putatis*, *sed fæmina confusione plena*, *& omnium pessima.* S. Ignatius apud Ribad. l. 5. c. 3. *Ego sterquilinium*, *& detestabilis omninò sum.* S. Magdalena de Pazzis vitæ c. 92, abhorrebat à se ipsa, tanquàm à re, supra opinionem omnium abominandâ, & execrandâ, & vilissima &c. terrã quâ incesserunt sorores, osculabatur. S. Franciscus vitæ c. 6. *Videor mihi esse maximus peccator* ibid. In concionibus, suos dicebat defectus. Baron. an. 314. S. Ambrosius meretrices domum adduci curavit, ne in Episcopum eligeretur. S. Basil. ut ait Cassianus l. 6. Instit. 19 *Virgo non sum*, ipsemet epist. 6. *mundiciæ virginalis florem arcanâ cordis cogitatione fædavi.* Idem S. Hieron. epist. 43. c. 1. B. Angela de Fuliginio c. 19. hypocrisim, fraudes sibi adscribit. Domum se diaboli, & operatricem, & credulam dæmoniorum, filiam super-
biæ,

biæ, abominationem Dei, homicidam multarum animarum. S. Philipp. Nerius in area templi ubi erat summus concursus saltavit vitæ l. 2. c. 18. indutus pelliceo inverso: Ad prandium à Cardinali invitatus secum ollam cum lentibus tulit; dimidio barbæ abrasæ incessit. Isaias propheta nudus coram omni populo, S. Greg. Mag. *se indoctum* vocat. S. Teressa, *sceleratam*: in quatuor pedibus reptavit ad refectorium, saxo onusta, laqueo collo iniecto. Ribera in eius vita l. 4. c. 16. & c. 26. ipsa dicit. *Planè mihi persvadeo, nullum, me in mundo per omnia deteriorem, dari posse, aliorum virtutes, maioris multò esse meriti, meq; nonnisi favoribus cumulari.* Ibid. se vocat *mundi propudium, & vilissimum peripsema, omnibus in meliùs proficientibus, ipsa ad nihil penitùs sum utilis, & est profectò hoc non humilitas, sed purissima veritas*

quod-

quodque me adeò inutilem videam non nunquam timeo ne ab hoste illudar tartareo, Ibid. *iniquitatum, & malitiarum plena fui.* Ita se humiliârunt Sancti, quis nobis locus superest:

SOLILOQVIUM TRIGESIMUN SECUNDUM.

An sim humilis?

PUNCTUM II.

QVi est humilis reputat omnes se meliores, an tu reputas? 1. Quem *reputas meliorem* te, digniorem, illi cum summa alacritate inservis, an tu cuiq; sicut Regi alicui quantùm decus patitur? 2. Non respicit sua commoda, nec se censet perturbari ab alijs, sicut si Rex à negotijs avocet puerum, an tu libenter pro alio somno te, & mensâ proriperes, & ludum relinqueres ad mini-

minimum nutum illius? 3. Si is, quẽ meliorem reputat, veſte meliori, cibo, dignitate utatur, minimè invidet, an tu ſic? 4. Meliori cedit loco, in ſermone, ſi is incipiat loqui etiamſi vilia, libenter auſcultat, ſilet, an tu? 5. Libenter ſe cibo bono privat, ut meliori apponat: an tu? 6. Quiſq; ſua facta vult excuſari, in meliorem partem interpretari, multò magis illius, quem ſe meliorem reputat, itane tu cum alienis factis agis? Nuſquam illis offenderis? 7. Etiamſi dignior, aliquo verbo perſtringat, qui eſt vilior, acceptat non conqueritur. An tu? 8. Nunquam contra digniorem allegat, ſe eſſe illi parem, aut meliorem. An tu, ſi offendaris ab aliquo? 9. An ita inter alios agit; ſicut ſervus minimus inter Dominos. Si laudetur talis ſervus putát ſe irrideri, ſi contemnatur nihil apprehendit, ſi tundatur nihil ſibi indignum accidis-

disse queritur. 10. Probro sibi ducit, si aliquid melius habeat, quàm digniores, in vestitu, in victu, & si habet, illud abscondit præ pudore, ne ullus advertat. 11. Si eius rebus, eo etiam nesciente utantur Domini, pro fortuna reputat, si accipiant, non turbatur. 12. Quid quereris? si aliter te nihil scire reputet, corrigat, contemnat, carpat, si illum, tè doctiorem, sanctiorem reputas? 13. Quid quod tibi vile officium contingat, plùs laboris, minùs officij, quereris? Utriq; omnibus te viliorem ducis.

PUNCTUM II.

HUmilis reputat se nullô bonô dignum, & omni malo dignissimum. 1. An tam amanter accepta irrisiones, convitia, contumelias, & cum tali gustu, sicut ambitiosus honores, quia se illis reputat di-

dignum. 2. An si aliquid accidat adversi, res succedat malè, ita sis contentus, sicut rusticus, quòd non sit Rex aut Cæsar, quia se iudicat indignum eo honore. 3. An ita horreas ad laudes tuas, & rideas illas, sicut si rustico dicatur, quòd factus sit Rex aut Cæsar, quia se iudicat indignum. 4. An cum desiderio expectes, ut te alij contemnant, irrideant, tibi obloquantur, sicut expectat miles præmium, & pro illo, ut assequatur inquietè contendit, quia eo se dignum censet. 5. An ita gratias agis DEO pro minimo beneficio, & cum tanto gaudio suscipis Eucharistiam &c. Orationem, Monitiones, sicut si nummus imperialis detur mendico, quia eo se indignum reputat. 6. An si tibi in mentem veniat te esse bonum, sanctum, pium, ita rideas, sicuti si mendico in mentem veniat quòd sit Rex, aut Cæsar. 7. An ita non occultes tuas

res, ex quibus possis confundi, sicut mendici suam paupertatem & ulcera, quia se agnoscunt miseros, pauperes, ut eos alij juvent. 8. An cuique ita paratus es cedere, sicut mendicus iacens in luto cuiq; Regum, quia est nullo dignus honore. 9. An ita si quis te laudet reputas? ac si quis Doctoris Theol: sutori det titulum, quia se indignum illo reputat. 10. An ita vestem meliorem, in lecto commoditatem, in compellatione titulos, in incessu primatū respuas, sicut si quis eum, qui ad patibulum ducitur appellaret Serenissimum, Invictissimum.

PUNCTUM III.

HUmilis, se vilissimum creaturarum reputat. 1 An ita non quereris? si luto, sordibus aspergeris sicut angulus in domo vilissimus. 2. Si nullus te vellet alloqui, con-

convenire, ſicut locum, quem, præ fœtore nemo adit. 3. An, ſi quis in tota domo meliùs in minima re, in libertate, in victu &c. habeat, non turberis; ſicut non turbatur infimus culinarius? 4. An ita cõtẽtus, ſi noctu exciteris, in loco pluvioſo iaceas, ſicut viliſſimus domeſticorum ſervorum. 5. An ita putes alios te doctiores, ſapientiores, meliùs diſcurrentes, ſicut unus puer? *niſi efficiamini* &c. 6. An ita tua facta non excuſes, non defendas? ſicut viliſſimus ſervus, coram Domino, qui nec os audet aperire. 7. An, ſi iubereris cubiculum verrere, loca lavare, culinaria vaſa, ita promptè exequereris? ſicut ultimus lixa. 8. An ita libenter omni te ſpoliari, omnia tua patere (ſi opus eſſet) oculis ſociorum velles, ſicut puer. 9. An ſi nulla tui memoria eſſet, alij celebrentur, laudentur, honorentur, contentus eſſes.

PUNCTUM IV.

QUid de alijs titulis? quàm verè eos dicimus; quâm coram Deo ludimus? cùm peiores nos dæmonibus, Iudâ, &c. appellamus. Quodsi non es humilis, certò certiùs aut castitatis, aut fidei periculum expecta. Quia ut Aug. serm. 53. de verbis domi: *Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere.* Idem 14. Civit. 23. *Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant*, illis Psal. 87. precatur. *Imple facies eorum ignominiâ & quærent te:* Quod Castitatem attinet: August. 1. Civ. 28 ait, ideò Virgines Christianas Romanas, aliasq; permissas, à Gothis, & alijs Barbaris violari, quia superbiverunt de virginitate, vel ne superbirent. Rupert. illa Apoc. 3. *Vtinam frigidus*

dus, aut calidus esses &c. sic explicat *utinam esses corrupta potiùs & humilis, quàm Virgo.* Imò ipse Paulus vas electionis permissus pati tentationes carnis, ne eum magnitudo revelationum extolleret. 2. In fide superbi periclitantur, sicuti S. Petrus, qui non habent fidem, nunquam ad illã veniant. Ita Ioan. 5. Pharisæis Christus. *Quomodo poteritis credere, qui gloriam ab invicem accipitis.* 3. Imò in omnia peccata permittitur superbus labi. Scriptura ait. *Initium peccati superbia.* Et Proverb. 16. *ante ruinam exaltatur spiritus*, imò fortè in peccato mortali occulto est. S. Teressa apud Riberam lib. 4. vitæ c. 16. *Intelligere se non posse dicebat, quomodo sine humilitate amor Dei haberi possit.* 4. Sed tu veluti pluma quia vacua; ideo volitas, & ideò fortè superbum Nabuchodonosoré scriptura vocat. *Aquilam grandem magnarum alarum*, tinge plumas tuas aqua lacrymarum pœ-

nitentiæ, & non volabunt, tinge lutô peccatorum, & non attollentur ventô quovis: accede per confessionem ad Deum, qui est ignis cõsumens, & ex hac pluma, nihil manebit, nisi fœtor, sed quia vilitas nondum accessisti, nòn agnoscis quantùm Deo debes, & quantò ille, ob suam excellentiam dignus. Vacuæ aristæ in altum eriguntur, plenæ deprimuntur &c. 5. Si es superbus, non potes habere judicium tale in spiritualibus, quale habent sæculares, mundus, & caro in suis rebus. Miserum se iudicat, cui unus dens dolet, etsi totum corpus sanum sit, nec sanitatem attendit, quæ est in pluribus membris, sed malum quod est in uno: non audet in veste comparere etiam aurea, si calcei desint, at quotam illi partem corporis tegunt? ita unus defectus, totum reddit vitiosum, non vis habitare domum etsi optimam, si solùm fenestris

ſtris aut ianuis careat. Diſce ab ira-
cundis; ſi lædantur, non attendunt be-
neficia quæ ante, etſi plurima, ac-
ceperint, ſed ſolùm iniuriam: a-
vari, non quod habent, ſed quod il-
lis deeſt, conſiderant: item invidi:
& ſic exardeſcunt, ac ſi nihil habe-
rent, ſaltem te, horum modô in ſpi-
ritu geras. 6. Sicut ſine fundamento,
poteſt dicere ſe aliquid habere ædifi-
cij. At ut S. Cypr. ſerm. de Nativ.
Humilitas eſt fundamentum ſanctitatis.
Chryſoſt. hom. 31. in Gen. *Etſi quis
innumera bona fecerit virtutemq; omnē
abſolverit, ſi tamen magnum quid, de ſe
ſentit, maximè eſt omnium miſerabilis,
& miſer.* 7. Prædeſtinatos ipſos, &
quos elegit Deus ad gloriam, ſi de
ſe aliquantùm præſumant, in gravíſ-
ſima ſcelera, uti eſt abnegatio fidei,
aut idololatria, labi permittit; ut ſic
ſe humilient. Cypr. de dupl. Mar-
tyr. *Quosdam electos, interdum patitur
in tormentis deficere, ut agnoſcant im-*
becil-

becilli atem suam, a'q; eosdem, post, fortissimos reddit in cert mine. 8. Dat illos in exemplum orbi, ut in jis intelligat, & perhorrescat opera Dei. Psal. 63. *Accedet homo* (per superbiam) *ad cor altum, & exaltabitur* (recedendo ab illo) *Deus* (& permittit illum in minimis tentationibus succubiturum) *sagittæ parvulorum, factæ sunt plagæ eorum* (& stulta incipient loqui) *& infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum* (& cùm in scelera publica labentur, aut contumelias) *conturbati sunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo, & annunciaverunt opera Dei* (ubi patet facta est supetbia eorum occulta) *& facta eius intellexerunt.*

PUNCTUM V.

ATque ita si es humilis, debes te credere, omnibus rebus viliorem, uti luto. 2. Maiorem peccatorem

dæ;

dæmonibus, unde magis contemptibilem, & cui magis maledicant homines, quàm illis; magis oderint. 3. Omnem honorem fugere, ut rem, quasi contra rationem fiat, si tibi conferatur. 4. Omnes occasiones confusionis, & contemptûs quærit, qui eô se dignum iudicat, sicut mercenarius, præmiô, quia peccavit, peccati stipendium omne malum. 6. Aliorum iudicium, etiam rudiorum, suo præfert, omnia facta excusat etiam pessima, sua damnat; quia omnes meliùs credit agere, quã se. 7. Oblocutionibus & lingvis humanis plenè pascitur liberis; & ampliùs, sicut cibum suavissimum desiderat, nec satiari potest. 8. Si aliquod Deus beneficium conferat, aut lumen, aut consolationem in oratione obstupescit. *Vnde hoc mihi ut Dominus meus veniat ad me? Respexit vilitatem ancillæ suæ.* 9. Seipsum, ut Dei hostem, odit, ut rem pessimam,

contemptim tractat, unde si duæ a-ctiones occurant, eligit eam, quæ plùs affligit. 10. Quia credit, se, nihil ex se posse, non plùs, quàm sine lumine videre noctu, infans sine matre: ideo ad minimas occasiones Deum invocat, & sine invocatione non incipit. 11. Quia se indignum omnibus æstimat pro minimo beneficio Dei, agit gratias, uti pro maximo: sicut si mendico des nummos aliquot, maximè ei, qui scit, quòd te offenderit: unde nec obolum à te expectabat; 12. Esurit convitia, exultat in opprobrijs & contumelijs, derisionibus & infamijs, uti ait Laur. Iustin. de humilitate. 13. Toti mũdo, sua publicari peccata optat. 14. Imò ipse patefacit, uti S. August. l. S. Hieron. & Basilius in suis scriptis. 15. Longè graviùs est illi, bona sua, etsi ut à Deo accepta dicere, quàm scelera ipsa, 16. Vix audet orare, vix libros in manus sumere in

qui-

quibus de altiore perfectione tractatur, tanquám se longè altiores, 17. Orat, ut, qui de se altè sentit, eidem Deus sua revelet peccata, ut mutet de se opinionem. 18. Si ad speciosam legationem, aut munus mittatur, tristatur. 19. Nec vitam optat longiorem, se eâ sciens abuti. 20. Miratur eos, qui putant à se aliquid boni factum, quod ita fallantur. 21. Frequenter Deo agit gratias, quòd in infernum non sit deiectus. 22. Nunquam visiones petit. 23. Vilissimis laboribus, & obsequijs oblectatur, & in ijs voluptatem ponit, 24. Sed quosdam notat Aug. lib. 2. serm. in monte cap. 12. *Cavendos sub ovina pelle lupos, Dominus esse praecepit, sed ex fructibus* inquit *eorum cognoscetis eos, cùm enim cœperint aliquibus tentationibus, ea ipsa* (quibus se indignos jactabant) *subtrahi, vel negari, tunc necesse est ut appareat, utrũ lupus in ovina pelle, an ovis sit in sua.*

SOLILOQVIUM TRIGESIMUM TERTIUM.

Causæ nos humiliandi.

PUNCTUM I.

SI non ſentimus de nobis abiectiſſimè, procul abſumus à vera ſanctitate & ſpiritu, quo omnes prorſus Sancti regebantur. 2. Procul abſumus à cognitione Dei, imò minimè illi adhæremus. S. Dor. ſer. 2. *Viri Sancti, quantò magis adhærent Deo, & illi prorſus accedunt, tantò ſe magis peccatores agnoſcunt, & deteriores;* (ſicut unus pauper, quo ad ditiores & ditiores accedit. 3. Meliores nos omnibus Sanctis reputamus, illi omnia de ſe abiectiſſima ſenſerunt; nos alta. Neq; errabant in hoc, quia partim doctiſſimi, partim fuerunt illuminatiſſimi. 4. Si Rex ſederet infra omnes, an tu altiùs velles?

les? 5. Hæc eſt unica Regula & probatio veræ ſanctitatis. *Nihil profeciſti, ſi te non viliorem omnibus reputas.* Ita Th. à Kemp. 6. Meliorem te facis Chriſto, qui in Euchariſtia ab impijs ſumendus, ad quæ non abijcit ſeſe! 7 Meliorem B. Virgine. Hæc in illo conſeſſu, quando cẽtum & viginti expectabant adventũ Spiritûs S. ultimô locô nominatur. Quia iuxta Bern. *infra viduas & pænitentes, infra eam* (Magdalenam publicam peccatricem) *de qua eiecta fuerunt ſeptem dæmonia, ineffabili e manſvetudine inclinavit.* 8. Meliorem Angelis, qui tamen nunquam peccârunt. Hi & peſſimis ſerviunt, & non audent pedes Dei intueri, id eſt, ſummè ſe abijciunt. 9. Inde eſt totum, quia minimè noſtram miſeriam advertimus, & Dei excellentiam. 10. Si inter digniores conſideas, inferiorum locum affectas, quare hic ab urbanitate deficis.

PUNCTUM II.

EX Radero in viridario de simpl. c. 5. Quia *unus* Frater prætulit se alteri, putando se meliùs quid, illô fecisse, Angeli conspectu, per 49. annos, qui erat illi quotidianus, privatus, & per 49. annos, in columna perdius, ac pernox, cum lamentis, ab Angelo stare iussus, & Fratris aspectu ad mortem privari. Insuper in his 49. annis gravissimè à dæmone afflictus. Ecce quomodo Dei judiciô ûnica superbiola vapulat! 2. Pharisæus habebat causas gloriandi, & ecce! 3. Multi Sancti Eremitæ, si cogitârunt de sua virtute, postpositi sæcularibus; ut Antonius Coriario, alter mercatori &c. 4. David quia ex iactantia numerari iussit populum 70. millia amisit. Ezech: quia thesauros Babylonijs legatis ostentavit, omnia perdidit. 5. S. Clara

de

de monte Falco ob aliquem vanum affectum per 15. annos, desolationes passa. S. Catharina Bononiens: quia se iudicavit posse discernere revelationes veras, per 5. annos illusionibus dæmonis pulsata. 6. Quid tu expectas pro tuis immanibus superbijs? saltem metu, ut servus pessimus, ut Achab, te humilia, si non amore virtutis. Vel si te reputas humilem id est maximum peccatorem, cur te alijs peccantibus præfers? æstimas? laudes audis?

PUNCTUM III.

COgita quempiam, qui omnes homines, omnibus, quæ dæmon potest excogitare, tormentis affecit, ex Angelis dæmones fecit, Sanctos de cœlo in infernum deiecit, eundem ipsum, ceu reum iudicandum corã illis sisti, an non confundetur? quomodo oculos attollet? en talis es, talis

talis es si semel peccâsti. Imò plùs mali fecisti, iste iniuriâs creaturis, tu Creatori, qui infinitè melior, fecisti; imò ut peccatum veniale vitares, si aliter non posses, hoc potiùs facere deberes: imò & Creatori & creaturis iniuriam fecisti, quia offensa Patris redundat in Filium, Magistri in discipulos, &c. Nec ideo tua minor confusio, quia plures, maiora mala fecerunt; sicut nec ideo minùs confunditur, qui ducitur à carnifice, etsi plures cum eo ducantur. Et talis cœlum audes respicere? non mirêre itaq; quòd Sancti tam abiectè de se senserint! Plùs & plùs infinities mali fecisti. Adhuc tibi honorem facerent, si te aspicere creaturæ dignarentur. 2. Ob Achan peccatum, totus Israel vapulavit, & tamen Cypr. de dupl. Martyr. ait. *Nihil erat magni, quod suffuratus erat Achan.* Vel si hoc ipsum non agnoscis, eò te magis miserum agnosce de-

dementem insanum utpote tantam miseriam videntem. 3. Tu es qui Christo sudorem in horto expressisti, tu qui crucifixisti, &c. Imò peiùs fecisti; mallet hoc Christus millies pati, quàm tuum peccatum. Es Dei hostis, violator, Deicida, contemptor, tui aspectu emoritur, & fit in agonia: en eligit Deus mori, quã te aspicere, & erit aliquid quod tuam vilitatem excedat? 4. Creaturæ omnes tam fœdè destrui eligunt, ne tu pecces, elegit DEUS mori, & tamen tu peccas. O DEUS immortalis! quæ mea dementia! nonne me infra omnem abyssum abjicere debeo? invenisne miser locum non infra omnes creaturas? Contemptibilior es factus, quã ullus te satis contemnere possit. Quidquid est vilitatis in rebus, infinitè ferè à tua vilitate distat. Potes itaq; verè & sine errore te pessimum dicere. Multi docent peccatum, omnem possibilem contemptũ

me-

mereri, 6. Et tu insuper neq; hoc ipsum animadvertis! à superbis disce: ut se extollant, non cogitant alios se meliores, sed suas excellentias intuentur; tua vitia, peccata considera, ut te humilies, non bona tua, non mala aliena, ab his oculos averte, ut superbi ab ijs, quæ illos humiliarent, etiamsi ea plurima & longè plura sint, & una tantum excellentiola. Stultior itaq; es ipsis stultis, seu superbis. Non ita Paulus Philip. 3. *Obliviscens quæ retro sunt* (bona) *ad priora* (peccata) *extendens.* 6. Cherubin, velant faciem, & pedes alis, quasi erubescentes, quòd non satis ament. Et tu!

PUNCTUM IV.

HAbes adhuc, unde tu alijs te postponas. 1. Vide virtutes eorum: 2. Ausculta, fortè ad Martyrium paratissimi, rerum contemptores:

tu, si quid boni in te, non à virtute, sed à naturæ bonitate procedit: in illis, si quid displicet, naturæ defectûs non virtutis est, & sic alios superiores ut repules habes. Unde 2. Sed ais, forté ea bona, quæ occulta sunt, in ijs non sunt. Et hic est humilitatis discursus! Non videt illa, quæ mala in alijs, & ex uno bono iudicat totum. Non videt in se bonum, & ex parte, quam videt, id est, uno malo, totum malum censet, ut statuæ aureæ si tibi ostendatur pes fictilis, corpus aureum tegatur, fictilem iudicas. 3. Tua te mala, si sensum non amisisti, etiam levia graviùs affligere debent, quàm aliena, plùs tuus capitis dolor quàm aliena febris, aut crurifragium, &c. Et putas nemini plùs dolere. Perit tibi aureus, alteri mille; putas te infeliciorem. An ita Sancti sua levia atrocissimè deplorarunt. Sic Salomō (si resipuit ut putant multi) dolēs

ait: *Stultissimus sum virorum*. Aug. Prol. lib. de vita Christiana. *Insipientior ego cæteris, imperitior universis, peccator primus & ultimus*. Cypr. Car. oper. Christi initio. *Nos, qui vix intelligimus quæ ab illis* (id est doctis viris.) *Scripta sunt, sensu & eloquentiâ illis omninò impares*. Sed tibi placet tua bona videre, & quia tua sunt, bona agnoscere, præripiente voluntatem amore proprio, peccata verò, quasi aliena cogitas. 4. Nihil habes à te, quo, te, minimo præferas, habes, quo postponas. Virtutes, dotes, gratia Dei, electio, vocatio, bona opera: at hæc Dei sunt, nec nihilum permittit, ut ex his laudis pro te, surripias illi. Plùs beneficiorum & misericordiæ accepisti, hoc te non meliorem sed obligatiorem facit; sicut latronem, cui graviora parcuntur, maiora donantur: at alij non tenentur ad tantam gratitudinem: tu tamen insuper peccas.

Peius

Peiùs facis, quàm summi peccatores. Depositum habes, & superbis! obligaris, & triumphas! alijs te ditiorem reputas! non tuum est, quod tibi creditum, statim recipi potest.
5. Non commisisti gravia peccata? hoc ipsum donum Dei, in omnia rueres, nisi Deus teneret. S. Philip. Nereus. *Vulnus lateris Christi magnum est, nisi me Deus teneret, maius infligerem.* Non permittit occasiones, retrahit ne consentias, Aug. 2. Conf. 7. *Tuæ gratiæ, quæcunq; non feci mala,* & tu pro hoc ingratitudinem adiungis. Regredere ad cor tuum, dic cũ Francisco: *Mea mala & mea sunt, & pura sunt, Mea bona nec mea sunt, nec pura sunt.* Ex omnibus creaturis habet Deus solatium, ego solus ordinem turbo: alia omnia, sicut ordinâsti, pergunt. O anima mea peribis, nisi abundaverit justitia tua, plùs, quàm scribarum & Pharisæorũ Hier. in 23. Matth. *Quicunq; ita fa-*

cit quodlibet, ut videatur ab hominibus, scriba est & Pharisæus. En una vana gloria qu orsum ducat? sed nec Deo gloria est, si quis non agnoscat, se miserum, vilem, &c. & non pro tali se gerat, si ei auxilia & gratias cõferat; sicut nulla gloria est iuvare illum, qui se non dicit egere auxiliô tuô, nec se gerit pro tali. Deus autem omnia facit propter suam gloriam, ideoq; tantùm deserit, quantùm quis superbit, tantùm iuvat, quantùm se quis humiliat.

SOLILOQVIUM TRIGESIMUM QVARTUM.

An non obstent mihi virtutes meæ, ne me peiorem aliis iudicem, omnibus, etiam dæmonibus.

PUNCTUM I.

QVosdam peccatores quos videmus maximos, Deus facturus

est

est magnos Sanctos. Ita S. Antoninus quendam colebat, quia erat futurus Martyr. Alios, Deus benè agentes, quia tamen non ità ferventer, ut par, Deo serviunt, rejicit, & in extrema scelera labi sinit. Sic Rom. 1 antiquos Philosophos. Sic Apoc. 2. S. Timotheo minatus, sic Iob. 34. ait *innumerabiles* perire: sic S. Teressia erat peritura. Item ex filijs Adæ Cain reiectus, electus Seth: ex filijs Noë reiectus Cham, electus Sem, ex filijs Abrahæ Isaac electus, reiectus Ismael. Ex filijs Isaac electus Iacob, reiectus Esau. Reiectus Saul, pro illo assumptus David, pro Iuda Matthias, pro Tertulliano Cyprianus; pro Origene Cyrillus, pro Ruffino Hieronymus, pro Pelagio Augustinus: & tamen illi maiores virtutes habebant quàm tu? 2. S. Paulus timebat ne reprobus efficeretur. 3. Deus agit Rom. 9. ut figulus, ex eadem argilla, aliud vas in hono-

rem,

rem, aliud in contumeliam facit, & ubi formavit in honorem, potest reformare ut sit in contumeliam. 4. Ergo tu, etsi esses tam Sanctus ac S. Paulus, ardere in æternum potes, & tam facilè; & alter etsi peior Magdalenâ, in æternum esse beatus! & nemo te certiorem fecit, quid fiet? certum tamen quôd sæpe similia facta. 5. Aug. 9. Confess. 31. ait Deo: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam:* certissimò discutiet, si minimùm superbiêris. Quia *DEVS superbis resistit.* 6. Nos apud Deum, Sap. 11. & totus mundus est, ut *guttula aquæ*, tam res parva: sicut ergo in familia, si unus fur, aut latro inveniatur, redundat in omnes; etiam in oculis Dei, quæcunq; peccata, alij faciunt in mundo, in te redundat probrum certô modò, sicut partis unius in alias partes: sic quia Achan fur erat, toti Israeli Deus dixit. *Non ero ultra*

vobi

vobiscum. Sicut cum infamibus nemo vult agere. Toti Israeli peccatum imputavit: ait enim: *Peccavit Israel & prævaricatus est pactum meum.* Imò ipse Christus quia factus homo est 1. Petri 2. *peccata nostra pertulit in suo corpore*: Et propter hoc ita punitus à DEO & *opprobrium factus*. Quid de nobis? 7. Sed profer tua opera. An non sicut *pannus menstruatæ*? Estne vel unum sine imperfectione, sicut si cui dares munus, v. g. pomum, luto infectum: scisne te esse in gratia? si non es, iam omnia nihil valent. Iob ait: *verebar omnia opera mea*; & quantus ille Iob? Insuper, si te attollis, & superbis, in puncto omnia amittis ut Pharisæus. 8. Magnus tuus amor erga Deum! Iudæi si audirent blasphemiam, scindebant vestem præ indignatione & dolore: & tamen *nisi abundaverit iustitia nostra, plùs, quàm scribarum &c. non intrabimus in regnum cælorum*:

Si

Si Filius Dei es, quomodo tibi cor nō dolet, cùm vides tam indignè Patrem tractari? sed nec es Filius Dei, Tygris proles condolet, si mater ei lædatur, condolet leonculus: & tu omni bestiâ ignavior, & tamen superbis? & hoc nos minimè movet? 9. Lege hic & vide, quam virtutem habes, amorem Dei, patientiam, humilitatem &c. fervorem in servitio? &c. ut habeas materiam superbiendi. 10 Pro formæ suæ commendatione, an non plùs faciunt meretrices, quàm tu pro cœlo? quod S. Nonno viro sancto, lacrymas elicuit. Remittit Ierem. 2. Deus ad Gentiles, ut videamus quantò illi diligentiores in idolis colendis. *Transite ad Insulas Cethim, & in Cedai mittite, & considerate vehementer si factum est huiusmodi.* Alexandri puer manum exuri passus ne in sacrificio idoli minimùm turbaret. Quot Eremiticam egerunt pro idolis? In la-

ponia

ponia 140. millies nomen Amidæ idoli fœmina in diem. repetebat. Suntq; illorum idola cultu digniora? Et quot Deos putârunt tanto cultu dignos iudicârunt. Verè *filii huius sæculi prudentiores sunt in generationibus suis filiis lucis.* Quantũ alij ut se vindicent, etiam per ignes ruunt. Quantâ præparatione si Regem allocuturus! publicè dicturus! Respice deniq; canes quantò diligentiùs dominis suis serviunt, quàm tu Deo, & tamen superbis? O impudentia, execrabilis impudentia! 11. Quò maior quis servus Dei, magis dolet de minimis peccatis, at tu quomodo? Magd. de Pazzis 1. p. c. 13. vitæ. De uno minimo defectu ita confusa, *video me non mereri misericordiam Dei, sed potiùs mille infernos, si me mittes ad infernum Deus meus ut merear, iustè me poteris mittere infra Iudam quia te adeò offendi, &c.*

PUNCTUM II.

AN etiam dæmonibus? 1. Ante dæmones neminem DEUS pœna inferni punivit, nec tot auxilia, conciones &c. habuerunt quando peccârunt. ut tu. 2. Illi semel tu quoties? 3. Illis nunquam remissum. & tu rursus & rursus peccas. 4. Brevissimum tempus viæ habuerunt, ideoq; non diu peccata traxerunt, nec per horam, at tu! 5. Vnius speciei peccatum illi, id est superbiæ, tu diversa. Potest dici de te! *Væ tibi Corosaim*, &c. Luc. 10. Si enim hæ gratiæ fuissent factæ dæmoni, *remissius erit in die illa Sodomis* & fortè etiam dæmonibus. 6. Non confixerunt Filium Dei, non rursus & rursus. 7. Nos tentati, sed & dæmones à Lucifero omnes inducti. Et gratiam insuper resurgendi non habuerunt, nemo illorum fuit electus

in

in sponsam sed solum in famulam. At Deus accepit sponsam humanitatem & nos veluti rebelles rustici consangvinei illius, quæ non facimus.

PUNCTUM III.

QVòd si te vilem reputas? 1. Non magis te ab alijs æstimari velis ut nec rem quæ valet unci aureo. 2. Si te maximum peccatorem reputas, maximam age pœnitentiam sicut sancti. 3. Omni te pœnâ, odio, contumeliâ dignum iudicas. Quare fugis ea? 4. Si omnes meliores reputas, quare ut meliores, omni honore obsequio non prævenis? Hæccine veritas est? *Veros adoratores Dei oportet in spiritu & veritate adorare, qui mendax est, ex patre diabolo est.* 5. Ad rem contemnendam sufficit ut unus sit defectus, ad te humiliandum si una desit virtus, corpore tota spōsa formosa sit, solùm desit nasus, o-

mnes eam contemnent: Sit pius, devotus, idoneus, &c. servus, solùm furax, omnes eum contemnent: si optimus artifex vestem optimè conficiat, solùm in uno erret, damnabis eius operam, & sic in omnibus. Totam rei perfectionem ob unum defectum despicis: in solo te iudicium aliud habes. 6. S. Cypr. epist. 3. *Exaltatio & inflatio & arrogans ac superba iactatio non de Christi magisterio qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur, unde & parem talibus pœnam scriptura comminatur.* 7. Aliquibus Deus maiora parcit peccata, aliquibus non parcit minora, etiam ad plurimorum Sanctorum intercessiones. 8 Multi qui bene vixerunt, damnati, Phigellus, Hermogenes, Philetus discipuli & socij Sancti Pauli, tandem facti apostatæ, Origenes sanctissimus, castissimus, filius Martyris, Tertullianus austerus, lapsi, Basilides E-

pi-

piſcopus Aſturgitanus, Martialis Ep. Semovicenſis poſt vitam ſanctã ſacti idololatræ, ut habet S. Cypr. epiſt. 68. Oſius Sol Eccleſiæ perijt. Lucifer Calaritanus in hæreſim lapſus. Dydimus Alexandrinus à S. Antonio vocatus ſanctus, perijt. Neſtorius monachus perfectiſſimus Patriarchaq; Conſtantin. factus hæreſiarcha, & eius magiſter Theodorus ex ſancto ſceleratiſſimus. Eutyches priùs exilium ob fidem paſſus, propheta, hæreſum terror, miſerabilis hæreſiarcha factus, & hic tandem pœnituit ex tot unus Aug. Soliloq. 29. *Vidimus de multis & audivimus à Patribus noſtris, quod utiq; ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor, aſcendiſſe primitùs quidem uſq; ad cœlos, & inter ſidera nidum ſuum collocâſſe, poſtmodum autem cecidiſſe uſq; ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cœlo cecidiſſe ab impetu ferientis cau-*

dæ draconis &c. & eos qui in medio filiorum Dei ambulabant instar lapidum ignitorum quasi lutum ad nihilum defluxisse. Cypr. de simpl. Præl. *Nondum es in termino, quidquid habueris sed in gradu, adhuc inde cadere potes, & quò plura habes, periculum maius est, quia plus adversarius provocatus est.* Talis Iustinianus & Heraclius Imp. priùs PP. Ecclesiæ, post Tyranni, talis Hero Erem. August. Soliloq. 28. *Mundas de nobis Filiis hominum eos in quibus tibi complacuit habitare, quos ab inaccessibilibus profundis secretorum iudiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ, semper iustorum, licet occultorum, sine eorum meritis prædestinâsti ante mundum, vocâsti de mundo, & in mundo iustificâsti, admirantur omnes tabescentes sapientes terræ, & ego Domine hoc considerans expavesco & obstupesco de altitudine divitiarum, sapientiæ & scientiæ tuæ, quoniam ex eodem luto alia quidem vasa in honorem, alia in contumeliam*

semp-

sempiternam. Quos igitur tibi elgisti de multis, quorum nomina tu nosti nequaquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum etiam ipsa peccata (hinc noli assumere in exemplum tibi quosdam, qui totam vitam perditè agunt, & in morte pœnitent, quia sunt ex electis.) *Cum enim cadunt non collidantur, quia tu supponis manum tuam custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex his non collidatur. Attamen mors peccatorum pessima, illorum inquam, quos antequam faceres cœlum & terram, secundum multam abyssum iudiciorum tuorum occultorum semper iustorum, præscisti ad mortem æternam quorum dinumeratio nominum & meritorum pravorum apud te, quos reliquisti in iudiciis: quibus omnia cooperantur in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum, ut si usq; ad cælos ascendant & caput eorum nubes tetigerit, & inter sidera cœli nidum suum collocaverint quasi sterquilinium in fine perdentur.* Ita

enim Isaiæ 10. *Et erit lumen Israel in igne* (inferni) *& sanctus eius in flamma, & succendetur & devorabitur spina eius, & vepres eius die unâ. Et gloria saltûs eius & Carmeli eius ab anima usq; ad carnem consumetur, & erit terrore profugus & reliquiæ saltûs eius præ paucitate numerabuntur, & puer scribit eos.* Cypr. de sing. Clerici. *Quanti & quales Episcopi & Clerici simul & Laici post confessionem victoriarumq; calcata certamina, post magnalia & signa, vel mirabilia usquequaq; monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragâsse. &c.* Quantos *leones domuit una infirmitas delicata? &c. ante nos ista tractantur & nullis terroribus coercemur, quid faceremus, si opinionibus tantummodò gestas historias audiremus! Sed hæc est semper incredulitas humanæ duritiæ & non solum audiendo sed etiam videndo non credat alteros interiisse, nisi & seipsam viderit interire.* Luc. 13. Cum cadens turris in Siloe

quos.

quoſdam oppreſſit, Chriſtus cæteris dixit. Putatis hos cæteris fuiſſe deteriores: non. *Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimiliter peribitis.* Et è contra Cypr. l. c. *Sæpius & mœchi, & ſanguinarii, & ebrioſi, & omnium ſcelerum rei converſi meruerunt ad palmam Martyrii pervenire.* Novatianus hæreticus quàm ante ſanctus fuerit teſtatur S. Cypr. epiſt. ad eundem: *Proximorum delicta ut propria fleverat, onera fratrum ſuſtinuerat, lubricos in fide cœleſti allocutione corroboraverat,* Et tu neſcis an ſis ex electis, neſcis an ſi te talem putes eo ipſo ſis permittendus labi; & ſi te meliorem putas, & tamen peccas gravius peccas, quia magis es DEO ingratus agnoſcens plura eius beneficia & te credens amicum, de te queritur. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem utiq;, tu verò &c.* 9. Axioma eſt. Quô vilior perſona quæ offendit, eò gravior offenſa, tu vilior es in-

natura quàm diabolus, itaq; eo te magis humilia. 10. Dæmon non audet hominem sanctum lædere, at tu. 11. Pilatus ex metu crucifixit, tu voluntariè. 12. Iudas in peccato ad triduum non perseveravit, at tu diutiùs. 13. Crucifixores *si scivissent, Regem gloriæ nunquam crucifixissent.* S. Brig. Reu. 37. B. V. dicit. *Crucifigunt filium meum per indurationem peccatores.* 14. Sed si solum veniale cõmisisti, plus mali fecisti, quàm si corpus & animam destrueres. S. Doroth. serm. 20. *Nec pro totius conversione mundi mentiri debes, mentitus* plura fecisti mala quàm si cùm posses facillimè totum mundum ex inferno eripere, non eripuisses. 5. Demus te nunquam peccasse, nisi in oratione distractum fuisse & iam es maledictus à Deo. Amb. de Cain & Abel. c. 9. *An nescis quàm grave sit in oratione contrahere peccatum ubi speras remedium, certè Dominus per Prophetam docuit*

tuit hoc esse grave maledictum dicens Psal 8. *Et oratio eius fiat in peccatum.* 16. Detur quod semel solùm venialiter peccasti & ecce habes quod totâ vita defleas. (Vide Soliloq. de pecc. ven.) 17. Si fuisti temerarius semel, meritus es iram Dei ut Oza. 2. Reg. 6. Deus unicè amat spiritualia, iam verò amanti etiam aliquod parvum eripere quantum ! Deus appropriat gloriam, *gloriam meam non dabo. Soli Deo gloria.* 18. Et quidem de rebus spiritualibus superbire, videtur esse multò gravius peccatum quàm de temporalibus. Quia res, quæ sunt propriè Dei furari & sibi appropriare est sacrilegium, idq; contra Spiritum S. ut patet in Anania & Saphira, qui mentiti Spiritui S. Item quia quò quis res maiores furatur gravius peccat. Atqui spirituales sunt meliores sæcularibus & altioris ordinis, imò quò maiores erunt, gravius erit peccatum. Quia con-

tra Spiritum S: quia præcipuè sunt dona Spiritus S. Et quia in ordine supernaturali ad quem DEUS elevavit & specialiter suum fecit. 19. Neminem credo tam clarè cognovisse se non debere peccare, & tamen peccâsse, ac ego. Vnde si plura peccata alij fecerunt: minùs suas obligationes agnoverunt, aut si agnoverunt & fecerunt, minus ab eis præservabantur atq; ego. Tu quidem nihil te dicis: sed quomodo. An nihil de te sollicitaris ut procures gloriam Dei, atq; non sollicitaris de ijs quæ non sunt. Relinquendo te & exaniendo in omni patientia, absumpto omni affectu proprio, animi hilatâ voluntate tuâ, sicut non efficeris impatiens, si quis spatia imaginaria verberet.

SOLILOQVIUM TRIGESIMUM QVINTUM.

Odium quo DEVS odit ſuperbiám.

PUNCTUM II.

CAſtos caſtitate exuit dum in ſuperbiam labuntur: Iob 12. v. 18. *Baltheum Regum diſſolvit & præcingit fune renes eorum.* De quo S. Greg. M. *Regum diſſolvit, quando in his qui bene regere ſua membra videbantur, propter elationis culpam, caſtitatis cingulum deſtruit, hoc eſt permiſit ut caderent in luxuriam, ne extollerentur in ſuperbiam.* S. Damaſc. lib. 2. Orth. fidei cap. 29. *Sit aliquis cui virtutes ſuæ ad rectè facta animos attollant, ſinit hunc Deus in ſtuprum incidere &c.* 2. Eccl. 10. *Odibilis eſt coram Deo & hominibus ſuperbia.* 3. Etiam ſuperbus ſi eſſet tam pius, purus, probus ac B. V. Si tamen ſuperbus eſſet, Spiritus

ritus S. in eo non requiesceret. Bern. ser 1. super missus. *Si Maria humilis non esset, super eam Spiritus S. non requievisset.* Supra dixit. *Super humilem non super Virginem.* 4. Extraordinarios modos & specialiter confusivos puniendi hoc malum Deus adhibet, ut Nabuchodonosorem vertit in bovem. 5. Omne peccatum nomine superbiæ appellat. *Ascendit superbia eorum.* 6. Quotquot habueris bona opera, si eis vel unum actum superbiæ admiscueris, contemnit illa Deus & fastidit. Ut patet in Pharisæo Luc. 18. ut ipsemet Deus svadeat, si facis opus aliquod ut tibi sit utile Matth. 6. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextra.* 7. Superbos execratur Isai. 28. *Væ coronæ superbiæ &c. pedibus conculcabitur corona superbiæ.*

SOLI-

SOLILOQVIVM TRIGESIMVM SEXTUM.

An me verè possim judicare peiorem omnibus.

PUNCTUM I.

EST de fide gratias & auxilia prima dari nobis gratis à Deo, ita, ut quod mihi dederit, alteri negavit, nihil in me plùs invenit quare daret potiùs. Gratis nos elegit ad virtutem si illam habemus, ut Paulum dum Ecclesiam persequeretur fecit *vas Electionis*: Genesium Martyrem unde nihil nostri habemus præ alijs. 2. Quare tu potius natus inter Christianos &c. non inter turcas? Gratia Dei. Quare non ante prædicatum Evang. Gratia. Ergo quod te prætulit alijs misericordia Dei est. Et tu præ his omnibus ingratior! 3, Si hæc dona alius accepis-

pisset multò fortè DEO gratior fuisset, tu itaq; peior es illo. S. Franciscus dicebat gratiorem futurum fuisse quempiam latronem quàm se, ideo se infra latronem abjiciebat: Aliunde nihil habes quo te præferas. 4. Gratijs à DEO datis meliùs quisq; alius usus fuisset, si habuisset tantam rerum salutis notitiam, auxilia, socios &c. quæ tibi ad altissimam sanctitatem sufficiunt; Quòd alius peccet, fragilitatis est, non habet tanta auxilia; quod tu etiam minimo peccato, summæ malitiæ. Ideoq; tua minima alienis maximis habent unde graviora reputentur. 5. Aliorum, qui tanta non acceperunt à DEO nec æstimantur peccata tanti sicut non judicatur cæcus qui in tenebris nihil videt, sed qui in luce; non surdus, si nullo loquente nihil audit: At Isai. 24. *Quis cæcus nisi servus meus? Quis surdus nisi ad quos nuncios meos misi?* At qui *servus sci-*

ens

ens voluntatem Domini & non faciens, peior est ignorante, & magis *vapulabit*. Atqui ut Bern. serm. 1, in Pentec. *Scienti bonum & non facienti peccatum est illi gratia*: Atqui melius esset nil tale habere à Deo quam abuti, vel malè uti: Vt de Iuda scriptum *melius est si natus non fuisset homo ille*, id est, nec gratiam creationis accepisset. 6. Habentne tanta hoc illi quos reputas te magis peccatores ut hinc se humilient 7. Nonne dignus es ut ijs donis priveris? Magis puniaris? Vt qui maiorem benefactorem offendisti. Hinc Magdalena de Pazzis judicabat, se dignam deseri à Deo, indignam eius servitio & obedientiâ, monasterio, dignam ipsis contumelijs: mirabatur se non detrusam ad infernum.

PVNCTVM II.

DAta tibi sunt talenta, non uteris, audies Matt. 25. *Tollite ab eo ta-*

eo talentum, & inutilem servum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. 2. Magna tibi data Luc. 19. *Tollite ab eo &c.* Et tamen agnoscebant servi non suum id fuisse talentum, nec de eo gloriabantur ut tu: non amiserunt, non abusi, sed tantùm quia lucrum non fecerunt. Et hoc quidem in eo qui unicum talentum habuit, quid fiet de illis qui plura! 3. Es vinea circa quam Deus laborat dona conferendo maiora quàm alijs. Sed tu pro uvis labruscas, & ecce ait Deus, *Nunc ostendā vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius & erit in conculcationem: ponam eam in desertum, & non putabitur, & non fodietur, & ascendent vepres & spinæ, & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* 4. S. Greg: hom. 1. In Evang. *Videamus ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, gravius inde iudicemur cui multum datum multum*

quæ

quæritur ab eo. 5. Bonum ex integra causa malum ex quovis defectu 6. Multos videt Deus si illis etiam minores gratias contulisset longè sanctiores futuros. 7. Multi post vitam sceleratam conversi, ferventiùs Deo serviunt, ut Paulus, Magdalena, hinc cogita quos nunc vides sceleratos, si Deus daret gratias forte millies futuros fuisse sanctiores; at tu quia tepidus es. Apoc. *Incipiet te Deus evomere ex ore suo.* Greg. 3. p. Pastor. 35. *Qui adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit, qui verò post conversionem tepuit simul spem quæ erat de peccatore subtraxit.* Deus ignis est, teporem odit. Iniquus es in Christi merita ad hoc ne tibi meruit auxilia ut tam tepidus esses? Iudica te ipsum, an non sis dignus ut his spolieris?

PVNCTVM III.

QVid si tu es causa ut alij relinquantur in peccatis? 1. Punit

De-

DEus unius peccata in alijs non solùm pœnis sed etiam permissione peccati, & negatione auxilij ad resurgendum Exod. 20. *Visitans iniquitatem Patrum in Filios in tertiam & quartam generationem*, sic qui equo S. Thomæ Cantuarien. sciderunt caudam; eorum posteri caudati. S. Adalberto Archiep. unus inflavit tubam in aurem, omnes eius pagi qui audiverint tubam obsurdescunt, Heli ob filios punitus ab Achan, Saulem, Davidem, Ezechiam, &c. totum regnum temporaliter. Sed etiam permissione peccati, ut ob Davidis adulterium *suscitabo malum de domo tua*, id est permisit incestum Ammonis, Absolonis scelera, hinc David pro Absolone volebat mori. 2. Nunc Iudæi permittuntur in peccatis & perfidia mori, quia maiores eorum Christum occiderunt: 1. Thess. 2. *pervenit furor Dei super illos usq; in finem*. 3. Sic Græcia in Schisma-

ſmate & ſervitute, ſic terra ſancta ob peccata maiorum hæret, ſic Europa in hæreſes labi permiſſa & non tota erigitur, prædixit hæc S. Hildegardis 300. annis ante Lutherum & cauſam horum ſcelerũ adduxit. Propter peccata bella iniuſta & tot crimina ſicut propter peccatum Achab ſpiritus mendax in ore omniũ Prophetarum permiſſus. Tu ergo es cauſa tot peccatorum, tu cauſa quòd tot damnentur. Et fortaſſe per multa ſæcula damnabuntur. Hinc B. Magd. de Pazzis totius mundi ſcelerum ſe ream, S. Cath. Senen. S. Dominicus judicabant, & pro ijs conabantur ſatisfacere. 5. Et iam tu te totius mundi fœtorem, peſtem, infectionem iudicare non poteris, non colluviem & fontem ſcelerum? non ideo enim tu minus es cauſa omnium quia & alij ſunt, & quia te Deus maioribus beneficijs cumulavit tua magis eũ exacerbabant peccata,

cata, quem tanto lumine illustravit, *Si inimicus maledixisset illi sustinuisset utiq́, tu verò comes eius &c.* magis lædit macula in pura veste quàm in sordida, quam posuit ut lumen mundo, ut salem, at *si sal evanuerit &c.* tu salire debueras & condire Deo mundum, & ecce insulsus, tu à putredine conservare & ecce evanuisti. Ezech. *Quæsivi de iis virum qui interponeret sepem & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam & non inveni, & effudi super eos indignationem meam, & igne iræ meæ consumpsi eos.* Tu ergo Dei amicus, cubicularius intimus, factus es caput omnium rebellionum, translationis regnorum; Tu es nauclerus qui naufragos cùm possis recipere, contemnis. 6. Peccatum cùm sit infinitè malum, & te quasi infinitè malum, & vilem facit si illud admisisti, ut calor quasi infinitè calidum. 7. Vix dabis, imò aut non dabis mi-

hi, opus tuum bonum sine ullo defectu: attamen ut bonum sit, omni defectu carere debet. Quia bonum ex integra causa. Non cum ardore peragis negligis boni occasiones, tuæ voluntati indulges, instinctibus resistis, gratiora Deo omittis, distraheris, verbis plenus es minus consideratis &c. 8. Adhuc servus esses inutilis si quot in æternitate momenta, in immensitate puncta semper intensos amoris actus eliceres, obsequia quæ possibilis potest creatura præstares. Quid verò modò ubi nil sine defectu? sed tu veluti sculptor rudis crassam statuam plenam erroribus ostentas. Optimus autem si unus error fuerit, non occultabit. Deus 9. tibi veluti aurum dat auxilia, & tu lutum illi misces, tractamus Deum sed singulis bolis aliquid corruptionis miscemus, murum exstruimus sed multum arenæ inter lateres miscemus teximus serta, sed inter

flo-

flores lutum. 10. Si quis te cum aliquot focijs acciperet & in altissimã turrim ex qua aliquot socios dejiceret, teque extra fenestram expositum teneret, minando tibi similem interitum, vacaretne tibi ad superbiendum & de tuis excellentijs cogitandum, pendes, infra te peccatum mortale & gehenna, & hunc tenentem superbiâ irritabis? & tamen propter nullum vitium tot Deus permisit labi quàm propter superbiam. Sic Petrus, sic apud Cass. unus à parva superbia ordiendo Atheus factus irrevocabiliter. 11. Antiqui sapientes Rom. 1. traditi in omnia fœdissima scelera contra naturam & rationem: & hoc quia non ut par erat Deum glorificaverunt, non satis grati pro beneficijs fuerunt. Tu ergo demptis Dei beneficijs par es omnibus improbis: ijs adiectis, ut de alieno superbire non potes. & si non gratus es insuper in tanto es pericu-

riculo, hoc periculum cogita non superbies, sicut ille, qui expectat pœnam capitis. Peior sum rebûs inanimatis, nihil ampliùs appetunt esse quam sunt, ego verò ob superbiam melior Deo: illæ operantur ad suum finem, ego non; obedientes sed finem cui sunt subiectæ, suo modo laudare Deum non desinunt. 12. Gentilibûs damnatis, quia non tantum cognoverunt enormitatem peccati. 13. Gratias & dona quæ tibi Deus dat plura quàm alijs, fortè ita ut medicus, graviùs ægrotis dat maiora, quia te magis videt fragilem, & quia cum his cadis, cum quibus alij non caderent. 14. Quòd non cadis, suis te manibus Deus portat: nec ideò alio cadere, debes meliorẽ te putare, sed Deo gratias agere, quòd te tibi non relinquat. 15. Exhibet tibi ut filio prodigo plures gratias: ideone es melior alio. 16. Vis haberi ut tela aurea & pura à Deo; sed fortè ideo

magis apparebunt tuæ fœditates?
17. Quæ mea prudentia contempto Rege potentissimo, & cui insuper debeo millionem auri, ac ideò potest me vel ad carceres perpetuos detrudere, vel comburere vivum &c. Ego tamen & in obsequio sum deses idq; ut placeam uni incarcerato: ita est Deus hic Rex, cui sum debitor; homo quivis cuius respectu ducor, est captivus Dei, saltem ob peccatum originale. Lucra minima quæro, & noxia, id est temporalia: æterna negligo: transeuntia non mansura: voluntatem meam sequor, à qua sum toties deceptus non divinam. Et cū hac prudentia gloriabor.

SOLILOQVIUM TRIGESIMUM SEPTIMUM.

Miseria hominis.

INfantia & Pueritia. Nascitur homo infelicius quam bestia, quam-

vermis. Tota eius vita in aliena gratia, si tantùm sibi relinquatur, perit: multos morbos cum lacte & ad mala inclinationes sugit. Traditur instruendus his quorum sævitiam ferre debet, nullâ interim libertate, nullo dominatu gaudet, & nihil differt à mancipio: coercetur, constringitur, pati quævis cogitur, & ad placitum alienum se formare, & sæpè vitijs imbuitur. Ea sustinet quibus graviora viro vix accidere possunt. 2. *Adolescentia*. In hac temeritas, audacia, furor iuvenilis, in pericula se cōijcere, natatu, aggressu: lumen rationis lenocinijs extinguere, castitas, infinita subit naufragia, deinde pudor in confessionibus & vix ulla emendatio; ebrietas, crapula, lites, pugnæ, vulnera, detractiones, Dei & salutis oblivio, socij mali, ut pudeat esse impudentem, quot mendacia, quot discrimina vitæ, ut si supervivant morborum

plurimorum initia contrahant, pessimas consvetudines, axiomata, & dictamina noxia acquirant, mores pravos, ut senectuti nil, nisi, quod doleat relinquatur. Vide plura in Plato, tum sibi Juvenis promeretur mille infernos, tum malam famam, tum sanitatem, oculos, aures & membra corrumpit: Deus interea læsus vocationes suas & auxilia subtrahit, & sic infiniti pereunt. Iam si uxor quæritur, quanti casus! 3. *Vir* solatium expectat à prole, ecce afflictio, vel deformis, vel immatura moritur, vel malitiosa vivit, vel filia fit pudori, filius probro, inobediens, heluo. Iam, uxor suspecta sterilis, contentiosa, iam lites, curæ, vicini mali. Colligetur avarè ut conficiatur, interim ager fit sterilis, terrent pluviæ, siccitas, & animalium pestes. In amicis perfidiæ secretorum proditio, famuli perfidi, villici infideles, ubiq; furta.
Ex

Et hic quam omnia plena periculis. Cast. ait q. 6. de statu vitæ del. *Multi in matrimonio æternam salutem amiserunt, qui in Religione salvati fuissent, quidam è contra, in religione pereunt, qui in matrimonio salutem fuissent consecuti, nonnulli pereunt in hac religione, qui non periissent in alia* (sæpe etiam in malam disciplinam, dissolutionem, ebrietates incidunt) *Idem est dicendum de domibus dignitatibus, officiis, statibus, artibus, opificiis, societatibus, aliisq; vitæ generibus. Quàm multis dignitas Ecclesiastica, vel Canonicatus fuit causa perditionis? Quã multis Maiestas regia & potentia sæcularis, item studium accumulandi prolesque ditandi. Sunt enim nonnulli status & studia, quæ plurimas peccatorum occasiones suggerunt. Nam ex rebus ex se indifferentibus, aliæ nobis, aliæ aliis, damno & occasioni peccati sunt. Nemo autem novit quid sibi expediat exceptô Deô, hinc tot sollicitudines si quis de*

ſtatu ſuo ſe reflectat eâne ſit vita in qua ſalutem conſecuturus. Eâne in qua certò damnandus. Sed plerumq; ad cõſideranda ſalutis negotia vel minimum tempus per amicos relinquitur accedunt debita, credita, negas mutuum, hoſtis es, das: ſi repetis; hoſtis es, acceptas hoſpites, te perdis; fugis irrideris. Damnum accidit, aliquid comburitur, vaſtatur, tu torqueris. Multa, ne non habearis minùs generoſius audenda. Infirmatur, moritur domeſticus, aut proles, qui dolores, quæ lamenta! quanta afflictio! Quid non doloris? & certè nemo eſt qui non plura mala & adverſa acceperit, quàm bona & læta. Mittitur extra domum filius; quanta ſolicitudo ut ſtudeat, in pericula incidat, cum illo medium proficiſcitur cordis, de illo ſi adverſi rumores audiantur quid non afflictionis? imminet grando; pallet ne in ipſius fruges ſæviat: imminet

ventus

ventus furens; ne ſylvam eius fran-
gat, pluvia quia importuna, quæri-
tur. Nulla aeris conſtitutio, nullum
elementum ſatisfacit. Si tibi ſucce-
dat benè, quot invidebunt? inſidias
ſtruent, in ijs innocentem vocabũt,
iniurias inferent. Si adverſitate pre-
maris, nullus malum porriget. Quã-
tum inter hæc relinquitur ut ſaluti
tuæ conſulas, cùm nec lingva tua ſit
nec manus vacet, nec cor ſit quie-
tum, nec oculus liber, nec pes ſibi
relictus, totus es extra te, ut nul-
lum mancipium durius ſervitium
patiatur, excepto hoc quod tu ſpõ-
te tibi curas aſſumpſeris. 4. *Senectus*.
Iam omnes exſpectãt tuam mortem,
omnibus es gravis, nec te Filij ferre
poſſunt, perpetuæ contra te quere-
læ, Filij acerbius reſpondent, ut
non minus eos revereri debeas quàm
olim Pædagogum. Ipſe tibi gravis
uno morbo poſt alium ſuccedente,
cura circa te deficit, & quoties vi-

des non ut par est tibi ministrari to- ties amaritudine aut lachrymis per- funderis. Sedebis totis diebus deser- tus dicet filius, non superesse tem- pus quo te adeat, affinis etiam convi- tijs excipiet, omnes sua coram te- abscondent, nec parvos nepotes ad ire te permittent, ne eos halitu & morbis inficias. Lætior eris? pro de- liro sene habeberis; tristior? pro in- tolerabili ac crudo? contemnes ve- stitum? dedecus infligere domui; ap- petes, ridebunt veluti iuvenilia ap- peteres? Filij voluntati servies, te velut miserum ac sui iuris nescium traducent; obsistes? Mille pro uno verbo facta recipies. Sobrius vives? vitam te diæta in malum nepotum trahere interpretabuntur, in nullo deniq; satisfacies. Iam accidat mor- bus, ut lecto te movere non possis, vide ne priùs putrescas in lecto, quã in sepulchrum mortuus deferaris, nullus erit qui odorem ferre possit, qui

qui preces & vota langventis audiat. Iam saluti tuæ quid supererit inter has amaritudines? quæ executio testamenti, ubi omnia priùs diripientur, falsificabuntur, antequam animam exhales? Si largior sis in animam, argueris, ut tuorum immemor. Omnes sæpe vitæ longioris te lactabunt, ut sine cura salutis moriaris: Aut ita curis, solicitudinibus distrahent, ut nec tempus, quo cœli recorderis, suppetat. *Vniversim loquendo* nulla dies sine admixtione alicujus mali. 2. Salus semper dubia. 3. Spes plerumq; decipit. 4. Morbi perpetui. Etsi sanus esse velis, omnibus ferè oblectamentis te vitæ abdices. non somnum, cùm libet, non cibum, quando, & quem. 5. Paupertatis & egestatis omnia in terris plena. 6. Raro messis respondet expectationi. 7. Diluvia, naufragia, bella, pestes. 8. Mors semper impendet ita, ut nec uno momento ab

ea securus sis. 9. Sæpe tam amara vita redditur, ut homines mortem præeligant, imò eam sibi inferant, & quod alicui accidit, tibi potest. 10, Curæ somnos adimunt. 11. Impijs sæpe melius succedit quàm bonis, & raro qui deberet virtutem sequitur honor. 12. à potentioribus opprimuntur debiliores, & iustitia contra eos silet. 13. Tot discordiæ, cædes, apertæ & occultæ. 14. Omnes passim cũ interitu animæ in libidines effusi, aut avaritiam. 15. Meliores sæpe paupertate obruuntur. 16 Castitas in discrimine & insidias multas patitur. 17. Qui expetunt proles carent illis, qui eas nollent habere, abundant, 18. Sinceritatis nihil, lachrymæ & amores falsi, nihil est cui firmiter credas. 5. *O quã beata* vita est quæ procul his est. O quàm beata cœlestis Patria ubi amat unus alterum, optat, gaudet, complacet de bono alterius ac

de

de suo, nihil quod neget, ubi semper est quidcunq; desideres, ubi abest semper quidcunq; metuere possis, ubi non de veste; non cibo, non de filijs, non de re familiari, non de honore, non de fama, non de domo, agro, ædificio, sylvis, lacubus, cura. Ubi à nullo homine quidquam timeas, cum quovis tam securè tam confidenter ac tecum agas, ubi quocũq; voles statim pervenies quidquid voles scire, cognoscere, intelliges. Quamcunq; dulcem symphoniam audire statim excitabitur, quemcunq; saporem gustu percipere habebis, quamcunq; voluptatem percipere cum honestate senties, quidcunq; videre, conspicies. Quoscunq; alloqui, statim poteris. Et hoc in æternum & hoc cum omni securitate de possessione, & de hoc nunquàm sollicitaberis ne amittas. Quàm beata respectu cuius hæc præsens est mors. S. Greg. M. hom. 37. in Evang. *Terrena substantia su-*

pernæ felicitati comparata mors potiùs est dicenda quàm vita. Temporalis vita æternæ comparata, mors potiùs est dicenda quàm vita. Quomodo non mors? Somno si octo horas dedisti, adiuncto diurno, tertia pars illius periit, nam octo sunt tertia pars horarum viginti quatuor, quibus dies constat, deme vitæ, pueritiæ annos, quos magis brutaliter exegisti, deme quod morbi, ocium, socij &c. adimunt; Quid reliquum? Sed & quale, quod ventus asperior, quod radius solis ardentior, quod plumula sæpè eripuit: quod tot malis, morbis, casibus, insidijs, patet.

SOLILOQVIUM TRIGESIMUM OCTAVUM.

Pœnæ Purgatorij.

PUNCTUM I.

DOcent plerique eundem ignem esse in

se in purgatorio, qui in inferno. Ita Sanctus Gregorius Magnus 4. dialog. cap. 25. Sanctus Thomas in 4. distinctione 21. quæstione 1. artic. 1. Cæsarius historia 28. graviorem quã quidquid in hoc sæculo cogitari, aut videri, aut sentiri potest. S. Magdalena de Pazzis à B. V. didicit, 2. p. vitæ 13. omnia tormenta quæ passi sunt tot Martyres, esse instar amæni horti respectu pœnarum purgatorij. Caiet: docet, quòd graviùs aliqui in purgatorio affligantur, quàm in inferno. Beda in Psalmo 37. esse graviorẽ, quã quidquid unquam passi latrones vel martyres, vel quidquid gravius homo possit excogitare: 2. Graviorem, quàm omnium martyrum simul sumpta tormenta, quanta tamen Clementis Ancyrani, Adriani, Eustachij? &c. 3. Dæmonum ira singularis, ut de re iam perdita, sicut, si quis amittat mercedem laboris annorum 10, 20. 30. aut 60. summâ irâ

ar-

ardent, omne ingenium ad vexan-
dum vertunt, & quidem non unus
sed tot quot per peccata (iuxta E-
vang. ubi *septem secum assumit nequi-
ores*) ius ad te habuerunt crescet au-
tem post vicem decimam, summa ad
centum 37. milliones, quadriginta
89. millia, centum 28. quæ singu-
lorum feritas, rabies, ingenium ad
affligendum! & horum alij alijs ne-
quiores! 4. Ignis si esset ut centum
calidus quantùm ureret, quid tot
iræ dæmonum in te incensæ? 5. Sæ-
pè nescitur quàm diu, dæmones er-
go per mendacium, longissima tem-
pora minantur. 6. Nescitur an eadē
intensione, an augebitur pœna? 7.
Omnis alia cogitatio quâ anima di-
straheretur cessat, & immenso pro-
pè tædio tabescit. 8. Solatium nul-
lum. 9. Est quidquid malum ag-
gravare demptâ æternitate. Cogita
quidquid. Hanc vocem. 10. Si ut
ferrum candeat anima, ut solvat
lapi-

lapides attactu? talis comparuit clemens Iudex Sanctus Severinus attactu Clerici manum solvit carnibus ut scribit P. Damiani. Maxima pœna terrestris non habet comparationem cum illa ut Sanctus Thomas in 4. distinctione 21. quæstione 1. a. 1. Si in flumine igneo volueris. Ita Sanctus Aug. hom. 16. ex so. S. Teressa vitæ lib. 4. cap. 3. apud Riber. *Spiritûs dolores à corporeis permultùm distant, atq; hinc eruo & assequor quod animæ quæ in inferno & purgatorio versantur modo plura patiantur, quàm in hac vita ad corporalium mensuram ab hominibus comprehendi queant.* Unde Bonac. Conink. Tolet. docent. Etiamsi pluribus annis pœnitentiam valde rigidam ageres, non satisfaceres pro purgatorio aliquorum, Au. lib. de vera & falsa pœnit. *Hinc autem ignis etsi æternus non sit; miro tamen modo est gravis, excellit enim omnem pœnam quam quis est passus in hac*

vita.

vita. Nunquam *in carne inventa est tanta pœna; licet mirabilia Martyres passi sint tormenta, & multi nequiter iniqui tanta sustinuerunt supplicia.* Cyrillus apud S. August. epist. 206. narrat, unum ex ijs tribus, qui in Sancti Hieron. obitu revixerunt, de purgatorio igne sic fuisse locutum. *Si omnes, quæ in mundo cogitari possent pœnæ, tormenta, afflictiones, minori, quæ illic habentur pœnæ & tormento comparentur, solatia erunt. Mallet enim quilibet viventium omnia, quæ hic videntur tormenta subire, & usque ad finem mundi omnibus simul sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucusque sigillatim pertulerunt, quàm uno die in inferno vel in purgatorio, minori, quæ illic habetur pœna torqueri.* Greg. in Ps. pœnit. ad 3. in princ. *Illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem.*

PVN-

PUNCTUM II.

PRo levissimis peccatis, ut sunt verba otiosa. 2. Unus monachus quinquennio vapulavit ob quinque grana pisorum neglectim amissa. 3. Quidam quindecim annis, quia non desiderabat ardentiùs videre sanctissimam Trinitatem. 4. Alter, quòd colloquendo, sermonem aliorum interrũperet, clamosiùsq; loqueretur, malè mactatus. 5. In inferno puniuntur ob omissiones bonorum operum: *esurivi non dedistis* &c. Epulo ob usum intemperantioré propriorum bonorum: quàm parva ergo igni purgatorio manent! 6. Quid temporis puncta otiosè consumpta, intentiones omissæ, distractiones admissæ? 7. Quàm severè singula: nõ deest, qui uni veniali unum annum assignet, sed exempla superiùs adducta ostendunt, quòd uni peccato

levi

levi plures anni. Sed sit unica hora, in quot sæcula excrescet pœna? unus annus solùm, horarum habet octo millia, septingentas sexaginta, vereor ne unâ septimanâ tot incurras venialia. 8. Est exemplum, qui ob mutuum unius nummi postquam novennio arsisset in pœnis, monuit ut solveretur. Aliter sacer Orator quòd stylum dicendi sublimiorem affectâsset, quadriennio carcerem illum sustinuit. 9. Quid differimus pœnitentiam? nil impunitum aut à te aut à DEO erit. Crede, crede gravé hic, nec postea leve pati, quod hic uno nummo ibi nec centenis exsolves. Applica manum igni si non æstimas ignis pœnam. 10, Si iubereris sitim per septimanam in æstu ferre. Si sermone abstinere per annum, si genibns flexis per mensem incumbere, si flagellari per diem: Ac omnia hæc nihil; potest & de purgatorio, suo modo dici, nec oculus vidit, nec

nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ divina iustitia præparavit ijs qui suas culpas voluntarijs pœnis non delent. Differimus & illud eligimus: hæccine prudentia? malle scindi pedes quàm vestem, malle caput minui quàm pileum,&c verùm & hic est verum. *Filios huius mundi prudentiores esse Filiis lucis in generatione sua.*

PUNCTUM III.

LAmentatur Bern. *Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat donec prætereat hora, donec prætereat tempus, donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris indulget. Donec transeat tēpus quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hære-*

dita-

diatem aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem, sic nimirum, sic agricola &c. sic institor, &c. sic pauperes &c. Sermone de triplici custodia. In hoc sæculo ubi tempus misericordiæ & parva satisfactio pro peccatis sufficit, vide quomodo DEus puniat. Sancta Clara de monte Falco, ob vanitatem levem per 15 annos passa desolationes (quæ hominibus sanctis graviores sunt omni tormento) & plurimas mortificationes adhibuit, & tandem post 15. annos revelatum est, quod fuerit peccatum dimissum. 2. Sancta Catharina Bononiensis, quia putavit se non posse falli à dæmone, per quinque annos ab eo ludi pro libitu illius permissa est. 3. Moyses & Aaron, quia aliquantum dubitarunt de aqua ex petra elicienda, terram promissionis non sunt ingressi (quod durius illis fuerit quàm mori) 4. Iosias Rex opti-

optimus ob leve peccatum, & ipse interiit, & totum regnum secum in ruinam traxit. 5. 3. Reg. 13 propter veniale, Propheta à leone dilaceratus. 6. Abbas Moyses ob acerbius dictum intra disputandum, traditus est dæmoni, ut ab eo excruciaretur durissimè. 7. Sanctus Eleasarius ab ipso Christo Domino ob leve peccatum atrociter flagellatus. S. Paschasius ita sanctus, ut fœmina solùm tactâ eius dalmaticâ à dæmone fuerit liberata, passus, ut S. Greg. 4. dial. 40. item S. Udalricus quidam, quòd ob occupationes in gratiarum actione post mensam loco Ps. *Miserere* &c. diceret *Laudate*, atrocissima passus: donec Fratres per annum pro illo dicerent Miserere. Crombec. de perfectione lib. 1. c. 29. quòd quidam ioceos veteres abscondisset, fuit in purgatorio. S. Antoninus 4. p. tit. 14. c. 10. quia quidam tibialia abscondit, con parue

cruribus igneis. 8. S. Geraldus cæcitate ob veniale percussus. 9. S. Chrysost. Lazarum ea quæ passus est ut ad ianuam Epulonis mendicus iaceret, censet propter venialia passum. 10. P. Christophorus Ortizius è Soc. IESU quia officium honorificentius acriùs recusabat, fulmine occisus. Et tamen hoc tempus misericordiæ, quid ubi sola iustitia? 11. S. Vitalina fuit in purgatorio, quia feriâ sextâ lavit caput, S. Severinus quia Breviarium totum simul dicebat occupatus negotijs aulicis, S. Paschasius quia incautiùs adhæserat utcunq; schismati & tamen quales pœnæ! Apud Brig. 6. Rev. 12. Christus ait de quodam sic. *In purgatorio amarum habebit anima eius supplicium, quòd nullus mortalis est qui illud cogitare possit.* Fr. Constantinus à Salvatore in Annal. ait. *In purgatorio triduanas pœnas exsolvi: quæ trium millium annorum* (haud mentior)

mihi

mihi diuturna supplicia visa sunt: Et tamen ait Bell. lib. de amiss. gratiæ 1. c. 13. *Vix ulli iusti homines nisi ex magna misericordia Dei, pœnam purgatorii acerbissimam evadunt, ita, ut rectè ex corpore ad cœlum evolent.* S. Teresia cap. 38. vitæ. *Quamvis multarum animarum statum mihi Dominus revelare dignatus sit, ex omnibus tamen quas vidi animabus nescio an ulla purgatorium evaserit.* Etsi postea vidit multas. Soror Sanctæ Catharinæ Senensis fuit in gravi purgatorio quia in vita ornabatur. Soror Sancti Damiani quia oblectata cantilenâ quam à procul audivit, fuit 18. diebus in purgatorio. Einolphus quòd fratri suo adhuc puer obolum fuisset furatus per horam fuit in puteo igneo. Cæsar. l. 12 c. 57. Puer novem annorum quia novem nummos mutuo accepit & non solvit. Quidam quia sæpe sine facultate disciplinas fecit. Num. 20. Pauper homo pro cibo co-

quendo ligna colligebat sabbatho, iussit hunc Deus lapidibus occidi. 12. Pro uno verbo si ad infernum mittit, idq; in aliqua passione seu animi perturbatione prolato; quantò magis gravissimo purgatorio punit? Matth. 5. *Quid dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*. 13. Ionathas ignoravit edictum Patris sui, & aliquid mellis gustavit; patefecit illum Deus, ut capite plecteretur. 1. Reg. 14. Imò Sancto Petro, cùm ex humilitate lavari pedes sibi non permitteret, Ioannis 13. minatus reprobationem, *nisi lavero te, non habebis partem mecum*. 1. Reg. 6. Bethsamitæ, quòd visâ arcâ obtulerint sacrificium, ex eis occisi 70 nobiles, & 50 millia è plebe 2. Reg. 6. Quòd Oza arcam detinuisset ne caderet, subitâ morte punitus. 14. Sanctissimè decessit Iacob Patriarcha & tamen Gen. 50 septuaginta diebus pro eius peccatis Ioseph filius satisfaciebat.

SOL-

SOLILOQVIUM TRIGESIMUM NONUM.

Gratia Dei sanctificans.

PUNCTUM I.

1. GRatia Dei est quædam qualitas, veluti color aut vestitus supernaturalis quo anima ornatur iusti; amittitur autem per quodvis peccatum mortale. Non autem significat solum propensionem ergà nos & affectionem Dei 2. Per hanc gratiam sumus Ens, sine eâ nihil: 1. Cor. 5. *Gratiâ Dei sum id quod sum*. 1. Cor. 13. Si *charitatem non habuero* (id est gratiam nam idem est) *nihil sum*: Ideoq; fortè peccatum dicitur nihil, quòd hominem nihil faciat; ut coram DEO nihil valeat, æstimetur. Nihil quod ad protectionem debitam: In comparatione hominis iusti id est gratiam habentis, nihil

ſolent iura indulgere in aliquibus re-
gnis, ut maleſico, ſi mulier injiciat ſi-
gnum aliquod quod eum ductura ſit
in maritum, liberet à morte; hoc
eſt ſignum gratiæ, per quod animam
DEUS liberat à nihilo, quod eſt plùs
quàm mors.

PUNCTUM II.

SI gratiam amittat anima, mori-
tur; ideoq; peccatum eſt mors
animæ; gratia verò vita. 1. Si os
tuum iungeretur ori cadaveris, ocu-
lus oculo, manus manui, totum
corpus corpori, ut ſic tabeſceres cum
illo, qualem pœnam reputares?
Peius eſt & fœtidius cadaver tua ani-
ma ſine gratia. 2. Si dum in menſa
prandes poneretur tibi cadaver hu-
manum: an non cohorreſceres? En
in pectore tuo, animam cadaveris, ſi
es in peccato, geſtas. 3. Sicut o-
culis hominum cadaver ingratum
ita

ità talis anima oculis Dei. 4. Sicut muscæ ad cadaver concurrunt, eoq; delectantur; ita dæmones tali animâ 5. Sicut homines cadaver horrent & nemo libenter cum eo moratur, ita Sancti, & Angeli talem animam. 6. Sicut cadaver ad terrá ruit, & magis semper, & semper, corrumpitur; Ita talis anima in peccata maiora & maiora labitur. 7. Sicut odor cadaveris ingratus hominibus, ita orationes huius animæ Deo. 8. Sicut gravem contumeliam Eucharistiæ faceret, si quis in ore cadaveris deponeret, ita qui cum tali anima communicat. 9. Sicut, quàm primùm cadaver defodi volunt omnes, ita talem animam in infernum detrudi statimq; post peccatum commissum meretur, nisi unus incredibilis & immensus amor Dei retineret, qui sicuti cum proles amantissima matri moritur, cadaver illius quod omnes horrent de-
 oscu-

osculatur sepeliri non permittit; in-halare suam animam optat ut à mortuis suscitet.

PUNCTUM III.

GRatia efficit Filios Dei adoptivos, per illam ius in gloriam cœlestem & fruitionē Dei acquirūt; *ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro; quod sumus Filii Dei, quod si Filii & hæredes hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi*, 1. Ioan. 3. vide e *qualem charitatem* (id est gratiam) *dedit nobis Deus ut Filii Dei nominemur & simus* 2. Fidenter sicut à Patre omnia petere potest. 3. Certus de hæreditate. 4. Si per impossibile Deus moreretur, ille in omnia Dei bona succederet, nunc autem habet omnia cum Deo communia; atq; ita si capax esset, tantam partem caperet, quantam Christus qui est Filius Dei per naturam. 5. Imò

hæc

hæc adoptio longè plus confert, quã hominis esse per naturam Filium. Nunquam filius naturalis hominis tanta accipit ab homine, ut adoptivus à DEO. Accipit enim potentiam patrandi miracula, id est actus supernaturales, quos tota natura non potest facere, pro libitu efficiendi, semper & sine cessatione magis sese ditandi; (Unde claves thesauri cœlestis habet) magis se ornandi. 6. In creatis, naturalis Filius est non ex electione libera, quòd maluerit Parens hunc genuisse quàm alium, sed planè casu: at DEUS *voluntariè nos genuit verbo veritatis.* 7. In humanis tum adoptatur, quando naturalis deest: non sic apud Deum. 8. In creatis si semel exciderit adoptione, non quoties volet, recipietur, DEUS recipit. 9. Sciamus itaq; nos æstimare. Sciamus, nos esse *divinæ consortes naturæ*, & nos geramus, ut non degeneres.

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM.

Patientia.

PUNCTUM I.

QUæ est stultitia esse impatientē? Rex amantissimè rustico premit manum, leviter percutit, & ecce hic furit, indignatur. O insania! amoris hoc est. *Ego, quos amo, castigo.* Tales crucem papiraceam, quam Deus illis imponit, abjiciunt, & unam immanem quernam Sathanæ assumunt, dum levia nolunt pati, graviora coguntur & sine merito. Verbo te quis perstringit; reponis decem, alter centum: sic lis crescit & damna, quæ vitasses, si verbum tulisses. 2. Rex rusticum Filij sui veste induit, simul eiusdem adiungendo hæreditatem, & ecce hic abjicit, reluctatur, quia modicum strictior:

Ve-

Vestis Christi est afflictio, sed illi adiungitur cœlum *in patientia vestra possidebitis animas vestras.* 3. Si regni obtinendi, vel è servitio evadendi Rex poneret conditionem mancipio, si potûs salubris quidem, sed aliquantò amarioris, eius tamen quo Rex ipse utitur, poculum sumeret & ecce renuit. Ita nobiscum DEUS, & nos ita cum DEO. 4. Si totius mundi dominium offerretur ei, qui iam in inferno ardet, si modo crucem chartaceam sublevare vellet, aut musicam insvavem aliquamdiu audire: Et ecce respuit. 5. Si famelicus, egens; nudus, haberet ante se cibos, thesauros, vestes, tantùm quia passus aliquot per lutulentam viã essẽt faciẽdi, mallet fame perire. Mavis merita tibi, gratiam non augere: Insuper si illud lutum, (si vellet) posset circumire; cuius mẽtis esset? Profectò quodlibet malum relictâ sinistrâ apprehensione circũ-

iri poteſt. 6. Si alicui darentur mõ-
tes aurei pro nummis, pro lacerna,
purpura; ille commutationem non
admitteret. Ecce pro ignominia ſic,
quam hic ſubis, dabitur æterna glo-
ria, pro damno cœlum. 7. Si ali-
cui ideò tantùm, ne ſe ſineret irride-
ri, daretur dominium ſupra Ange-
los, tamen mallet ille ludibria. Cer-
tè omnis laus mundi ludibria ſunt &
irriſiones, quibus ne privemur, ma-
lumus ſummo dominio cœli privari.

PUNCTUM II.

QVæ impudentia! 1. Dæmon nun-
quam melior DEO, aut filio
Dei eſſe voluit, ſed æqualis, ſimilis:
quot contra Deum murmurant, bla-
ſphemant, omnes qui peccant ode-
runt, contemnunt, ingrati ſunt, &
ecce patitur! tu quid? *Facit oriri
Solem ſupra bonos & malos.* 2. Fur &
latro quia ſcit ſe iuſtè puniri, tole-

rat: an non es meritus tot peccatis, tot sceleribus, ut omnes in te creaturæ involarent, ut annihilareris? 3. Christus *passus pro nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius*. Ideò passus. Vide ne sis reus sangvinis Christi gratis effusi. 4. Vide ne Deum inclementiæ aut imprudentiæ arguas, qui sic mundum ordinavit, ut omnis res patiatur & repatiatur, calor à frigore, siccum ab humido: & sine his nihil in mundo nasceretur. In te solo natura aliam viam tenere debet? in te uno erravit? Omnibus sua crux à natura data. Aves, ut volent, alas, pisces, ut natent, pinnas, navis, ut naviget, remos & vela, currus, ut procedat? axes, aratrum, ut agrum colat, iugum in crucem tendit: nec oras, nisi in crucem proferas manus, nec equitas, nisi ex equo & te crucem formes, ita ars, ita natura, tota per cruces vivit. 5. Non credis Deo, qui dixit: *Regnum cælorum*

rum vim patitur & violenti rapiunt illud Omnes *qui volunt piè vivere, persecutionem patiuntur*. Bene Aug. *Si nihil pateris, vide, ne nondum Deo servire inceperis*. 6. Vult impatiens esse melior Angelis, Sanctis, B. Virgine, omnibus creaturis. 7. Novam vult viam ad cœlum, quasi Christus parum nos amárit, qui hanc ostendit, parùm sapuerit, qui hanc sangvine nobis comparavit: parùm prudentes Sancti omnes, qui eam ingressi. 8. Dei iram supra se provocat, ut si non patitur, irritet; Nam *in qua mensura mensi fueritis in eadem remetietur vobis*. Servo impio, qui conservo debitum noluit remittere, etiam id, quod remissum fuerat, revocatum est. *Sic Pater cælestis faciet vobis*. 9. Iudas pro suo scelere se dignum morte iudicavit, eamq; subire & perpeti, at tu ne uno digiti tactu propter tua innumerâ scelera. 10. Quid oras? *Fiat voluntas tua*. Hæc est voluntas

Dei

Dei ut patiaris, nam & *Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam.* S. Cypr. serm. de mortal. *Spei nostræ ac fidei prævaricatores sumus: simulata, ficta, fucata videntur esse, quæ dicimus.*

PUNCTUM III.

QUod onus? 1. Si te cogitatione alter lædit, ô te egregium militem, qui ipsa cogitatione prosterneris! Et unde scis? Si irascitur. Illũ, non te ira coquit. Ac si quis suam domum in odium tui incenderet, cõpati, non lædi deberes. Illi compati debes, sibi infernum parat; tibi gratulare, tibi cœlum parat, sibi dedecus facit, cùm se vitiosum declarat. Malè de te loquitur; si hoc scurra diceret, non offendereris, quare, cùm amicus dicat? Ille est æger, fer eius morbos & sordes, & vomitus, Nemo prudens tibi imputabit,

quod malè de te loquantur, quia hoc non est in tua potestate, unde nec te laudabilem facere potest: Hæc si appetas, non eris quietus. Si uxor te turbat, filij &c ad hoc te resolvisti, cùm matrimonium inires, ut miles ad vigilias, pugnam &c. sic in mũdum, dum intrares ad ea venisti quæ fiunt, morbos, infamiã &c sic in omnibus negotijs. Si te amicus fallat, ad hoc te resolvisti cum illo amicitiam ineundo, sciebas eum hominem esse, ideo mutabilem &c. Tantine vendis tuam patientiam & pacem, ut ob verbum turberis? Si malum alteri accidat, excusas, & ibi iuxta rationem facis, quare non, cùm tibi? Sic à ratione excidisti? Sic te amas? Quàm miser esses si statim quod tibi alter imprecaretur, accideret, febris &c. quare animam talem facis, ut verbis *lædatur*, imò cogitatione. Si vestis tua luto conspergatur interisne ut magis intret

& ir-

& irradicas? quare contumeliam in animam tuam? Puerorum eſt. 2. Videquid pro vitãdo inferno,pro peccatis, pro cœlo facias, ſaltem admitte hanc pecuniam, quam Deus donat, ut debitum exſolvas. 3. Si te verbis alter lædit, & ſi falſa dicit; quid obeſt diviti, quod quis eum pauperem appellet? Quid lacti, ſi quis illud nigrum dicat? Quid lapidi, ſi quis eum vento agitari? Ille errat, ille malum patitur, ille miſeratione dignus. Si vera; peius eſt illa habere, quàm dici: Peius eſt eſſe vulneratum, morbidum, quàm dici, ſi te talem pateris, etiam dici ſuſtine, viſne mentiri circa te alios? 4. Nunquam verbum ullum vulneravitte: ſi aliquis eo offenſus eſt,inde eſt, quia pulvis fuit, non lapis, qui flatu commotus eſt. 5. Quàm ſtultæ eſſent aves, ſi ex aëre caderent eo ipſo,quòd de illis diceres, eas eſſe garrulas, indoctas, &c. 6. Sinerem

te

te [illegible]mere, si nunquam de alijs ipse locutus fuisses malè. 7. Si respondes, adversario materiam suggeris, si taceas, non habet, quò progrediatur. 8. Si offenderis? agnoscis in te crimen: quare non irasceris, si quis te diceret volare per aërem, in aquam converti, ligna attactu comburere? quia inquies falsa; quare falsis alijs læderis? vel effice, ut omnia sint falsa. 9. Si reus es? vix aliter errores tuos disces, emendabis. Nunquid non gauderes si tibi famenti alter per irā panes projiceret; si captivo, ut haberes lythrum, spargeret aurum; vel pereunti inter fossas facem afferret? 10. Non gravatè fers quod alteri dentes doleant, lingva sit cancrosa, morbus eius est. Et hic est morbus, malè loqui: infelicitas eius est, quòd nesciat benè, sicut eius, qui pedibus claudicat: oculis obliquè aspicit. 11. Cur non persequeris aves quod canant, quia non tua fa-

cta dicunt, nec homines tua, si falsa. 12. Talis lex in mundo, de vilibus personis minimum dicitur, sed de magnis, de regibus plurimum &c. Gaude insuper, quòd æstimeris: lex est mundi æstum esse, hyemem esse, consvetudo, oblocutiones esse; omnia pari modo feras. 13. Si non audires, etsi diceretur, non læderéris, non te verba itaq;, sed te ipsum lædis, in te est, cur illa admittis? Faciliùs est esse otiosum, quàm agere, impatiens agit, patiens feriatur. Si boni sunt, qui loquuntur? ita tu es malus, in quo mala inveniant: si mali? quid curas: si te latro, aut fur, non laudet, qui, si detrahit, laudat. 14. Vel est futurus in cœlo qui te vexat: tum maximâ pœnâ, qualem nec tu sumeres de illo, hic, aut in purgatorio expiabit: vel in inferno: Sufficiet illi. 15. Auges, sed est voluptas in vindicta, sed est maior in virtute: Et quidem sine pœnitudine & pura.

Si

Si ulcisci non poteris, vanus es, irascere, quòd digito cœlum non tāgas. 16. Ira ignis est, aquâ non flatu eget, ut extingvatur. 17. Si opere te lædit, si leve illud est, à levi te vinci non sine: Si grave, virum te in ferendo ostende, imò iam fers, tantùm non objice, nec illi pondus adde. A te est, quòd lædaris. Non à sole est, quòd sit eius radius cæruleus, aut flavus, sed à medio, v. g. vitro, per quod transit. Idem vulnus est, quod medicus, & quod hostis infligit, fac, ut omnia tibi sint medicinæ. In te est hæc malitia, & tuâ apprehensione: Vel in illo, qui tibi detulit: Aliter iudicâsses, si ipse audisses multa coram te in peius aucta. De bonis amissis luges? Gratus esto, quòd illa habueris, nam gratia fit, quòd etiā ad tempus indigno concedantur. Si triticum es, cur trituram times, ut recondaris in horreum cœleste. 18. Esto apis non araneus, in huius ore

omnia

omnia venenum: in illius, omnia mel. Interpretemur bene aliena facta, & erunt mel, quid venenum creamus? Nos illud, quia intra nos est, prius uret: Potes omnia interpretari benè, quia arcana cordis nescis. 19. Facit, qui te odit, ut tua virtus nota sit omnibus. Illam tibi non eripit, DEUM non eripit. Hūc si habes & alia appetis, nimis avarus es. Fama fallax, quam perdidisti, & hâc tam diu non eras dignus: Noli bona in hac vita recipere cum Epulone. Per quemcunq; sua recipiat, DEUS est, qui recipit. 20. Facit ille ut te veluti lapidem pretiosum expoliat, ponendum in cœlestis Ierusalem ædificijs. 21. Facit te membrum Christi. Aug. Serm. 47. de sanctis. *Recusat esse in corpore,* (Christi) *qui odium non vult sustinere cum capite.* (Christo.) 22. Facit te imitari Sanctos Martyres. Aug. ibid. *Qui Sanctos Martyres in quantum potu-*

eru

erit imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Ibid. *Sed nos volumus gaudere cum Sanctis & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis.* Sed nos hæc spes certò decipiet. 23. Volumus haberi aurum: et ignem, qui nos purget à scoria, non sustinemus? 24. Volumus haberi triticum, & sicut palea omni vento circumagimur? Non erit locus paleis in horreo cœlesti. 25. Volumus certi esse de salute? Nonne Deus nobiscum agit ut figulus cum luto, ex quo etiam si formet vas in honorem priusquam imposuerit in fornacem, potest transformare in vas contumeliæ. Ecce te vas in honorem format, in fornacem ponit, ut te de tua salute certificet, & tu &c. Bern. cit. a Vilela in praxi. *Illi DEVS est iratus, & eum reprobaturus est, quem, cùm peccator fuerit, non castigat.* 26. Deus dicit: *omne gaudium existimate, cùm in varias tentationes incideritis?* An non

cre-

credis? De hoc S. Cypr. Serm. de mortal. *Hoc fit, quia fides deficit &c. Hoc est Deum omninò non esse: hoc est Christum credentium Magistrum peccato incredulitatis* (Hæreseos) *offendere, hoc est in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere:* Id. ibid. *Si in Christum credimus, fidem verbis eius habeamus. Hoc nos ostendamus esse, quod credimus.* Sacrificium Deo offers. Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum* (afflictorum) *& humiliatum* (ab alijs contemptũ) Ibid. *Improvidi & ingrati sumus Fratres dilectissimi ad divina beneficia, nec quid nobis conferatur, agnoscimus.* 27. Sed cuius rei hoc signum, sit quod pacti nosis, ex Chrysost. de Virgin. c. 24. disce. *Qui indignissima omnium facinora commiserunt, indigni sunt, qui cum hominibus*, in hoc mundo, *torqueantur; neq; enim cum hominibus flagellabuntur, ut qui in tempus reserventur, quo cum dæmonibus supplicia expiedant*

dant id. ibid. c. 23. *Quamobrem cùm multa peccantes nullas scelerum pœnas pendimus; ne confidamus, sed perpendamus potiùs, quamvis enim hîc à Deo non iudicamur, tamen unà cum mundo apud inferos condemnabimur.* 28. Sed nec passiones sunt tantæ, nisi mastices, trutines, expendas. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Quod si simul deglutias, & potes deglutire, cùm sit minimum, nihil amaroris senties. Nonne scis, cùm duplicabantur lateres Iudæis in Ægypto, tunc Moysen venisse. Nonne scis Babiloniæ pueros, cùm in fornacem succensam iniecti essent, vincula solùm, quibus constringebantur amisisse, & per ignem ad libertatem venisse. Nonne habes exempla in Sanctis, quos ex mero amore illorum boni, affligi DEUS permisit, aut voluit?

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM PRIMUM.

Quid passi sancti in corpore & anima.

PUNCTUM I.

IN patientia sua possederunt Sancti animas, nec ullus est qui non plurima vel in anima, vel in corpore, vel in utroq; sit perpessus. Et ut me ad patiendum accendam, exempla brevissimè enumero. 1. Gravissima est calamitas viro æstimanti ut debent spirituales mori *absq; ultimis Sacramentis.* At mortui: *Mori subitaneè*, mortui. S. Nilamō Eremita dum assumeretur ad Episcopatum oravit à DEO ut potius moreretur. Et in oratione mortuus. S. Cassius Episcopus Narviensis subitanea morte occubuit. Simili morte consumptus S. Amatus Episc Nu-

ſcitanus: Simili S. Melitus Monachus. S. Galdinus Epiſc. concione dictâ expiravit. S. Vergerus nondum depoſitâ poſt Miſſam celebratâ caſulâ deceſſit. S. Catharina S. Birgittæ filia ob continuos vomitus non potuit ſacro ante mortem muniri viatico. S. Demetria Virgo, dum ad Martyrium ducitur, moritur. S. diſcipulus S. Ebrulphi Eremitæ ſubitaneâ morte. S. Fauſtus dum à Tyranno interrogatur de fide, ſubitò occumbit. S. Felix tantùm abſolutâ miſſâ. S. Gaudentius Epiſc. Novariensis. intra concionandum. S. Gvilielmus Erem. ſubitò defunctus, ſimiliter S. Hilaria, & S. Homobonus. S. Hugo à S. Vict. non potuit refici ſacrâ communione ante mortem ob crebros vomitus. S. verò Ioannes ob mortem ſubitam. S. Inventius Epiſcop. Ticinen. finitâ tantùm miſſâ occubuit: At verò S. Palatiata cùm iret in exilium cum nutrice. S.

Sabinæ cùm apud reliquias cuiusdã Sancti oraret. S. Theocha cùm Filium M. complectitur. S. Vincentius Episc. inter Missæ Sacrificium concidit. Mater Simeonis Stylitæ, S. Galgamis Eremita, B. Ioannes Dei absq; sacra communione defũct. S. Faventinus sutor subitò decessit, ita & B. Ioannes Tocacius, S. Geron ruinâ domûs obrutus. 2. *Morbis variis divexati.* *Capitis dolores* totâ vitá passus. S. Ioannes Chrysostomus: S. Dominicus loricatus: S. Theodorus Abbas: S. Lydroina. S. Ducinus Episc. Asturgitanus. S. Franciscus Xaverius sæpè corripiebatur vertigine. *Asthma & tussim perpessi.* V. Beda, S. Plato Monachus sustinuit tussim per annos 19. S. Romualdus per sex menses. *Podagrâ afflicti* S. Gregorius Magnus. S. Iulianus M, S. Ano Episc. at verò S. Bonitus Episc. etiam consumptus hoc malo. *Apostemata* sustinuit S. Ludvvina.

dvvina, S. Macrina, B. Didacus. *Cancro* corrosa per totam vitam S. Aldegundis, & eodem vexata S Galla. *Ventriculi molestias* sustinuerunt S Greg. Magnus. S. Chrysostomus. S. Anaxamon Abbas. S. Catharina filia S. Birgittæ. S. Bernardinus per annos 14. dyssenterias perpessus, quibus & consumptus. Afflixit dolor ventriculi S. Ignatium, S. Franc. Xaverium. S. Bathildim. V. Bedam, S. Isidorum Hispalensem. S. Bernardum, S. Hugonem de S. Victore. *Siti & febri æstuârunt.* S. Aldegundis, S. Audomarus, S. Ægidius. *Renum dolore* cruciatus S. Zoilus. *Laterum dolore extincti.* S. Paulinus Episc. Nolanus. S. Maurus. S. Severinus Abbas. *Hydrope intumuit* adeo S. Beniamin Monachus, ut eius digitus minimus utrâq; manu ambiri non potuerit. *Calculo* succubuit S. Lydvvina. *Nauseâ* afflicti S. Anselmus, S. Isidorus Hispalen. *Paralysi* ligatus

tus totâ vitâ S. Servulus mendicus, triennio verò eandem passus S. Gregorius Traiecten. S. Ludgerus Episc. S. Romula. *Peste* extincti S. Macarius Patriarcha, S. Lubbertus. *Vomitu sangvinis* finiverunt vitam S. Dositheus Monachus, S. Philippus Nerius. *Vermibus corrosi* S. Simeon Stylites & S. Daniel similiter Stylites. S. Theobaldus, S. Ioachimus Monachus, S. Fina. *Cæcitatem passi* S. Alexander Abbas. S. Tobias S. Geraldus eadem annis septem sustinuit: ad mortem verò S. Spes Abbas. *Energumeni fuerunt* S. Alexander Abbas, S. Staginus Monachus. *Longos morbos* perpessi S. Lydvvina annis 39. S. Clara annis 28. S. Margarita annis 14. S. Goaris annis 7. S. Odilo annis 5. S. Ubaldus 2. *Inter leviores* circa Ecclesiam morbis vexati: S. Chrysostomus perpetuas febres passus, & cum his dolores capitis, vomitus, nauseas, vigilias, deli-

quia, S. Augustinus ita ulcerosos ac tumidos pedes habuit ut nec considere potuerit. S. Honoratus Episc. quasi continuò agonizabat. S. Gregorius vix è lecto se erigebat propter podagram, quæ etiam per integrũ biennium lecto affixit S. Eulogium Patriarcham. S. Hieronymus ita fractis viribus fuit in senio, ut opus fuerit illum erigi manu alienâ. S. Bernardus assiduè morbis vexabatur. Sed fortè his graviora. *In fama passi* S. Chrysostomus & Athanasius turpitudinum carnalium accusabantur. S. Gregorius Magnus simoniæ; S. Bernardus pro hypocrita aut illuso est habitus. S. Marina stupri illati rea censebatur, eiusdem criminis accusatus S. Petrus M. S. Ignatius ad inquisitionem raptus veluti suspectus hæreseos, Suspecti etiam habiti in fide S. Athanasius S. Hieronymus. *Desolationes in morte* perpessi, S. Hilarion, S. Dominicus, S. Ar-

senius,

ſenius. *Scrupulis* vexatus S. Ignatius. Illuſionibus B. Catharina Bononienſis. *Timores in agone* experti S. Agathon Abbas, S. Abenner Parens S. Ioſaphati poſtquam in eremo egiſſet pœnitentiam per annos 40. *A ſanctis & piis viris perpeſſi.* S. Epiphanius pro hæretico reputatus à viro laudatiſſimo Theophilo Alexandro: à S. Chryſoſtomo pro violatore Canonum ob quam cauſam ab Eccleſia repulſus. Sed & ipſe S. Chryſoſtomus fuit S. Hieron. ſuſpectus & à Theophilo ſupradicto cum 36. Epiſcopis Chalcecone iudicatus, condemnatus, in exilium pulſus. Crimina hæc illi ſunt attributa. Quòd gemmas Eccleſiæ divendiderit, quòd fornicatus fuerit, quòd ſolus cum fœminis egerit, quòd inſidias Severiano ſtruxerit, quòd librum plenum contra Deum convitijs & calumnijs evulgaverit, quòd inter ſacrificandum clerico ſangvinem percuſſione

elicuerit. Vir magnus Acacius addidit, reum blaſphemiæ Chryſoſtomum, eſſe hæreticum, ſeditioſum, Clericorum percuſſorem; addiderunt alij, eſſe incendiarium. Adiecit Atticus Epiſcopus, obſiſtendo ne nomen Chryſoſtomi etiam poſt mortem inter Epiſcopos Catholicos referretur, utpote ſpurci, laici, Iudæ; hoc idem urſiſſet Cyrillus niſi monitu Divino fuiſſet retractus. Sed & S. Cyrillus à pio Imperatore Theodoſio cenſebatur eſſe ſeditioſus, oppreſſor pauperum, & tandem Epiſcopatu motus. Eundem Cyrillú adiūctis ſibi 43. Epiſcopis; Ioannes Epiſcopus Antiochenus declaravit hæreticum. In eundem invectus eſt S. Iſidorus Peluſiota. S. Gregorius Nazianzenus in tantum eſt diffamatus, acſi fuiſſet adulter & hæreticus ut Epiſcopatum debuerit deſerere. Propoſita publica præmia à Regibus & Clero ei qui S. Athanaſium caperet.

ret. A quatuor enim Imperatoribus iudicatus, hæreticus, imperij proditor, magus, adulter, occisor Arsenij Episcopi. Prodiit contra eum fœmina quæ asserebat cum eo se patrâsse adulterium. Ex patria eiectus annos 13. in exilio peregit. Contra S. Basilium Monachi insurrexerunt tanquam contra hæreticum, hominẽ vanum. Abhorrebant ab eius consortio Episcopi Catholici, etiam ipse S. Athanasius post mortem debuit ab amicis defendi scripto. S. Augustinus proclamatus à Massiliensibus hæreticus. S. Hieronymus diffamatus quasi fuisset Origenista hæreticus & Magus. A Clero Romano usq; adeò passus ut Româ fuerit abire cõpulsus. Carpebant eius libros, & carpentibus se miscebat S. Augustinus, S. Paulinus Nolanus non pauca à pontifice perpessus. S. Ambrosius Eudociæ Imperatricis persecutionem sustinuit. S. Martinus Turonen.

nensis reponebatur inter hæreticos. S. Damasus Papa infamatus adulterij: S. Antonius Magnus à multis proclamatus Arrianus. S. Benedicto venenum à Monachis porrectum, S. Franciscus Seraphicus à Fratre Elia Generali sui ordinis dictus turbator, luxuriosus, Ordinis eversor, ut scribit Thom. Walsingamus anno 1222. S. Romualdus à suo Monacho iuvenculo accusatus acsi turpiter egisset secum, ob quod crimen eiectus è monasterio senex annorum centum. S. Bernardus à proprio avunculo Galdrico exagitatus, calumniantes perpessus suam castitatem & miracula, vocat illum in suis literis Episcopus Suessionen, blasphemum. S. Catharina Senensis alebat quandam mendicam ex misericordia, diffamabatur ab illa veluti impuram ageret vitam, divexabatur à sociabus. S. Teressia habita est ab aliquibus pro illusa, pro dæmoniaca:

ca: revelationes ipsius vocatæ in risum. Inquisitum est in eius vitam ab inquisitoribus. Habita ut sacrilega, ut publicum scandalum rea furti in templo patrati, idq; crepidæ ablatæ insimulata, ac pugnis contusa, pedibus conculcata, ut scribitur in eius vita l. 3. c. 17. Patiebatur præterea desolationes ut ipsa de se tantas dixerit, ut in eius vita scripsit Ribera lib. 4. cap. 26. *Accidit ut intellectus mihi turbetur, ut nihil de Deo prorsus cogitare queam, neq; in qua lege vivam, sciam. Sed quod lego non intelligo, defectibusq; plena videor & nullum ad bonum, animum vel desiderium proferens.* Sed non ideo minorem curam actionibus spiritûs impendebat, uti solent desides, qui acediâ dum vincuntur putant sibi à Deo immitti ariditates; ipsi verò causa sunt acediæ & illam fovent. At sancti dum patiuntur nihil divinorum negligunt, imò corporis au-

gent mortificationes. Ita Sancta Teressia præter illas afflictiones quas supra posuimus, passa est à pueritia gravissimas ægritudines ut nulli usui futura videretur, vomitus quotidie binos patiebatur, accedebat cardialgia colica, tremor, nausea, & per annos 40. nullo se, ait, dolore vacuam fuisse. Nullâ unquam die fuit integra valetudine. Ariditates per annos 22. tantas in spiritu perpessa ut ei etiam ipsa lectio sacra nauseam excitaret. Insuper brachium sinistrum casu fregit, neq; illo ampliùs uti potuit. Cum hoc toto rogabat ne Deus respiceret suam imbecillitatem, & liberaliter augeret dolores, quos etiam ipsa ex sua parte augebat, corpus flagris, cilicijs, urticis, & alijs varijs modis affligendo. *A domesticis afflicti* Noe à Chã, Abel à Caino, David ab Absolone. Susanna domi suæ à senibus, Iob ab uxore.

PVN.

PUNCTUM II.

AIt Sancta Teressia Itin. perfect. cap. 16. Eos qui pati nolunt, *nec Christianos esse nec unquam Passionem Dominicam legisse.* 2. S. Chrysost. in cap. 1. ad Philem. *Quando DEVS dat alicui ut mortuos suscitet, minus dat quàm cùm dat ei munus patiendi.* 3. In vitis PP. ait quidam ferre adversa patienter *esse supra omnes virtutes & mandata. Imò qui non baiulat crucem suam non potest esse Christi discipulus, sed neq; Christianus.*

PUNCTUM III.

MArtyrium abolet peccata: sed sic moreris civiliter & graviore morte. Sic de S. Martino Ecclesia *quòd per patientiam, Martyrii palmam consecutus.* S. Cypr. de dupl. Martyr. *Hæc ipsa mala quæ secum defert,*

vita mortalium, quæq; piis cum impiis communia sunt martyrii coronam nobis parabunt, si placidè, si cum gratiarum actione pertulerimus &c. Quod si quis *diffidit sermoni nostro certè S. Pauli non poterit sermonibus diffidere. Is scribens ad Hebr: orsus ab Abel usq; ad Gedeonem, ingentem SS. Catalogum recenset, in quo plures sunt, defuncti morte violentâ, imò pauci sunt, qui sic mortui sunt: Et tamen de omnibus pronunciat, & hi testimonio fidei probati inventi sunt* (testimonium significat Martyrium.) *perspicuè declarat etiam vitâ bonâ peragi Martyrium fidei.* Quomodo etiam audes à Domino ut à te avertat crucē petere, cùm ille non nisi in cruce & passione vixerit? 2. Si dimiseritis alijs dimittentur vobis peccata. 3. Non es Filius Dei si non pateris. Matth. 5. *Orate pro persequentibus &c. ut sitis filii Patris vestri.* Aug. serm. 5. de S. Steph. *per amorem hominis inimici, amicus efficeris Dei, imò*

non

non solum amicus, sed etiam filius. 4. Terram bonam colit agricola malam negligit, ita DEUS sanctos. Sic uvæ torcular, non urticæ ferunt. 5. Tu si non pateris deseris Christum ducem, illo duce non vis pugnare. 6 Ait S. Gertrudis *singula detrahentium verba, tibi coronæ sume loco.* 7. Sed non tamen sub his exemplis blandiamur negligentiæ nostræ, ob propriam voluntatem & quæ iustè patimur, his nostram nequitiam solemur. 8. S. Chrysost. hom. 52. in Gen. *Vnde nobis salutis spes si publicanis deteriores fuerimus. Sicut dicit Christus; Si diligentes diligitis vos, & publicani hoc faciunt.* 9. Si esses bonus ager, tuis cultoribus qui te aratro proscindunt fructum afferres. Sed profers spinas, ut terra maledicta. 10. Sed quæ tua prudentia? Vt alterius lædas asinum, te ipsum occidis, ut per impatientiam, in corpore alteri vel alijs bonis noceas, ani-

mæ enim nocere non potes, dum vindicas tuam animam occidis. 11. Quæ tua pietas? Christus in horto pro te calicem ab Angelo datum bibit totum, & ita amarum ut *factus esset in agonia, & guttæ* sudoris sanguinei ex eo *in terram decurrerent*: Rogat te iuva illum, tuum vult non Angeli auxilium, consolare: Unam guttulam bibe cum illo, ibi regnum cœleste bibes, ex amore tui tibi propinat, iam omnem amarorem absumpsit veluti lignum a Moyse in aquas amaras impositum. Negas, abjicis? Per quem inquis propinat? Per socium qui te exagitat; per inimicum &c. Negas Christo? Sed hic est *calix Domini* quem tu rejicis. Venit dæmon cum *calice, dæmoniorum* iræ, furoris, impatientiæ in quo insuper infernum aut purgatorium bibes, & hunc eligis?

Angeli pacis amarè flete!

heu!

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM SECUNDUM.

An sim Patiens.

PUNCTUM I.

ADversa sunt Virga quædam, sed aurea, qualem porrexit Estheri Rex, & a morte liberavit. Quia Cas. coll. 12. c. 6. *Quantùm quis in lenitate & patientia cordis, tantùm in puritate cordis proficiat.* Et non ampliùs S. Leo ser. 9. de quadr: *Certa atq; secura expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis.* S. Paulus Si *compatimur & conregnabimus.* 1. Si non patior non ex eodem cum Christo calice bibo. 2. Soli similes Christo, sunt prædestinati, tu es dissimilis, 3. Hos quos affligit Deus B. Angelæ de Fulginio dixit *suos esse filios.* 4. Laur. Iusti: de cast. conn. c. 6. *Tribulatio est futuræ*

turæ beatitudinis præsagium & prædesti. nationis testimonium. Aug. in Ps. 83 *Quos prædestinavit, tanquam uvæ vitis in torculari tribulabuntur, conterentur; & comprimentur, sicut & Christus.* B. Cath. Bonon. arm. 7. ut *hæredes De. us constituat bonorum Filii sui, viam crucis eis calcandam offert.* B Baptista Verana in Chron. S. Franc. certius hoc dicit signum filiationis Dei quã mortuum excitare, visiones habere &c. Non habes ergo hoc signum.. 6. Deus S. Cath. Sen. dial. 10. *Signum est evidens ac apertissimè demonstrans* (invicta patientia) *animam in me consistere, pariter & in ea me esse per gratiam* &c. 145. *Tribulatio est signum aperte demonstrativum, quòd in anima charitas sit omninò perfecta si cum dulci patientia toleretur.* 7. Sed nec tu Deum amas si non pateris? Chrysost. ser. 6. de passione *adversis probatur amor* (atq; qui non amat, manet in morte, seu damnatus est.)
B. Io.

B. Ioan. Columbinus ait in vita sua. *Nullum signum potestis ostendere Christo maioris amoris quàm patientiam.* 8. Sicut aromata si conterantur magis olent; lutum & sordes quò magis cōmoventur magis fœtent. Vide quid sis? 9. Aut es reprobatus aut pessimè vivis, si nihil pateris. S. Greg. Papa 16. ep. 27. *Fidenter dico, minùs piè vivis, si minùs persecutionem pateris.* Amb. in Ps. 118. serm. 2. *Fortasse cum persecutionem non patimur tanquam condemnati habemur.* S. Chrysost. hom. 29. in Hebr. *Qui non flagellatur sine dubio non est in numero filiorum.* 10. Deus te in peccata labi est permissurus sicut terram quam non colit ut germines urticas. S. Chrysost, hom. in Ps. 125. *Anima fidelis pro ligone indiget tentationibus & afflictionibus ne producat malas herbas.* 11. Omnia Deus immittit. Aug. in Ps. 29. *Quidquid passi fuerimus ab inimicis, non hoc inimicis deputandum est, & non Deo nostro &c.*

Occulo

Occultis dispensationibus est providentia Dei. Hoc non circa te exercetur. 12. Qui patitur, DEUM non sinit esse sui quasi oblitum, sed ita acsi pro memoriali campanulam illi ad aurem alligaret, ita ipse S. Gertrudi l. 1. c. 4. Inspir. *Patientia velut aurea tintinnabula in corona mea suspensa, & cùm Deus ab hominibus affligitur ad talem se pro solatio reclinat.* Non vincis diabolum. Bern. serm. de S. Andr. *Si saperet nobis tribulatio, sic victus esset omninò diabolus, nec haberet quod afferret.* Sed nec homo: S. Chrysost. hom. 31. ad pop. *Qui percuteris vicisti, ille verò qui percussit victus est. Igitur propterea doles quoniam mercedem tibi maiorē accumulat Quā esse excusationem putamus dicendo scilicet: ego non cœpi, hoc contra nos est, ut si quis diceret, ego prius non interfeci. Sicut à vomentibus fugimus, ita ab irascentibus pulverem eorum intuciamus vomito. Cane sordidior est contumeliis gaudens qui re-*

verti-

vertitur ad vomitum suum, *nam si postquam evomuit semel destitisset*, *non esset par illi*, *si rursum eadem vomit manifestum est quod eadem comedit*. 12. *Patiendo inducimus Christum* iuxta Gal. 1. *Quicunq; baptisati sumus.* At ille *sicut agnus coram tondente se obmutuit*. Vide iam qui indignaris, an non Christum exuas? an non neges eum in te? ne fortè neget & ille te in se, neget suum esse membrum. Neq; enim tam mitis dominus membra furiosa habere potest, sicut nec agnus membra scorpij aut colubri, 14. Esses multùm felix, si semper omni hora Deo sacrificium offerre posses, ecce potes si pateris Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritûs contribulatus*. Esses felix si posses Christi passioni & beneficijs retribuere aliquid quo ille contentus esset, & insuper hæc retributio salus tua esset. Potes, patere, & calicem quem tibi offert bibe, Ps. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ*

retribuit mihi? calicem salutaris accipiam. 15. Quàm res indigna Cypriano lib. 4. epist. 6. videtur. *Filius Dei passus est, ut nos filios Dei faceret, & filius hominis pati non vult, ut filius Dei esse perseveret!* 16. Signum est reprobationis si adversa tibi durum pati. Cypr. adv. Demetr. *Pœnam de adversis mundi ille sentit cui lætitia & gloria omnis in mundo est &c. Cæterum nullus hic dolor est de incursione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum.* 17. Verus enim patiens ait cum Habacuc. 3. *Ficus non florebit* (sterilitas erit) *& non erit germen in vineis, mentietur opus olivæ & arva non afferent cibum, abscindetur de ovili pecus* (pestis erit animalium) *& non erit armentum in præsepibus* (omnia mihi auferentur) *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo IESV meo.* 18. Imò Christianum nomen nobis inutile est, si patientia deest. Cypr. de bono pat. *Quod Christiani*

stiani sumus, fidei & spei res est, ut autem spes & fides ad fructum possint pervenire, patientiâ opus est. 19. Si natus è mancipio se non tractari ut Regis Filium quereretur, quo solatio dignus esset? & nos omnes ex quo nati sumus? nonne Adamo Deo rebelli? & querimur: quasi dum nasceremur risissemus & natura nobis primo fletu non ostendisset nos ad mala nasci? 20. Quasi non esset professio Christiani pati. Cypr. de mort. *Ad hoc credit Christianus ut hæc omnia adversa perpessus ad futuram lætitiam servetur.* 21. Quasi non tunc virtus nostra perfectionem acquirat, cùm Paulus doceat. *In infirmitate virtus perficitur*, & Cypr. l. c. *Quando infirmitas. vel imbecillitas, & vastitas aliqua grassatur, tunc virtus nostra perficitur.* 22. Quasi non per eam Spiritui S. favorem præstemus quempiam, & cœlo uniamur. Cùm Cypr. de bono pati. clamet *Patientia est*

Spiritui S. ſavens & cœleſtibus & divinis cohærens. Hoc eſt nimirum Spiritum in ſpecie columbæ accepiſſe, ut felle diffluas? ungvibus ſævias? roſtro armeris? non ſunt hæc colūbi. 23. Cypr: de laude Martyr. *Si premeris Dei munus imitaris.* Et tunc dic cum Tereſia lib. 4. cap. 15. vitæ. *Deo laus, quod hoc ipſa loco talis eſſe noſcar, qualis revera ſum, alibi quippe omnes in errorem perducti ſunt & falluntur, meq; habent qualem me ipſi ſibi fingunt, hic verò prout ſum & mereor.* 24. Dic quòd ſanctus Ignatius M. apud Hier. de Eccleſ. Script. *Iniquitas eorum,* id eſt hoſtium, *mea doctrina eſt* tam mihi gratum quod mecum iniquè agant, atq; ſi mihi aliqua ſcientiæ arma communicarent.

PUNCTUM II.

Signa Patientis.

SI in eo loco libenter habitas à quo abhorres. 2. Et cum talibus ſo-

ciis

cijs superioribus. 3. Tale geris offi-
cium. 4. Contentus ut dicta facta
tua alij in malam partem trahant.
5. Nihil tibi concedatur quod petis.
6. Detrahi tibi, accusari, contume-
lijs affici, non promoveri, sed dejici
contentus es. 7. Famam, favorem
apud homines, applausum nullum
curas. 8. Nullum vis habere patro-
num aut defensorem. 9. Ut si quis te
defendat, hoc ut in maiorem tuam
depressionem cadat, desideras. 10.
Non exprobras illis qui te affligunt,
nec expostulas cum illis. 11. Illos
excusas, & ais non malitiâ sed bo-
no zelo contra te agere. 12. Nec qui-
dem tristaris. 13. Gaudes sicut Apo-
stoli, contumeliam pati. 14. Nec à
Deo petis ut ab his liberet te. 15.
Nec te distrahis imò nec oras &c. ut
minùs sentias. 16. Nec permittis ca-
lumniatores puniri. 17. Oblivisce-
ris iniuriæ. 18. Inimicos pro ami-
cis & benefactoribus reputas. 19.
Nec

Nec loca illa deseris in quibus passus es. 20. Etiam pro mortuis qui te afflixerunt oras, honorificè illorum meministi. 21, Etiam cognatos eorum eo titulo amas. 22. Gaudes de illorum successu prospero. 23. Pro felici die reputas quâ quidpiam passus. 22. Nil turbaris, sed sicut scopulus in mari stas, quem fluctus verberant. 23. Nullam aversionem ab adversarijs habes. 24. Non tantùm condonas libenter, sed nec agnoscis te læsum, 25. Defendis illos ne quid molesti patiantur, iuvas in afflictione rebus & verbis. 26. Si aliquis tuo adversario est offensus, quamprimùm eum reconcilias. 27. Si ex errore adversarij te persequuntur & sine peccato, gaudes: si cum peccato, ob hoc unicum doles, & ab eo liberari eos oras & curas. 28 Excusas etiam coram alijs adversarios quasi te non afflixerint, Hæc signa veri patientis, & actus patientiæ ponit P. Lancicius. Et ulteriùs, Puni-

PUNCTUM III.

PAtientes nõ inquirunt quis de eis dixerit, fecerit, &c. Si ignorant, nec suspicantur. 2. Nec quare sint alienati à se. 3. Si interrogẽtur ab aliquo superiore accusati an hoc fecerint, nihil ampliùs addunt nisi de quo interrogati. 4. Nec se purgant coram ijs, à quibus accusantur. 5. Nec se ostendunt scire, quod illi se afflixerint. 6. Nec coram ijs ostendunt per quos possit devenire ad adversarios. 7. Compassionem nullam quærunt, aut admittunt. 8. Nec coram illis excusat se qui non sunt compassuri. 9. Nec dicunt, solere homines talia pati, affligi innocentes &c. 10. Nec petunt à DEO ut alijs eorum innocentiam declaret. 11. Nec in hora mortis se purgant. 12. Nec ullum ullo modo impediunt quò minus accuset illos, diffa-

met &c. 13. Nulli ostendunt quid sibi id displiceat. 14. Non petunt ut inquiratur in ea; quæ sunt eis obiecta, ut sic innocentia patescat 15 Si aliquis honorem pro honore non reddat, ad literas non rescribat, contenti. 16. Morbos insomnia sua nō produnt alijs. 17. Si aliquid omittunt boni ex iusta causa, ne se excusent, ea non aperiunt. 18. Successus prosperos & favores apud adversarios silent, ne eos contristent, si advertant posse illos sibi nocere. 19. Non quærunt quid aliquis boni de illis dixerit. 20. Non defendunt se nisi hoc, vel officio eorum, vel communitati noceat. 21. Nec lacrymātur quia & hoc esset levamen. 22. Literas adversariorum quas de se scripserunt, non lectas comburunt. 23. Si res illis fit aliqua ablata, esto sciant apud quem sit, si illi nimis afficitur, non recipiunt. 24 Quidquid famuli seu negligentia seu ma-

stiã, eis non satisfaciunt, silent. 25. Libenter cùm aliud agunt, sinunt se aliò avocari. 26. Si nullum gustum habeant in oratione, perinde orant. 26. Qui talis est, ei DEUS peccata remittit. Chrysost. hom. 67. ad pop. *Cùm rebus adversis premimur, gaudeamus hæc etiam est peccatorum remissio.* 27. Talis est Martyr. Clim. gr. 4. *Beatus qui propter Deum quotidie maledictis & convitiis lacessitus, sibi vim fecerit, hic enim martyribus tripudiantibus & angelis, parem confidentiam & gloriam merebitur.* 28. Hic amat summè proximum, hoc enim est pro illo animam ponere, iuxta Abb. Pæmenen in vit. Patrum.

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM TERTIUM.

Castitas.

PUNCTUM I.

SPonsæ Christi sumus, iuxta illud. *Desponsavi vos uni viro, virginem ca-*

ſtam exhibere Chriſto. 1. Quantum crimen & infidelitas in hunc ſponſum, ſi te alteri exhibeas? 2. Si cuipiam ſponſæ oculi verterentur in ſcorpiones, lingva in palam quâ ſentinæ purgantur, aures in nidum viperarum, putas, amabit eam ſpõſus, an potiùs domo ejiciet? *Abi* dicet *poſt greges ſodalium tuarum.* Crede crede, oculi laſcivi, ſunt peiores ſcorpio, lingva etiam venialiter petulans, peiora verſat, quâm quodvis lutum &c. 3. Quo amore eam iudicabis ſponſam dignam, quæ ſe abjiciet in lectum, & in eo cum porcis aut ſcarabæis volutabitur. Nemo profectò nemo eam, regio dignam dicet thalamo. Solus hanc iniuriam debet pati DEUS ut Sponſæ eius tam perditè agant, & tamen velint Spõſæ haberi? 4. Si Rex ruſticam vocet: *Veni Sponſa mea, columba mea, unica mea &c.* illa autem luto faciem & manus oppleat, & ſic ad eum velit

veni-

venire! 5. Si pro una gemma Christus totum mundum, imò Deitatem daret, & tibi illam concrederet ad servandum, tu autem ex mera petulantiâ igne eam exureres in lutum abjiceres. Iudica temetipsum an non Filius sis mortis? 1. Cor. 6. *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno, portamus thesaurum in vasis fictilibus*, sed eũ igne libidinis urimus. 6. Amor Dei, quàm es infelix erga nos! si hæc fecisses pro dæmonibus, quantò millies & millies maiorem gratitudinem expertus fuisses! Pœnituit te quôd creâris hominem, multò magis pœnitere potes, quòd redemeris; Sed tamen dilexisti, etiamsi hoc scires eventurum.

PUNCTUM II.

SUmus Templum Spiritûs S. ut docet S. Paulus. 1. Ecce in illo templo Veneri sacrificia fiunt, & altare

est cor meum. 2. Ecce in illo templo calices, id est lingva, divino sangvine toties consecrata, adhibetur ad excipiendas omnes spurcitias, quas dæmon ingerere potest. 3. Ecce candelæ & lucernæ, nempe oculi tui, fumum pestiferum, infernalem exhalant. 4. Ecce in culmine ipsius templi, hoc est in capite, insignia dæmonis, id est crines per artem cincinnati, per artem formati, ut nihil sit reliquum de opere divino, eiusq; manuũ labor, penitus tollatur, adsciti de cadavere cuiuspiã damnati, pulveribus deformati, plumis, quasi magis hominem avium caput deceret, cristati. Iam ergo habitat divine Spiritus in hoc templo, imò cognosce an sit tuum? 5. In superiori parte huius templi, id est in intellectu, Musica personat hostilis, id est cogitationes fœdæ, imò sacrilegi hostes in insidias recepti, ut si divinus ingressus fuerit Spiritus, in

eum

eum involent. 6. Ingredere ergo hoc templum divine Spiritus, ah quantò meliùs in cane putrido, vermibus ſcatente habitares! Iam verò, *ſine tuo numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.* Quæ ſcientia ſine te? Quod conſilium? Quæ ſapientia? 7. Immitte, immitte Deus, qui vindicet iniuriam templi tui, ſicut in ſpoliatorem templi Ieroſolymitani immiſiſti, cædat bene, morbis concutiat. Fac o Deus. *Reple facies eorum ignominiâ*, decalva vertices, ſi fortè reſipiſcant. 1. Cor. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis & Spiritus Dei habitat in vobis, ſi quis autem templum Dei violaverit diſperdet eum Deus.* Quâ voce, *diſperdet* ſcriptura, in pœna vulgarium peccatorum non utitur, ſed per ſingularem exaggerationem huius enormitatem exprimit. Sanctus Cypr. ſerm. de hab. Virg. *Demus*, ſvadet, *operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offenſus, ſedem quā inhabitat relinquat.* Pun-

PUNCTUM III.

SI minus castus es, cùm venit Christus ad te in communione mallet in nescio quam cloacam injici. 2. Si oras, oratio tua ascendit sicut unus fœtor & nidor è sterquilinio. 3. Angelus custos ita se habet ac si quis putre & olidum cadaver comitari iuberetur: unde quàm remotissimè recedit. 4. Revelatum est, qui ætatem Christi in his sordibus hærens adæquat, ampliùs eum non surrecturum. 5. In tali anima non potest esse vera scientia, saltem illa cum qua non amitteret salutem æternam. 6. Quomodo Sancti pro te orare possunt, sicuti fratres pro sorore, quæ decus domui suæ intulit ad Patrem intercedunt?

PUNCTUM IV.

OMnes, Christum, eo ipso, quia baptisati sumus, ex doctrina

Sancti Pauli induimus, ut possimus dicere, *Vivo ego iam non ego, vivit verè in me Christus*: per communionem insuper, eadem caro, cùm Christo efficimur. Chrys. *Non fide tantùm sed etiam re ipsâ, nos, suum efficit corpus*: imò nos esse desinimus & in Christũ mutamur, ut ipse Christus dixit S. Augustino. Quid facis ergo de te, id est de Christo, meliùs esset te in sentinam abjiceres, meliùs si cùm Iudæis in faciem Christi expueres, pedibus conculcares *Qui enim peccat, servus est peccati*: dæmonibus, in te, Christum subjicis. 2. Si imaginem Regiam luto sordibusq; respergeres, quid si ipsum Regem, etiam oculos ei luto, & os, & nares implendo; vexares: hoc in te Christo contigit. *Alia peccata extra corpus sunt, hoc in corpore*. 3. Non dedignaris tamen Christe nobis superindui, mutare nos in te; nos per peccatum carnis vide quomodo tractamus te, expel-

limus te, & quasi nolumus fuisse baptisati. 4. Peiùs est, & horreo proloqui, sed tamen quia prior dixit S. Paulus (O immensa Dei excellentia quò devenisti?) *Membrum Christi*, membrum inquam Christi, *facimus membrum meretricis*. Non venit eò impietas Iudaica. Appellavit voratorem &c. seditiosum &c. non fecit impudicum. Ecce feci ego & toties feci, & post tot beneficia feci! Dehisce tellus, absorbe vivũ infernus, in gehenna ignis in infinitũ intendatur, feci, feci, heu me feci! 5. Vidit quidam bachantes quòd Christo illuderent, & quidem, saltu, eius pedibus ad crucem affixis, complosione manuum, eius manibus: potu, palato eius, felle tincto &c. An non hoc eidem, sed peiori modo facio? ibi manus in clavis rigent, hic ad tactus illicitos (ah ne dicam eidem!) adhibentur ibi pedes immoti, hic ad locos suspectos,

ibi

ibi, fel hic oſcula &c. Hoc idem, ſed peiori modo, quia ad hoc totū Chriſti membrâ adhibeo, peiùs quam ſangvine Chriſti vilia abluerem, hoſtiâ ſpurcitias abſtergerem. Vides hæc cœlum, & pateris? Lingva ſceleratiſſima quid agis! *in quem Angeli deſiderant proſpicere:* hunc luto obruis, privas totum ſpectaculo cœlum. Vide, ex hac lingva, quâ ſic abuteris, prodibit illud fulmen. *Ite maledicti in ignem æternum.* Actum eſt, mille ignes intenta, non ceſſabo te Deus tam indignè tractare, agit libido, voluptas pertrahit. O actum eſt! O membrum Chriſti, faciam membrū meretricis, peiùs quàm Iudas! ille accepit præmium ut Chriſtum traderet, ego inſuper dabo pretium, ſanitatem, ſalutem, famam, imò vitam, ut Chriſtum perdam. Ingemiſcite Angeli ſuper hoc conſcelerato homuncione, expedite omnia fulmina in hoc ſacrilegum caput, laxa-

te sathanam ligatum, & omnem infernum ut involet, ut vindicet facinus. Ah, abhinc, eligo, fiat hoc totum, dummodo ante peccatum, *malo mori quàm fœdari*, malo omne possibile malum perpeti, &c. 6. Nec Iudas quid simile huic summæ sanctitati fecit, tradidit impijs, sed non fecit unum cum impijs. Quid facit qui ignem aquæ miscet? quid facit qui amorem odio? Deum vis perdere, quâ Deus est, Iudas perdidit Deum quâ homo erat. *Membrum Christi, faciam, membrum meretricis?* Neq; hæ sunt aliquæ solùm piæ meditationes. Veritas est. Totum hoc expressit 1. Cor. 6. *Nescitis quoniam corpora vestra sunt membra Christi. Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit, an nescitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur.* Magnum equidem honorem debemus carni nostræ postquam illam Christus assumpsit. Vide

de hic ô miser. Lucifer se tantùm praetulit & in inferno ardet in aeternũ, & sine ulla spe. Adam voluit esse similis DEO. *Eritis sicut Dii*, & tota posteritas tot milliones hominum vapulant. Quid tu? Habet gratum spectaculum Angelus Custos: habet B. Virgo quae suum sangvinem in filio suo sic à te honorari videt! habet cœlum! sed habebit in die judicij, & totus mundus, quando omnia quae nunc veluti sub cortina fiunt, denudabuntur. Quando dicetur, *Ecce homo & opera eius.* Et ad comparandũ scelus, insignia passionis Dominicae, Crux, Clavi, &c. producentur: & ego tantis sordibus maculatus, tot indignantibus, & contra me fremẽtibus, sole & lunâ extingvente lumen suum, quasi non possint videre tantum facinus, stellis ipsis de cœlo se ad me obruendum praecipitantibus. 7. Hinc non gratis Tertull. lib. de pudicitia. *Maechia & fornicatio non*

de

de modicis & mediis delictis deputantur; sed ea sunt quæ culmen criminum tenent. Ideoq; censebat hoc crimen irremissibile esse, nec eô maculatos ad Ecclesiam unquam, id est inter Christianos admittendos, & licet lachrymas profunderent, non amplius ab Ecclesia quàm publicationem delicti relaturos in quo excessit. Certè 1. Cor. 6. S. Paulus talem tradit sathanæ in interitum carnis. Et S. Spiritus valdè difficilem veniam Prov. 6. promittit, adeòq; hoc extollit peccatum, ut præ eo alia excuset etsi gravia, & remissa quasi denunciet. Verba sunt. *Non est grandis culpa, cùm quis furatus fuerit, furatur enim ut esurientem impleat animam, deprehensus quoq; reddet septuplum & omnem substantiam domûs suæ tradet & liberabit se qui autem adulter est.* Tertull. l. c. legit. Qui autem mæchus est. *Propter cordis inopiam, perdet animam suam, turpitudinem & ignominiam congregat sibi,*

sibi, & opprobrium illius non delebitur, &c. Nota vocem *non delebitur*. Et in hac vita ita detestabatur. S. Paulus impuritatis utcunq; reos ut 1. Cor. 5. Etiam si non fuerit quis mœchus sed tantum suspectus fuerit, & nominatus fornicator, cum eiusmodi homine ne cibum sumere permisit Christianos. Et Hæbr. 6. quasi impossibile sit hoc peccatum remitti, denunciat· *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati* per fidem veram, *& gustaverunt donum cœleste* Eucharistiæ *& participes facti sunt spiritûs S.* quod fit per gratiam, *nihilominus bonum Dei verbum virtutesq́, venturi sæculi*, quarum prima est castitas (*erunt* enim *sicut Angeli, nec nubent, nec nubentur*) *& prolapsi sunt, rursum, renovari ad pœnitentiam*. Et Levit. 4. Quando in ijsdem lapidibus apparent signa lepræ debent ejici & amplius non mũdari. Christus est lapis angularis cui nos alij veluti lapides superædificamur,

mur. 8. Imò hoc peccatum videtur quodammodò esse illud contra Spiritum S. quod nec hoc nec in altero sæculo dimittitur, quia ita opponitur Spiritui S; ut dicat DEUS: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum quia Caro est & sangvis.* Quod si Christiana corpora specialiter sunt templum Spiritus S. in illis hoc peccatum specialiter erit peccatum in Spiritum S. quia qui templum polluit, in eum peccat cuius est templum. Unde meritò Tertull. lib. de pudic. in fine, asserit, potiùs debere Deum illius misereri, & illi parcere qui Deum eiuravit & fidem negavit, quàm qui carnale quid fecit. *Cæterùm indignum Deo & illius misericordiâ qui pœnitentiam peccatoris morti prævertit ut faciliùs in Ecclesiam redeant qui subando* (id est lasciviendo) *quã qui dimicando ceciderunt. Vrget nos dicere indignitas, contaminata corpora revocabis potiùs quàm cruentata?* Imò

addit,

addit. *Quis magis negavit qui Christũ vexatus, an qui delectatus amisit? qui cùm averteret doluit, an qui cùm amitteret lusit?* Et tamen desertio fidei in Ecclesia pro extremo peccato habita, nec unquam tales vel ad templum admittebantur. DEUS ipse præceptum de castitate in medio posuit inter prohibitionem idololatriæ & homicidij: Unde discurrit Tertullianus l. c. *Quale delictum iam intellige cuius cohibitionem post idololatriam ordinavit, nihil secundùm longinquat à primo, nihil tam proximum primo, quàm secundum, itaq; mœchia affinis idololatriæ. Oneravit itaq; mœchiam, quàm homicidio anteponit, &c. Idolatriæ ut loco proxima fornicatio, ita & damnatione.* Quid hic dicendum de alijs gravioribus luxuriæ speciebus, cùm infima illarũ, fornicatio tam sit enormis? Idem Tertull. l. c. *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in sexus ultra iura naturæ, non modò limine Ecclesiæ,*

clesiæ, *verùm omni tecto submovemus*, *quia non sunt delicta sed monstra*. S. Paulus 1. Cor. 6. malè habuit quòd Corynthij non oraverint pro tali qui lapsus in fornicationem, ut eum morte puniverit, ut Tertull. l. c. & S. Aug. illa eius verba. *Tradidi eum Sathanæ in interitum carnis*, intelligunt. 9. Sed quidquid sit de Tertulliani sensu in Ecclesia universa, summa erat difficultas cùm absolvendus esset aliquis impudicus, & populus universus etiam absolventi Episcopo se opponere solebat, de se ait Cypr. lib. 1. epist. 2. *Fremunt* ait *populi*, *reluctantur*, *quoties adulteri in Ecclesiam recipiuntur*, *ut labor sit populo persvadere patientiam*, *ut animi dolore sopito recipiendis malis curandisq; consentiant*, *vix plebi*, *ait*, *persvadeo & extorqueo*. Imò quidam Episcopi decreverant non esse ullo modo tales absolvendos. Ita Cypr. lib. 4. epist. 2. *Apud antecessores nostros quidam de Episcopis isthinc*

hinc

hinc in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum, pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt & addit de illis idem. *Non tamen à coëpiscoporum suorum collegio recesserunt, aut Eccl. Catholicæ unitatem ruperunt.* Et posterioribus temporibus ubi longè mitiùs agebatur, ut ipsum hoc, protestatur Concilium decimũ Toletanum, in quo res ea accidit. Potamius Episcopus Bracarensis sordidaverat se tactu carnali, idq; semel, idq; statim novem mensium carceri se inclusit, idq; coram toto concilio crimen suum confessus, & tamen usq; ad mortem pœnitentiam agere ab eodem iussus. Quia ut ait Cypr. l. c. *Multò gravior est mœchi quam libellatui causa &c. ille lupanar ingressus ad cloacam & cænosam voraginem vulgi sanctificatum corpus & Dei templum detestabili colluvione violavit,* & tamen libellatui habebantur pro iis qui abnegârunt Christum & fidem,

dem, ut idem serm. de lapsis de his ait. *Ista professio, denegantis est contestatio Christiani.* Tradat quis templũ Christianum idololatris ut in eo sacrificia fiant Deorum, ego aio, quãtò meliùs est corpus tuum lapide, tanto graviorem Deo, in impuritate fieri iniuriam. Sed graviùs urget S. Paulus Coloss. 3. *Omnis fornicator &c. quod est idololatria:* Et. *Mortificate membra vestra quæ sunt supra terram expellentes immundicitiam & concupiscentiam quæ sunt idolorum servitus.* Unde S. Cypr. lib. 4. epist. 2. *Cùm corpora nostra membra sint Christi, & singuli, simus templum Dei, quisquis adulterio, templum Dei violat, & qui in peccatis committendis voluntatem diaboli facit, dæmoniis & idolis servit.* Id. ibid. *Constat de Apostolica probatione, mœchos, idololatras esse.* Hinc cœlum intrare tentantibus in Apoc, dicitur. *Foris canes.* 10. Adverte, quòd Apostolus non simpliciter di-

cat

cat impudicitiam, idololatriam, seu cultum idolorum esse, sed servitutẽ: Quia multum ista differunt: Et tantò abiectiùs est esse servũ, quàm cultorem, ideoq; videtur etiam ultra idololatriam, hoc scelus efferre. Et quidquid sit. Veteres Christiani nõ tantoperè idololatras horrebant, quàm eos, ubi, non dico impudicitia aliqua, sed aliqua imago incontinentiæ apparebat, qualis est in secundas celebrantibus nuptias etsi hoc sit licitum. S. Chrysost. de Virginit. c. 37 *In homines secundarum nuptiarum, multa à multis & domi & in foro maledicta convitiaq; iactantur, omnes enim aditu & congressione indignos eos existimantes, non secus quàm qui iusiurandum violant, abhorrent, neq; cum illis amicitiam instituere, aut fœdus facere volunt.* Et licet in moderna Ecclesia hic rigor cessârit, tamen superest adhuc aliqua eius repræsentatio: Siquidem secundæ nuptiæ

nun-

nunquam ab Eccle ia benedicuntur.
1. Sed & Deus ipſe dum exaggeratè de idololatria loquitur, quaſi ad egregiam fornicationem appellat. Sicu i peſtes, bella, famem & reliqua mala, dolore parturientis exprimit, quòd hic ſit ſummus dolorũ. Chryſoſt. de Virgi. c. 64. *Quia tanta vis eſt eius doloris, ut intolerabilia mala, hoc ipſo ſignificentur nomine doloris, nẽpe, partûs.* Impudici vidētur quodammodo in ſe paſſionem Chriſti deſtruere, ut quoniam Deus Chriſto dedit pro paſſione gentes in hæreditatem, illi eximant ſe Chriſti hæreditati Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, quam enim partem in me haberet Deus deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis?* Id eſt nullam Chriſto autem ob meritum mortis propriè competit hæreditas.

PUN-

PUNCTUM V.

SEd non hic finis sceleris, non una persona de Trinitate, sed tota Trinitas à te pati debet. 1. Anima nostra est imago SS. Trinitatis, si ergo tu imaginem alicuius Regis vestibus scurræ indueres, si eâ purpurâ quâ milites, Christum? Et ecce hoc facis imagini, & non pictæ sed vivæ imagini Sanctissimæ Trinitatis, & longè peioribus sordibus circumdas eam, & ita illam deformas ut pro oculis, ponas basiliscos, pro naso cloacam, pro auribus sentinas, pro lingva cubile draconum &c. &c. Tibi relinquo miser homo, vide quid agis? Omnipotens est, & hic statim & in æternum torquere te potest. Perge in tuis sordibus, nulla te occasio prætereat, nulla te voluptas pertranseat, *sed scito quòd pro his omnibus adducet te Deus in iudicium.*

PUN.

PUNCTUM VI.

CYpr. de hab. Virg. *Continentia & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultûs & ornatûs honore pariter ac pudore.* Idem serm. de Pudic. *Solicitudo de pulchritudine, malæ mentis indicium est.* Et rursus de hab. *Computari non potes inter Virgines Christi qui sic vivis ut possis adamari.* Ibid. *Ornamentorum lenocinia nisi prostitutis congruunt.* Ibid. *Habitus impudicorum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum.* 2. Si te non ita tractas ac Eucharistiam, quam non tantum in sordibus non poneres, sed ne in loco minùs decenti, non es castus, si manus & lingvam non ita circumfers. 3. Sicut non poneres Christum in præcipitio ut inde cadens cervices frangeret, ita oculos tuos in aspectu aliquo periculoso, & si hoc non facis

non

non es satis castus. 4. Si aliquis aliquid impurum potest de te suspicari non es perfectissimè castus Quia Christum indutus esse debes, & nihil in te videri nisi Christus. 5. Unde neq; debet audere, te solicitare ad peccatum. 6. Nec aspectu tuo aliquis incitari ad aliquid indecens. 7. Si ipse dæmon magis te tentat quàm Christum, nondum es castus. 8. Si non ita horres hoc vitium, ut non minùs te terreat illius cogitatio quàm tuæ damnationis, nondum es perfectè castus. 9. Si plùs voluptatis percipis tangendo casu hominem, quàm lapidem & laterem nondum es in summo castus. 10. Quod si non es castus. Quantum gaudium dæmoni, Christo despectum facis. Dæmon (ut multi putant Theologi) odio incarnationis de cælis dejectus, inde homines in contemptũ Dei incitat ut carnem quam assumpsit Deus spurcitijs commaculent.

11. Veri casti & in castitate fundati, etiam à somnijs sunt liberi, vel si quid contingat, etiam tum oderunt & excandescunt. Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. c. 17. *Domine memores mandatorum tuorum etiam in somnis resistimus.* Quia ut Chrysost. serm. 6. in Gen. *Qualia solet anima interdiu meditari, talia & in somnis imaginatur & effingit.* Et hoc signum Castitatis ponit Cass. lib. 6. Instit. 10. *Si necessitas cogat ad talia descendere, non tantùm nullam voluptatem sentit, sed quendam horrorem & indignitatem vel potiùs tranquillo animo veluti ligna ac lapides tractaret, idem est quidquid audiat.* S. Macarius hom. 15. *Sunt aliqui in quibus libido prorsus desiit, extincta est, arefacta est.* Clim. gr. 15, *Hæc regula est perfectæ consummatæq; castitatis, ut ita animata, ut inanimata intueamur; imò ex pulchrarum facierum aspectu ad mirificum Dei amorem abripiantur & lachrymas.* id. ibid. *Sicut lascivi cantu*

ad

ad lasciviam, sancti ad orationem utuntur. 11. Verè castus, seu Virgo proximus esse debet B. Virgini Ps. 44. *Adducentur Regi Virgines post eam* (post B. Virginem quæ prima castitatem professa) *proximæ eius, afferentur tibi.* 12. Verè castus debet esse omninò sanctus, in omni actu interno & externo. Chrysost. de Virginit. c. 2. *Corporis & Spiritûs Sanctitas, definitio virginitatis est.* 13. Ita se gerere debet ut nec de ipso Matrimonio loqui audeat. Ita Chrysost. l. c. *Quæ liberam habuit nubendi potestatem, & à nubendi consilio abfuit, hanc ego virginem voco.* 14. Etiam lascivus, etiam ad libidinem accensus, si castum verè, aspexerit, refrigescit, & ad virtutem movetur. Idem Chrysost. eodem libro c. 63. *Tantâ virgo gravitate circumfluit; ut vel intemperantes cum illam diligenter aspexerint, pudore erubescant & suum furorem remittant.* 15. Ut id. ibid. *Ita comparata est, ut*

lacrymas semper effundere, risum edere nunquam possit. 16. Iuxta eiusdem doctrinam non solùm à carne, sed à terra ipsa se abstrahit, Ita ibid. c. 76. *Quid igitur? virgo multa pertractat & iis quæ ad vitam pertinent, distenta curis, quæro an virginitatis laudem retineat? minimè. Non, non nupsisse* (solùm) *virginem constituit, sed ad id præterea opus est animæ integritas, integritas inquam, ea quæ non solum pravis ac turpibus voluptatibus, ornatu corporis, reliquisq; rebus supervacaneis vacua sit, sed terrenis etiam curis libera.* Christus Dominus ne post resurrectionem à fœmina se attingi permisit. *Noli me tangere.* Licet viris diceret *Palpate manus & pedes meos.* P. Lamparter in Libello de præstantia gratiæ fol. 117. *Vsque adeò Spiritus S. carnem omnemq; affectionem carnis aversatur, ut scribant SS. Patres necessarium fuisse sacratissimam carnem Domini discipulis auferri in cœlum ut Spiri-*

tum

tum S. possent accipere, si enim non abiero Paracletus non veniet. Ioann. 16. Ultimò addo quòd si Thom. opusc. 64. *Panis & aquæ satietas est timenda, ut possit in nobis acquisita puritas permanere*, non solùm aliorum ciborum.

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM QVARTUM.

Fides.

PUNCTUM I.

IN multis fides est falsa, *ore confitentur se credere Deum, factis autem negant.* Talis fides est illusio Dei. 2. In multis mortua, *sine quibus mortua*, tam parùm iuvat ac mortuus homo, tam grata Deo ac cadaver, imò potiùs talem hominem aggravat, ad damnationem quàm iuvat. *Sciens voluntatem Domini sui, & non faciens vapulabit multis.* 3. In aliquibus in-

firma: faciunt quidem quod alij fideles, sed ex consvetudine quadam, sine fervore. 4: In alijs viva, eius hæc signa erunt. Quæ sequentia dant puncta. Interim. 5. Quod in rebus naturæ homini habitus principiorum, hoc in supernaturalibus fides, & in multis quasi contraria intellectui, certè & superiore docet, unde est principium operationum in ordine supernaturali. Iac. *Iustus ex fide vivit.* Si ergo ille habitus in te periret, quid de te esset? quando turbatur per amentiam, quanta in rebus naturæ dissonantia; eadem in ordine supernaturali quando fides ægra, ut amentes faciat coram DEO: ideò vocantur peccatores stulti, ideò tam stulta loquuntur & cogitant in praxi circa res spirituales.

PUNCTUM II

QVi habet vivam fidem ita credit, imò magis quàm si videret, atq;

atq; audiret. Hinc tecum cogita. 1. Si Christus ad te veniret in persona & rogaret ut illi dares eleemosynam, faceres ne? Ecce pauper est, de quo Christus *quod uni de his fecistis mihi fecistis.* 2. Si ante te poneretur infernus ut eum inspiceres iam iam detrudendus: An cogitares aliquid lascivum? Si semel peccasti mortaliter, ante te infernus apertus. 3. Si videres Christum in cruce petentem potum, *sitio*, surgeres ne & ires? Ecce petit ut ab hac cogitatione mala desistas. 4. Si Christus ad te veniret irascererisne illi, etiamsi te argueret, *qui vos spernit me spernit.* 5. Si te invitaret ut eum sequereris euntem ad cœlum, nunquid de vanitatibus, ornatu vestium ageres &c. & non potiùs occasionem acceptares; ecce vocat, *nunc est tempus acceptabile, dies salutis.* 6. Si tibi diceret nisi desistas ab hoc peccato quod ordinariè perpetras non intra-

bis in cœlum, dicit: Facisne? 7. Si in medio foro totis diebus concionaretur, an saltem velles semel de die accedere illum? Ecce est in Eucharistia, visitasne? 8. Si vellet tecum colloqui suaviter vellesne audire? Ecce dum oras loqueris tu illi; dum legis, ille tibi. 9. Si tibi aliquid svaderet ex intimo erga te amore, vellesne facere? Ecce ex eodem amore dat tibi tot instinctus, exequerisne? 10. An si detracta sibi veste te vellet induere & sic DEO Patri præsentare, ut te veluti Christum suum acceptaret, vellesne? Christi vestis est innocentia contumelijs calumnijs affectá, Quàm ægre fers si tibi vel minimum falsò imponatur! 11. Si tibi sicut Catharinæ Senensi cor suum daret, ut illi tuum traderes, vellesne? En tradit se totum in Eucharistia, & rogat. *Fili præbe mihi cor tuum.* Id est de alijs rebus non cogita. 12. Si tibi sicut Sancto

Fran-

Franciſco vellet imprimere cicatri-ces, ſuſtinereſne? At minima pro DEO pati non vis! 13. Si ad tuum cubiculum veniret, cedereſne loco, an ejiceres, rurſus in crucem agere? Venit in Euchariſtia, agis in crucem ſi peccas mortaliter, in faciem exſpuis, ſi venialiter: alapâ cædis ſi irreverenter agis. 14. Si tibi daret ſuum caput & cerebrum ut eo utereris, velleſne illo ſpreto potiùs de ſordibus & carne cogitare. In Euchariſtia *re ipsâ nos facit ſuum corpus:* *Chryſoſt.* in *illum mutamur.* Aug. 15. Si manus ſuas tibi daret velleſne hæc vel illa his tangere &c. S. Paulus, *vis ut membrum Chriſti faciam membrum meretricis? Quicunq; baptiſati eſtis Chriſtum induiſtis.* 16. Si te rogaret ut illum crucem baiulantem iuvares? quaie non iuvas proximũ, imò ſi accidat aliquid mali gaudes, & tamen te dicis credere: dicis te

Christianum, vide ne sis impostor. Sicut qui se appellaret Regem, & non esset, doctum, non esset. Deducetne te hæc tua fides in cœlum?

PUNCTUM III.

SI in Eucharistia infantem Christum videres ad te svavissimè properātem, an cum tali devotione ires? & tamen certiùs est quod credimus, quàm si videremus. 2. Si ex inferno ad te venirent, & unus, à 1000, alter à mille, tertius à sex mille annis, & dicerent se damnatos, & non exituros ob unicum mortale quod tu habes, an non timeres? certiùs est te damnandum nisi pœnitentiam dignam egeris. 3. Si esses positus inter summos thesauros & diceretur tibi, quòd adhuc sis centum annis victurus, sed nihil habiturus nisi quod ex his thesauris acciperes, interea nescires quando ab illis thesauris amo-

amovendus esses, an post horam, quadrantem, diem unam, & tamẽ thesauros tibi non congregares: an crederes, etsi diceres te credere? si tamen iocis, nugis te occupares? ecce in vita hunc habes thesaurum. Post mortem, si modò non congregas. Ps: *Circuibis civitatem & famem patieris ut canis.* 4. Si quis tibi diceret da unum obolum, vel per quadrantem in vinea labora, & eris Imperator; si nolles an crederes illi? *Ecce momentaneum est quod æternum gloriæ pondus operatur.* 5. Si in te aliquas gemmas pretiosissimas projiceret, ornaret, an offendereris, si crederes gemmas esse? omnia quæ iniustè patimur gemmæ sunt. Si esses in una camera cum alijs novem, diceretur ex vobis novem occidendos qui semel peccârunt, an non timeres? at pauciores salvantur quàm decimus. 7. Si in mensa aliqua esses & inter decem fercula essent quinque

venenata, an avidè, inconsideratè comederes: dimidia pars rerum mundi, sunt venenum animæ & nisi DEUS illustret errabis in illis. Quare non ita rogas, vel non expectas donec illustret sicut in tali mensa positus. 8. Si redires ex inferno, in quo vidisses pœnas, talemne pœnitentiã ageres? tamen quod credis, certius est. 9. Si positus in carcere fœtidissimo ob nummos tres, nec exiturus donec illos exsolveres, adhucne plùs debiti contraheres? *Non exibis homo, donec reddas ad novissimum quadrantem.* 10. Si te dæmones in catenis ad infernum traherent, & Christus Dominus se ostenderet volens opem ferre, respiceresne illum? Ecce opem fert in confessione, tu nec respicis si differs; ecce talis fides, & tamen *sine fide impossibile est placere Deo.*

PVN.

PUNCTUM IV.

SI per anguſtam portam eſſet eundum, adhuc ne te ſarcinis obrueres? Ecce *anguſta porta eſt cœli*, quid te divitijs oneras, & illas appetis? Quàm ſtultus eſſet qui ſe vellet ſpinis obruere& totas ciſtas implere, At *divitiæ ſunt ſpinæ*? 3. Qui ſe volutaret volens in luto cum porcis, at tales ſunt cogitationes carnales. 4. Qui videns centenos ante ſe, unum poſt alium à latronibus occiſos, adhuc eòdem iret. Hàc viâ quâ pergis, ad infernum multi venerunt. 5. Qui te ſcinderet, vulneraret, dum modo te nollet mactare, quàm eſſet amicus? Talis qui ſolum mortale timet venialia contemnit. 6. Qui vento ſe mallet ſaturare, habendo cibos, quid honorem, locos primos, humanam æſtimationem appetis? Venti ſunt, habes præparatam Dei gloriam & cœlum.

cœlum. 7. Qui mallet luto & fimo vesci quàm cibo pretioso. Ezech. *Qui induebaris croceis & auro & omnis lapis pretiosus vestimentum tuum nunc amplexatus es stercora* si peccata eligis. 8. Qui per aquam vellet ire relictâ navi, sic quoties relictis consilijs confessariorum tuam voluntatem sequeris. 9. Qui fame moreretur, & cibos nollet tangere, quos ante se haberet, quare opera bona non agis, animã famelicã esse finis? 10. Qui admissus à Rege in filium eâ conditione ut tantùm non ederet cum porcis siliquas, recusaret Regnum. Sic à DEO admitteris ne pecces, & non vis. 11. Cui diceretur in hoc loco esse maximum defossum thesaurum tantum pede terram moveret eruendum, & ille esset in summa paupertate, & nollet? Sic nos per minima, per paululum porrectum frigidæ summos thesauros in cœlo sortimur, & nolumus. 12. Qui moribun-

bundus medicinas ſvaves aut certiſſimas differret aut nollet acceptare quare confeſſionem ſeriam differs? Si ergo prædictos iudicabis credere ſibi dicentibus: Et te potes iudicare te verè Deo credere.

PUNCTUM V.

Quid de alijs veritatibus fidei? *Si oculus tuus ſcandalizat, erue eum & proiice abs te.* 7. *Niſi efficiamini ut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* 3. *Theſaurizate vobis &c. ubi nec fur, &c.* 4. *Dicet montibus cadite ſuper nos, & collibus obruite nos.* 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur, Beati qui lugent, Beati eſtis cùm vobis omne malum fecerint.* 6. *Si quis te percuſſerit in dextrã maxillã præbe ei & ſiniſtram.* 7. *Niſi converſi fueritis &c.* 8. *Qui non tollit crucem ſuam & non ſequitur me non eſt meus diſcipulus.* 10. *Diligite inimicos: omne gaudium exiſtimate cùm in varias*

ten-

tentationes incideritis propter me. 11. Si credimus & quidem eâ fide, quâ DEO dicenti credere par est. Quis, cùm nihil horum agamus, verum nos loqui putabit? si credimus: ostendamus factis. 12. Dæmones. Iac. *credunt & contremiscunt.* 13. 1. Ioan. 2. *Qui dicit se nosse Deum* (Id est fidẽ habere) *& mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est.* 14. Si tibi gladius collo applicaretur, si fame enecareris & reliqua omnia mala perpeti cogereris propter Deum; & si timeres, non habes fidem. Cypr. lib. 4. Epistola 4. *Nihil horum potest â Christo separare credentes, &c.* de dupl. Martyr. *Nullus deficit in tormentis nisi fidei defectu.* 15. Si verò non credis non salvaris, sed in errore esse sineris sicut & damnati qui Sap. 6. *Ergo erravimus* in inferno gemunt, non credis autem, si non ita operaris ut te credere dicis Cypr. de simpl. Pr. *Credere se in Christum quo*

modo

modo dicit? Qui non facit quod Christus facere præcepit, aut unde perveniet ad præmium regni, qui fidem non vult servare mandati, nutet necesse est & vagetur, & spiritu erroris arreptus, velut pulvis, quem ventus excipit vẽtiletur, nec ambulando proficiet ad salutem, qui salutaris viæ non tenet veritatem. Et tamen fideles & tamen Christiani dici volumus, cùm tam procul ab hoc nomine absimus: nonne hoc est esse ex patre diabolo, qui *se transfigurat in Angelum lucis.* 16. Cypr. serm. de Cœna Domini. *Quod esca carnis, hoc est animi fides.* Sed ut idem de dupl. Martyr. 2. *Nunc fides multis natat in labiis cùm in corde aut nulla sit aut vehementer langveat.* Ambr. *Fides mortis damna non patitur.*

PUNCTUM VI.

QUi verè credit mavult mori, quã vel à minima Ecclesiæ ceremo-

nia

nia dissentire. 2. Gaudet summè, se esse Ecclesiæ Filium. 3. Nunquam causas ullius facti fidei petit. 4. Reverentius se gerit ubiq; quàm si Deum oculis videret quia certius est quod credit. 5. Nunquam tepescit in usu Sacramentorum. 6. Demùm, non est Catholicus qui vel in uno iota ab Ecclesia dissentit.

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM QVINTUM.

Iudicia Dei occulta.

PUNCTUM I.

1. IN tribus fundantur. Iustitia, Sapientia, Bonitate, inde fit quòd hos dejiciat, alios elevet; ad fines media quasi disparata ordinet. Ita *misericors ut* pro uno suspirio det cœlum, pro uno *peccavi* etiam maxima peccata dimittat, pro uno poculo

culo aquæ frigidæ præmietur. Singulos motus propter se factos observet & notet ut solvat, passus Angelos iubeat numerare, quietem ipsam & cogitationes ad se directas remuneretur. Sceleratos toleret, se blasphemari patiatur; in suis servis, in Eucharistia indignè affici, sibi consecrata bona eripi, sibi servientes caros vexari, ita deniq; se gerit, ac si ad illum vindicta non spectaret, imò ac si non esset. 2. *Ita Iustus* ut singula puniat, verbum otiosum, motũ, aspectum, cogitationem, idq; sæpe alijs occasionibus ut in vita S. Ephrem unus accusatus de homicidio qui aliquando hominem lapsum in aquam, mergi sivit. Alter de adulterio falso, sed aliquando sororem eius criminis coarguerat: Ipse Ephrem de invasione opilionum, quia bovem hominis pauperis occiderat. Ipsas iustitias exactissimè examinat seu virtutes. *Ego cùm accepero tempus*
iusti-

iustitias iudicabo. Ita rigide ut etiam eius amici vix salventur: Ut omnes trepident, desperent de sua causa & ad misericordiam refugiant. *Non intres in iudicium cum servo tuo*, orent. *Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: Ut alienam offensam & iniuriam reputet suam, & ut suam vindicet, *mihi vindictam & ego retribuam.* 3. *Ità sapiens* ut ex ipso malo quale est peccatum eliciat bonum & non permitteret mala nisi prævideret bona ex illis Cyp. de dupl. Mart. *Interdum piorum hominum lapsus quamvis enormes divinâ dispensatione vertuntur in summum Ecclesiæ profectum.* Omnia scit, futura illi sunt præsentia, scit si in hac occasione poneretur homo peccaturusne esset, an non. Si superviveret infans qualem vitam acturus, si hic affligatur quid gesturus: Præcavet ergò quæ nos non advertimus futura; & ordinat quæ non præcogitamus.

PVN-

PUNCTUM II.

1. QUid ergo dicimus, quando miramur. Ecce hic vir bonu opprimitur, illi malo bene succedit. Putas, DEUS hoc fieri ignorat, sine illo fit? Si cum illo. bene fit, sapiens est scit hunc hâc viâ salvari posse, illum aliâ, in hoc peccata occulta punit, in altero bona opera in hac vita remuneratur. 2. Labitur quis in peccatum, permissio Dei est. Diu vixit sine peccato, citiùs lapsus salvabitur; misericordia hæc Dei est. Permisit DEUS peccatum ut superbiam expelleret. 3. Solicitaris quod moriatur amicus, si supervixisset, fortè ad infernum te deduxisset, vis ut credamus magis te tuum bonum amare quàm amet DEUS, magis te sapientem esse? Præponis te DEO. 4. Non impleretur numerus electorum aliter. 5. Si DEUS sic ageret

ret ſicut nos, ſæpe erraret. Aliter ergò agere debet ut non erret, quod intellectum noſtrum excedit. 6. Nec universum aliter ſervari poſſet, ſi primò videres in horologio deſcenderet pondera, deſtruì illud putares, hæc vita eſt horologij, ſine hoc valorem & uſum perdit. Sic ordo mũdi ſervatur, ſic electis cælum impletur, in bonis occulta vitia purgantur, malis ut emendentur parcitur. 7. Accuſemus ergò ſortem, caſum, mortem, infamiam, queramur de malis, quorum cauſas non videmus, ſapiens eſt, iuſtus eſt, miſericors eſt, qui hæc ordinat. 8. Miratus fuiſſes ſi vidiſſes Iobum, ſi Tobiam affligi, ad ſublimem gloriam parabantur. Si Aman elevatum, Antiochum, nec prævidiſſes hoc ordine ad ſupplicia pergere.

PUNCTUM III.

1. O DEUS mi, egone velim te eſſe ſapientior, claudo oculos &

cæcus esse in tuis manibus volo ut ducas me quibûsvis vijs ad salutem quia misericors es. Nolo te sapientior esse. Non accusabo infortuniũ tolerabo, deosculabor tuam pietatem, magis me amas quàm ego me. Non potes nisi bonum meum velle: Pro mea salute mortem asperrimam subijsti, cùm ego pro illa ne pœnitentiam levem sustineam. Resigno me; ure, seca, cæde: Certus ero quia bonum meum iustitiam tuam quæris. 2. Murmurabis caro quia premeris, quia morbo affligeris & dolore, sanat te. Querêris quia accusaris iniquè, puniris, diffamaris, veteres tuas iniquitates in te Deus castigat, ut nihil igni¦maneat. 3. Scio Domine, ipse mihi officio ne salver. O si totus mundus se in manus tuas resignaret, totus certè & in alto gradu salvaretur. 4. Non alia me lege regi volo quàm tuâ voluntate, in manu tua omnia mea. Sit a[illegible]itas

in

in oratione dummodò persistam. Afficiar dolore dummodò patienter sustineam, obloquantur dum persecaram, consurgat dæmon, mundus caro, dum vincam. *Auge dolorem, auge amorem*. Hoc peto, hoc supplico in aliis me non audi sed *pone te ut signatulum tam super cor meum*, quàm supra brachia mea.

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM SEXTUM.

Praxis Dei cum hominibus.

PUNCTUM I.

1. NUllum adhibet ad agendum aliquid insigne pro suo nomine cum eius salute, nisi qui aut revera, aut in sua persvasione vilis est. Cor *Elegit abiecta mundi*. 2. Antequam aliquem extollat, permittit confundi, affligi, insigniter, ut homo

mo plane se despiciat, ac sibi displiceat. 3. Antequam aliquem graviùs puniat, unam superbiam, sui æstimationem, in agendo præsumptionem contemptum aliorum, permittit in eum irrumpere. 4. Media contraria ac sæculi iudicio improportionata adhibet. Ut in Iosepho, venditioné in Ægyptum ut Patrem dé hinc aleret: in S. Ignatio vulnus &c. per cædem MM. fecit propagationem fidei. 5. Quos ad aliqua peccata aut vitia extirpanda admoturus, aut in aliquibus virtutibus excellentiam daturus, cum eorum contrarijs conflictare permittit. 6. Certis statibus certa media tam quoad temporalia quàm æterna conquirenda assignavit, & si alijs modis procedant non habebunt successum. Hæc religiosis in regulis suis præscripta, & alijs statibus proportionata. Si sæcularis agat nil acquirat é contra regularis per media. 7. Cùm quem vult di-

tare,

tare, facit priûs liberalem in pauperes, quem subitò depauperare aut sensim deficere, permittit tenacitatem. 8. Quos conversurus aliquando, etsi interim pleni sint vitijs aliquam in eis virtutem conservat, & plerumq; negat successum in malo, ut facilè deprehendantur, puniantur, alijs omnia impunè cedant. 9. Quando permittit aliquam hæresim, aliquem doctum & pium excitat. Et quò maiora sunt peccata aliqua; eò aliquos in oppositis illis virtutibus illustriores facit. 10. Per quos concionatores est conversurus plurimos eos ipsos aliquod vitium intra concionandum habere sinit, ut sibi displiceant. 11. Negotia non suo loco acta ut in templo profana, nec suo tempore, non succedunt. 12. Cum aliquid alicui non successurum, permittit in eo habere miram complacentiam.

PVN-

PUNCTUM II.

CUm permiſſurus aliquem labi in egeſtatem, permittit avaritiam bonorum Eccleſiæ & pauperum rapinam. 2. Cùm mala publica immiſſurus, aut ſingularem pietatem in populo, aut ſingularia ſcelera. 3. Cùm pœnam quam intentat condonaturus, homini dat humiliationem ſui & orationis guſtum. Ut Ezechiæ Regi, ut Ninivitis &c. 4. Nullum hæreticum aut fraudulenter agentem ita ſinit contexere fraudes, ut aut in magna abſurda non incidat, aut in conſequentia non erret. 5. Quando aucturus ſpecialibus donis zelum ſui honoris, & ut eius curæ prima ſit in corde hominis, accendit. Cùm per impios punit bonos per Gentiles Chriſtianos, rurſus ipſos per ſeipſum punit, aut alios impios: nec victoriâ lætari permit-

tit. Ut Bethsamitas postquam Iudæos afflixissent. 7. Cuiq; aliquam stultitiam reliquit, & in arte imperfectionem, ut se humiliet. 8. De quo iniuriâ afficiente alios, gravem sumpturus pœnam: dat insignem patientiam, & amorem inimicorum afflictis ab eo. 9. Quos afflictos citò sublevaturus donat eis patientiam, ut Iobo, Davidi expulso à filio. 10. Quæ concessurus est, facit animum ad illa petenda. 11. Non solet dare hominibus quæ ad illos non pertinent, etsi hæc petant. 12. Nec illa concedit, si homo non quantùm in se est, laboret, vel non cum ijs agat, de ré illa, ad quos pertinet. 13. Quando aliquam communitatem est dispersurus, mortibus varijs priùs viros probos, doctos, &c. tollit. 14. Cùm nova beneficia concessurus, excitat in homine gratitudinem pro antiquis. 15. Quos vult tutos à diaboli fraudibus reddere, in eis metū

frau-

fraudum, ac diligentiam excitat, & unam sui diffidentiam. 16. Quæ quis maximè appetit & inquietè, ea ubi consequitur, Deus aliquo amarore aspergit. 17. Qui ipsi lapsuri sunt in aliqua mala, aut permittit illos gaudere de inimicorum malis aut inclementer illis indignari. 18. Quos ad alium statum ordinavit, in alio successum etiam temporalem negat, si eum eligant.

PUNCTUM III.

QVos Deus in multis viliores fecit, in aliquo dedit excellentiam in rebus naturæ, patet hoc in cæcis, claudis &c. 2. Quoslibet solùm ad certos effectus, tam in genere naturæ, quàm moris ordinavit, ut si alia faciant, vel aliter eadem, nullum successum habeant. 3. Cùm vidit aliquos in peccata lapsuros, eorum lapsibus utitur vel ad excitandos

alios bonos, uti hæreses permittit, ne ruditas Ecclesiam occupet: Vel ad salvandos uti Tyrannos, multi enim Martyrum non salvati fuissent, nisi fuissent occisi. 4. Quibusdam dat instinctum quædam desiderandi quæ nunquam concessurus, sed ut hôc desideriô mereantur, sic multi sancti petierunt martyrium, quod si illis obvenisset, fortè in illo defecissent. Et hâc industriâ utitur circa electos ut appetant ardua, & ille occasiones eorum submovet. Sic multi ægri ire ad Barbaros, ut eos convertant, concionari desiderant. &c. 5. Ubi immissurus bella dat priùs fertilitatem, & ante plagas, suas dispositiones ponit, quas peccatores reputant gratias. 6 Via hæc ad ruinam, qua reprobos labi sinit, levia contemnere, gravia excusare, & facere ex illis levia: tandem & ipsa contemnere, & pudorem in illis perdere; tum iudicium corrumpitur,

tur, ut amarum videatur dulce ut dulce amarum: Vt peccata crassa reputent nihil esse. Quos ad salutē ducit, parva metuunt: Se ipsos magis excutiunt: Et plura in se advertunt, & ea videntur illis maxima: Tum iudicium acre & prudētiam in rebus spiritûs, ut minimos etiam in ipsis iustitijs nævos advertant. 7. Finem maximè celat DEUS ob quem aliquid facit de homine, & primo hic in effectu patet: 8. In multis ut in thesauro sua bona reponit, ut tamen non plus illi de ipsis sciant quā cista, ut murus de auro, & aspicientibus lapides videantur tantùm aut ligna. 9. Quosdam tantùm inaurat, etsi intùs sint lutum, & cùm videat eos, donis suis & zelo abuti ad superbiam, in temporale præmium eos adhibet instrumenta magnorum operum & tandem in fine frangit, & ostendit quales fuerint: Et sic laboribus illorum quos immensos pro

vanitate faciunt ad bonum utitur. 10. Conditiones disparatas assignat, aut res minimas sæpe tam quo ad æterna, & salutem, quàm temporalia consequenda. Ut Abràham, si non immolare voluisset filium, non multiplicâsset eum in gentem magnam. Elisæus non habuisset spiritum Eliæ, ni vidisset Eliam ascendentem in cœlum. 11. Certum spatium assignat laboris, sibi soli notum, quo si se quis seriò saluti suæ applicet, de cætero nullum negotium habiturus. 12. Quosdam errare sinit, malos instructores habere, decipi, & sic illos ad magna bona salutis & sæculi venire, ad quæ aliàs non venissent. 13. Quosdam puniturus pro peccatis aliâ occasione & fortè dum aliquid boni faciunt, punit. Sic 3. Regum 11. Ieroboam insurgere permissus contra Salomonem ob eius peccata, quia Salomon ædificavit Moloch. & coæquavit voraginē civitatis.

tatis. 14. Quò quæ communitas re-
ligiosa servit Deo ferventiùs, ampli-
ùs illi providet in temporalibus; &
quò austeriùs vivit, plures ad illam
vocat. 15. Quò plures in regno casti-
tatem colunt, eò numerosior popu-
lus. 16. Cùm collaturus aliquod bo-
num insigne; tum alienissimo tem-
pore, vel dum es in angustijs, im-
mittit ut à te importunissimè v. g.
pauper eleemosynam petat &c. per
quam merearis illud. 17. Quosdam
vult ut aliquid desiderent, non ta-
men exequantur, ità uti David tem-
plum vellet ædificare. 18. Per quæ
quis peccat per eadem punit. Exod.
1. Pharao filios Iudæorum mergebat,
ille submersus. David, Uriæ Uxorē
constupravit, ejus uxores Absolon,
David Uriam indirectè occidit, de
domo David gladius non exivit. A-
donisebec regibus, extremitatibus
manuum & pedum amputatis micas
sub mensam projiciebat, idem ipsi
 factum,

factum. 19. Sæpe Deus instigat ut contraria velint v. g. ut unus conferat honorem, alter non acceptet, unus spiritu alio, alter alio ducatur & invicem sibi sint molesti. Et se in patientia exerceant mutuò.

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM SEPTIMUM

De pietate erga defunctos.

PUNCTUM I.

1. EOdem modo in Dei iudicio damnatur, qui occidit, atq; qui cum potuisset iuvare, ne aliquis moreretur non iuvit, ut patet ex revelatióne, quam habuit S. Ephrē de incarcerato insimulato homicidij, quò itaq; graviori morte, atq; cruciatu finis aliquem torqueri, graviùs peccas: atqui gravissima supplicia purgatorij; & nos facilè iuvare pos-

ſumus Et S. Ambr. ait idem eſſe hominem famentem non paſcere, ac fame occidere, *non paviſti, occidiſti.* Quid ſi tu? Non liberaſti torſiſti, & tamen ab ijs iudicandus es, cum ijs in æternum victurus. Tertull. lib. de Baptiſ. c. 17. *Reus erit perditi hominis* (non baptiſans) *ſi ſuperſederit præſtare quod liberè potuit.* Obligamur ſub peccato ſuccurrere patienti extremam neceſſitatem: an non extrema illi ubi quis in ſartagine uritur, in veru aſſatur? & quid ſi tu cauſa illi pœnæ fuiſti? ut parentibus qui pro te avariùs colligebant, ſocijs quos ſeduxiſti? &c. &c. Quidſi tui illi affines? iam contra pietatem insuper peccas: & ut pecces contra iuſtitiam legalem, ſatis eſt quòd ſint ex eadem Eccleſia cuius communionem profiteris. Profectò ſi videres corpus tui parentis à canibus raptari & carnifice laniari poſt mortem, nonne ageres? nonne ſepulturam

honestam curares? hoc ibi fit animæ, quæ infinitè ferè melior corpore Bestiæ se iuvant invicem? an non tu peior bestiâ, si id negligis? an nõ contra iura naturæ delinquis? Adverte insuper hoc opus, omnia misericordiæ opera continere. Hic pascis esurientem, operis veste gloriæ nudum, visitas in carcere. Quodsi propter unum opus bonum neglectũ rejiciuntur à DEO multi, propter factum admittuntur, vide ad quos veлis pertinere. 2. Præponis iumentũ animæ defuncti, si cadat illud sublevas. Imò ipsi DEO præponis. Quia ille dicit, *quod uni de his minimis fecistis, mihi fecistis.* Aut non credis, & infidelis es. Si credis quomodo id facis quod Gentiles, illi idola DEO, tu iumentum præfers. 3. Quomodo in pietatem peccares si parentem voluntatem se in flammis, sineres uri, cum illum dicto uno *Pater noster* posses liberare, Ecce clamat ad te, &
vi-

vivos. *Miseremini mei, miseremini mei*, imò miseremini vestri, quia hæc impietas vobis impunè non abibit. 4. Si per tuas preces liberabitur ex eo carcere; putas, immemor erit beneficij, imò prima gratia quæ illi offeretur, ut petat, erit tuum bonum; pro te perpetuò exorabit. Fundant alij in terris Monasteria virorum piorum, ut pro illis orent, funda tu in cœlo, ubi certiùs exorabunt. 5. Quantâ te excipient lætitiâ, ubi ad eos in cælum veneris, quantâ solicitudine agent, ut in purgatorio non detinearis? 6. Angeli omnes gratiam tibi referent, quia illorum gaudium perficis, illorum civitatem per malos semirutam, instauras. Sancti etiam alij gratiam tibi habebunt, & ipse Christus, qui quàm primùm eos desiderat esse in cœlo, uti fructũ sangvinis: sed non vult liberari, nisi per preces vivorum. 7. Quando iudicium in morte tua de te instituetur

tur quos tunc meliores experieris Patronos: qui tuam ardentiùs causam agent? nisi Beatos ingratitudinis damnare velimus. 8. Hic probamus quantum DEUM diligamus, si amicis eius afflictis subvenimus. 9. Pro illis Christus orabat iuxta Augustinū, quando orans tertiò, in horto sangvinem sudabat, agonizabat: affer opem Christo, iunge tuas preces illius, non desere eum orantem. Gratiorem illi rem præstabis, quàm si cum Angelo eum solareris. 10. Si dares millionem unum in eleemosynam, crederes te magnum quid fecisse pro peccatis & ea iuxta Danielis consilium Dan. 4. redemisse: quidsi dares regnum? quidsi decem, centum, mille regna? atqui das cælum animæ illi, quod maius his mille regnis, das alicui animæ pro 10. 20, 50. &c. pro tot nimirum annis, quot esset passura, in purgatorio, quibus temporibus non longiùs possent

frui

frui regnis pauperes, quibus donares ea 11. Si verum est: quò maius damnum quis infert alicui, quem iniuriâ afficit, eò magis peccat. Si è converso verum: Quò maior eleemosyna quam das eò plùs mereris: Certè visio beatifica quam largiris animæ purganti, cùm sit ferè infinita, infinitè ferè mereberis: iam verò si tantò meliòr eleemosyna, quò magis sancto datur, ut docet Bellarm. Conc. 1. de morte. Cùm illæ animæ sint sanctissimæ. Itaq; gratissimam facis eleemosynam.

PUNCTUM II.

B*Eati misericordes quoniam misericordiam consequentur*, Aug. lib. de vita Christiana. *Quisquis non fuerit humanus, pius, hospitalis, benignus, clemens, gehennæ non evadet incendium*, & confirmatur ex Matth. 24. *Esurivi* &c. ego putabam solùm eum meri-

turum

turum purgatorium, qui mortuos deserit. Aug. amplius ut cogitetur, dat occasionem. 2. Imó *Ite in ignem æternum* Esurivi &c. quia neglexerũt opera misericordiæ corporalia: quorsum ibunt qui negligunt spiritualia? Quantò corpus spiritu inferius! 3. Quid si pro ignoto iacente in fimo, quia illi non subvenisti ibis in ignem æternum, quid si pro Patre, Fratre ardente in igne. 4. *In qua mensura mensi fueritis in eadem remetietur*, 5. Terribilius est illud. Pepercerat servo dominus omne debitum, quia ille in conservumnon usus misericordiâ, etiam illa quæ remiserat revocavit, vide ne tu in fabula agaris. Terribile: Etiam peccata quæ indulsit revocavit, & ob illa punivit, multò minùs de novo condonaturus. Et tamẽ additur *sic faciet & vobis Pater cœlestis*. Parum autem refert projicere aliquem in carcerem, aut ex eo cùm possis non liberare, cum utrobique

æque

æque immisericordia. 6. Orabunt pro te olim mortui, putas statim tibi applicabuntur ea pia opera & non potiùs dicetur? *Etiamsi David & Iob & Daniel oraverit non exaudiam. Misericordiam volo non sacrificium.* Olim, cùm in templo pro mortuo oraretur, Crucifixus avulsis à cruce brachijs aures obturavit, solâ voce adiectè: *Non audivit, non audiam.* Non audis è purgatorio clamantes: *miseremini mei.* Non audiet Deus clamantes, *miserere ei.* 7. Aggravat & illud quod corporalia opera misericordiæ, cum aliquo quasi damno nostro temporali facimus: ut erogando eleemosynam &c. hic verò nullum penitùs damnum accipis, imò quia Charitas maximè meritoria, dum oras pro illis, charitatis actus exerces, & plùs mereris. Quid si pro illis omissis. *Ite in ignem*, quid pro his? 8. *Qui irascitur fratri reus erit gehennæ*, dic te non irasci. Certè illis

lis nil peius iratus potes facere. Dic te non irasci & aliquem in horrido carcere desere. Dic te non irasci, & non sine ex equuleo deponi, ex igne eripi; gloriari de hac clementia, de hac pietate de hac humanitate, hospitalitate & revoca tibi quid initio huius puncti Aug. dicat & quid Iacobus c. 2. *Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam.* 9. Quid si Frater Christi & B. Virginis esset in his pœnis nonne misereris? & quod præmium ab his sperares. Atqui verè ita est, Imputat Christus sibi factum etiamsi pessimo fiat propter illum, quid si optimo.

PUNCTUM III.

QUodsi Charitas est fundamentũ in quo universa lex & prophetæ: Si hanc non habueris nihil habes. 2. DEUS *charitas est*, à charitate discedis Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum ut dili-*

diligatis invicem de gravi materia & graviter præcipitur. *Qui non diligit manet in morte.* 3. Aug. lib. de laudibus charitatis. *Nec dubitari ullo modo potest, quin templum Dei sit in quo habitat charitas, ubi à te* charitas recedit, audientur voces, quales ante eversionem templi Ierosolymitani, *Excedamus hinc, excedamus*, hoc Angeli, hoc specialis Dei protectio, hoc SS. Patroni dicent, 4 Quò miser convertes oculos, ubi ipse ad purgatoriũ deveneris, si tamen ob hanc tuam inclementiam veneris: Non ad cœlum. Nullus est ibi, cui misericordiam præstiteris. Non ad Angelos. Nullum ex his gaudio affecisti, imò in mærore detinuisti. Non ad superstites in terra. Iusto enim Dei iudicio non erunt hi clementiores erga te, quàm tu fueris erga alios. 5. Ergo statue finem impietati tuæ, decerne ab hac hora certas preces, certas eleemosynas &c. Docent Theologi

pec-

peccare mortaliter qui in extrema necessitate constitutum non iuvat, imò si quis cum posset sine suo incommodo, non largitur eleemosynã etiam non extremam necessitatem patienti. At tu cogita si non in extrema necessitate sunt illæ animæ, si non sine tuo damno iuvare possis? 6. Longè est opus nobilius iuvare defũctos, quàm dare eleemosynam, quia nobilius opus misericordiæ, quia ex maiori miseria liberat, itaq; omnia quæ de Eleemosyna *Solilоq. de Operibus misericordiæ* leges, talis nobiliore modo consequitur. Item præstantius est opus orare pro defunctis quàm pro existentibus in peccato mortali, ut passim DD. & adhuc manet penes te totum meritum actûs tui, & rursus voluntas tua, quâ opus tuum donas defuncto, est meritoria, satisfactoria, impetratoria, idcirco nullâ re privaris, quia tibi nova satisfactio & impetratio emergit, & insuper

super duplicatur meritum. 7. Non desunt qui doceant esse id signum prædestinati & P. Georg. Gobat in Thes. p. 2. c. 24. n. 504. ait tales *maximam & fere exploratam spem, cœlo olim potiendi posse concipere.* Quia si est signum prædestinationis in cœlo fundare amicitias: Si, in charitate excellere. Hic ista inveniuntur.

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM OCTAVUM.

Excellentia B. Virginis.

PUNCTUM I.

IN esse Physico. 1. Infinita propter illam, & cum illa, miracula DEUS fecit, imò totam naturam immutavit. Sine peccato concepta, in utero rationis usum habuit, Virgo genuit Filium sine dolore peperit, quasi sine morte in cœlum translata, A-

po-

postoli ex toto mundo ad eius funus per Angelos comportati. 2. Christus eam sibi postquam ascendit in cælos substituit, S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 12. *Post ascensionem Christi erat Magistra doctorum Ecclesiæ, Apostolorum, Evangelistarum.* 3. SS. Patres ea omnia illi tribuunt, quæcunq; sunt infra DEUM. 4. Erat, ut ait Rupert. in cant. 5. *Prophetissa magna, quia habuit in summo donum prophetiæ.* 6. Bern. serm. sign. magni: *Profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valet penetravit abyssum &c. ut illi luci inaccessibili videatur immersa.* Id est ut alij PP. dicunt *Deificata.* Et tamen cum hac prope infinita sapientia nec ipsa potest comprehendere, quanta illi DEUS contulit ut S. Aug. ait apud Sandæum. 7. Omnipotentiam, sapientiam &c. DEUS in illa condenda totam videtur exhausisse, ut melius quidquam non possit. Bonav. Spec. c. 8. *Maiorem mundum facere potest Deus,*

Deus, maius cœlum facere potest, maiorem Matrem non potest. Ratio est ex S. Th. 1. p. q. 25. a. 8. ad 4. *Quia ex hoc quod sit Mater Dei habet quandam dignitatem infinitam.*

PUNCTUM II.

IN esse morali, respectu omnium Sanctorum. Ubi sanctitas sanctorum desinit, ibi B. Virginis incipit. Ps. 86. *Fundamenta eius in montibus Sanctis.* Isai. 2. *Mons domus domini in vertice montium.* S. Bernardin. tom. 1 serm. 61. art. 3. c. 3. *In utero Matris B. Virgo perfectiùs contemplabatur, quàm ullus in sua vita, & magis etiam dormiendo, quàm ullus Sanctorum vigilando.* Addit quidam apud Phœnicium in mancipio. *Plùs merebatur minimâ actione ex se indifferenti, quàm S. Laurentius tormento craticulæ.* 2. Electa præ omnibus alijs Sanctis à DEO. S. Greg. M. in 1. Reg. 1. *Omnem electæ*

one-

creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. Id est, tam speciali modo prædestinata, sicut cùm Rex destinat dare rustico agrum, & uxorem accipere, diversa est cogitatio. Unde ex reverentia Angelus, eā proprio nomine non salutavit. Stella in Luc. 1. *Nomen in quo post Filium omne genu flectatur cœlestium terrestriū & inferorum. Et omnis lingva confiteatur huius Sanctissimi Nominis gratiam, gloriam, & virtutem.* 3. Omnem sanctitatem omnium Sanctorum, omnia dona, privilegia, ei Deus summô modô contulit, ut sit, ut ait Andr. Cret. serm. de dormit. Virg. *excepto Deo, sola omnibus altior.* Unde Bonav. spec. c. 8. *Omnia charismata intrant in Mariam, flumen enim gratiæ Angelorum intrat, intrat in Mariam flumen gratiæ Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Virginum*, sed speciali & eminenti modo, ut canit Ecclesia, ut non solùm gratiam habe-

at Martyrum, *sed ut Regina Martyrum* non ſolum Gratiam Apoſtolorum, *ſed ut Regina Apoſtolorum &c.* 4. Ita contulit illi Deus gratiam omnem ut nec poſſit comparari. S. Ephrem, Orat. de B. V. *Nulla comparatione, cæteris omnibus ſuperis exercitibus* (Cherubim, Seraphim &c.) *gloriosior*; S. Baſil. Selev. Orat. in Annunc. B. V. *Vniverſos Martyres ſuo ſplendore tantùm excedit, quantùm ſol reliqua aſtra. Quæ in comparatione ſolis, nihil ſũt.* 5. Ut Matri eſſe naturale, ita illi omnem ſanctitatem, omnes Sancti debent. Alb. M. Serm. ſuper Miſſus. *Spiritualiter genuit omnes Sanctos, etiam veteris teſtamenti.* 6. In illius voluntate & conſenſu totius mundi ſalutem Deus poſuit, ut Chriſtus natus non fuiſſet, niſi illa conſenſiſſet. Ber. ſuper Miſſus. *Expectamus verbum miſerationis* (reſponde Angelo nunciati) *ex tuo ore pendet liberatio damnatorum.* Aug. ſerm. 21. de Temp. *Re-*

ſponde

sponde Virgo vitam quid tricas mundi?
Nullus itaq; Sanctus sine illa fuisset Sanctus. 7. Omnium Sanctorum est fons sanctitatis, & ab ipsa habent sanctitatem sicut rivi à fonte. S. Bernardus serm. 11. a. 2. *Ab ipso Patre æterno recepit fontalem fæcunditatem ad generandũ omnes electos. In quo est similis filio, qui à Patre omnia habet quæ habet*; idq; habet sicut quidam fons, & hæc etiam Virgo fontalem fæcunditatem. 8. Alij PP. appellãt illam *Negotium sæculorum*, quòd Figuræ, prophetiæ &c. propter illam. Alij *complementum Trinitatis*, quòd gloriam compleverit eius ut ait *Magnificat anima mea Dominum*, id est Maiorem quodammodò faciat.

PUNCTUM III.

IN esse morali respectu Dei. 1. Deus se fecit ita debitorem illius sicut nos Dei. S. Method. serm. de

Purific. *Deo universi debemus, tibi autem etiam ille debet.* 2. Illi est donatus Spiritus Sanctus, ut sit proprius illius, sicut dona sunt propria Sponsæ. S. Epiph. serm. de laud. Virg. *donorum autem nuptialium nomine, Spiritum Sāctum accepit.* 3. Quā gloriâ Christus respectū Dei Patris fruitur, hâc illa certô modô respectu Filij. S. Bern. tom. 3. serm. 11. art. 3. *Sicut Benedictus IESVS sedet à dextris Patris, sic ista iuxta ipsum in throno sublimata consedit.* 4. Ecclesia canit. Quòd sit *sublimis inter sidera. Assumpta supra choros Angelorum.* Damasc. Orat. de dormit. B. V. *Omnes res creatas superat* (itaq; proximè cum DEO simul est) *omnibus dominatur operibus* (quod est proprium Dei. *Ego Dominus*) *super cœlos cœlorum extollitur incomparabiliter.* 5. Cherubim DEUM tegunt Ezech. Illi, Spiritus S. obumbrat Luc. 1. Cum DEO ut cum amico agit, at Chrysost. infra; octav. Nativ. B. V. *Cherubim*

 Sera-

Seraphim &c. cum tremore assistunt tribunali Maiestatis supremæ, faciem velantes suam, hæc illi offert quem genuit.
6. Sine illa DEUS sibi non videtur satis gloriosus; ideò illam primò in mente sua condidit ut ait apud S. Brigit. & *ab initio* (Eccle. 24.) & *Ante sæcula creata sum* Gverricus Abbas serm. de Assumpt. *Non satis se glorificatum videbat Christus donec B. Virgo glorificaretur*, id est, in cœlum assumeretur. 7. Multi PP. de illa explicant Eccl. 24. *Cum illo eram cuncta componens, quando mundum creabat* DEVS. S. Damiani serm. de Annunc. *Per ipsam & cum ipsa & in ipsa totum hoc* (mundus universus) *faciendum decernitur*. 8. Sicut ferrum mutatur prope in ignem, quando excandescit, & virtutes habet ignis, ita illa Dei. S. Ildef. Orat. 1. de Assumpt. *Spiritus S. eam decoxit, incanduit, & ignivit; velut ignis ferrum*. 9 Quanta es

ô Virgo! & tamen ecce ancilla! & tamen plurima pati debuit! heu me! quis ego?

SOLILOQVIUM QVADRAGESIMUM NONUM.

Devotio ad B. Virginem.

PUNCTUM I.

1. Licet Christus Dominus solus omnia meruerit, & ad illum pertineat distributio bonorum omnium, tamen sicut Rex bona sua alicui charissimæ personæ committit, ità Christus Matri suæ, sua merita & misericordiam: Bern. serm. 1. in Salve. *Divinæ, illa pietatis abyssum cui vult & quando vult, creditur aperire.* Unde Idiot. Contempt. de B. V. prol. vocat eam. *Thesaurariam gratiarum.* 2. Nihil nobis dare decrevit, nisi per manus illius Bern. serm. de Nat. B.

V. *Totum nos Deus habere vult per illā* Bonav. ſpec. capite 3. *Per manus huius Dominæ habemus quidquid poſſidemus boni.* 3. Nec ſalvare nos, alio modo vult. Sanctus Germ. Patr. Conſt. Orat. de Zona. *Nullus eſt qui ſalvus fiat, niſi per te ô Sanctiſſima, nullus eſt qui liberetur à malis, niſi per te ô puriſſima, nullus eſt cui donum concedatur, niſi per te ô caſtiſſima, nemo eſt cuius miſereatur Gratia, niſi per te ô honeſtiſſima.* 4. Si nos â Deo ipſi oremus, per nos, Deus noſtrâ frequenter indignitate magis offenditur, quàm ad dandum flectatur. Ideò veluti Mediatricem & Advocâtam, quæ noſtram cauſam agat illam conſtituit Bern. ſerm. de Nati. B. V. *Quia tu Homo indignus eras cui donaretur, datum eſt Mariæ ut per illam acciperes.* Idiota Contempl. 1. de B. V. *Tu es omnium Advocata.* Idē Eccleſia canit in Salve Regina. 5. Ità Deus commiſit illi noſtram ſalutem ut libi [illegible] tanquam de ſuis donis diſpo-

disponat. Bonav. spec. capite 9. *Ipsa optimè dicere potest. In me omnis gratia, viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.* Blosius in Igniario pag 54. *Tibi regni cælestis claves thesauriq; commissi.* Sanctus Thomas opusc. 8. *Habet tantùm gratiæ, quod sufficit ad salutem omnium hominum de mundo.* S. Bernardin. sermone 11. *Ab ipso Patre æterno recipit fontalem fæcunditatem ad generandum omnes electos.* 6. Cum Christo cooperata est quodammodo redemptioni, humani generis. Damian. sermone de Annunc. *Sicut sine ipso* (Christo) *nihil factum est, ità sine illa* (B. Virgine) *nihil refectum. Sed in Christo per ipsum cum ipso facta omnia itaq; eadem cum B. Virgine reparata.* Aug. libro de Virginitate. *Fuit planè Mater membrorum Christi quæ nos sumus, quia cooperata est charitate suâ, ut omnes fideles in Ecclesia nascerentur.* Hugo de S. Vict. in Cant. cap. 26. *Omnis salus per*

ipsam facta est. 7. Salutem nostram per illam sperare possumus. Aug. serm. de Annunc. B. V. *Tu es spes unica peccatorum, quia per te speramus veniam omnium delictorum, & in te nostrorum est expectatio præmiorum Sancta Maria succurre miseris.* 8. Signum infallibile quod salvaberis, si erga eã pius es Bern. *Non possum perire pro pietate Mariæ.*

PUNCTUM II

BEneficia eius erga Ecclesiam, id est erga nos omnes. 1. Illa docuit Apostolos quid prædicare deberent post Ascensionem Christi. S. Anto. part. 4. tit. 15 cap. 12. *Ipsa fuit post Ascensionem Filii, Magistra Doctorum Ecclesiæ, Apostolorum & Evangelistarum.* 2. Illuminat nostras tenebras. Bona. spec. *Est Lucerna Ecclesiæ.* 3. Illa, hoc est nobis, quod columna ignea Iudæis, quæ eos ducebat in terra promissionis.

onis. Ità S. Bonav. loc. cit. 4. Quòd Ecclesia tam diu stet & non sit subversa ab hæresibus, illi tribuitur: *Cunctas hæreses sola interemisti.* 5. Beneficium Venerabilis Eucharistiæ illa est. Bernardin. sermone 6. artic. 2. *Omnes in visceribus baiulabat, tanquam verissima Mater Filios suos, hoc munus Matris quoad alimoniam, implet in Eucharistia Maria Virgo, ne non perfecta sit Mater, cuius sit nutrire & gignere.* Damiani serm. de Nat. B. V. *Cibum Maria dedit.* S. Epiph. serm. de laude Virg. *Virginem appello velut sacerdotem pariter & altare, quæ quidem mensam ferens, dedit nobis cœlestem panẽ.* Andr. Cret. hom. de dormit B. V. *Quæ ipsam sapientiam secundùm carnem genuit, totam seipsam, tanquam mensam mysticam cœlestemq; paravit.* 6. Baptismalem regenerationem in illam refundit Athan. serm. de Deipara. *Decet te Matrem regeneratricem appellare.*

PUNCTUM III.

CHRISTUS est Dominus noster ob plures titulos, illa est Domina, nos mancipia tam verè atq; aliquod mancipium alicuius in mundo Arnol. Carnot. tom. 6. Bibl. PP. *Christus Dominus, Maria Domina.* Idq; pluribûs titulis, quia aliquomodo eos redemit sicut & Christus. Damasc. Orat. de Assumptione B. V. *Hæc Virgo profuit omni creaturæ, quæ veluti coemptam à servitute in libertatem asseruit.* 2. Titulô dotis, quia Sponsa fuit Domini omnium. 3. Athan. serm. in Evang. *Quandoquidem ipse est Rex qui natus est de Virgine, idemq; Dominus est Deus, ea propter & Mater quæ eum genuit & Regina & Domina & Deipara propriè* (non tropicâ locutione) *& verè censetur.* Sicut & S Dami. lib. 4. de fide cap. 15. *Verè omnium conditorum Domina effecta es.* Ans. lib. de excellen. Virg. cap. 9. *Iure materno cælo terraq; præsides.*

4. Quia

4. Quia promeruit id suâ humilitate. Bern. serm. sig. Mag. *Meritò omnium Domina facta est, quæ se exhibeat ancillam.* 5. Iam verò si Domina, idq; animæ & corporis, potest salvare & occidere, & mittere in gehennam. Ans. *Omnis à te aversus & despectus necesse est ut intereat, omnis ad te conversus & respectus, impossibile est ut pereat.*

PUNCTUM IV.

CHristus cùm iam moreretur, testamentô nobis eam Matrem dedit. *Ecce Mater tua:* Ut si contingat in nobis per peccatum mori Christum, supersit Mater, & sicuti in hoc testatus DEUS Charitatem extremam, quia Filium mundo tradidit, ita Christus, quia Matrem: Sicut DEUS dicit. Ioanni. *Hic est Filius meus ipsum audite*, ita Christus *Hæc est* Mater vestra ad hanc recurrite, ut

Ecclesia eam vocet *Refugium peccatorum*. Imò Hugo de Vict. in Psalmum 55. ait de B. V. *Potiùs utrumq; est & Pater & Mater*. 2. Mater optima. Alb. M. sermone super missus. *Non solùm spiritualiter genuit omnes Sanctos etiam veteris testamenti, sed etiam omnium gerit curam Maternam*. Orig. tom. 1. in Ioannem Præf. *De quolibet potest dici V. Mariæ, ecce Filius tuus*. 3. Mater sollicitissima Bern. serm. de Nat. B. V. *Si quid spei, si quid salutis si quid gratiæ in nobis est, ab ea noverimus redundare*: Hugo de S. Vict. in Cant. 26. *Omnium salus per ipsam facta est*. 4. Quia ad Christum utcunq; difficilis accessus, est enim simul Iudex, & in Evangelio legitur subinde fuisse austerus. *Dic vulpi illi. Genimina viperarum, væ vobis*, ementes & vendentes, è templo eiecit: Hanc nobis quæ purissimè misericors est, reliquit. S. Bern. sermone sig. Mag. *Non sola in Christo*

cantatur misericordia, cantatur & iudicium pariter &c. opus est Mediatrice ad Mediatorem. Iam verò ita est misericors B. V. ut Bonaventura spec. c. 5. dicat. *In misericordia B. Virginem Deus altissimam latissimam profundissimam operatus est:* Imò tota in misericordiam est conversa Aug. apud sand. in igne *Quis dubitare poterit omninò in charitatis affectionem transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa quæ Deus est charitas, novem mensibûs corporaliter requievit.* 5. Mater patientissima. Bern. serm. sig. magn. *Præterita merita non discutit, omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet. Nunquam legitur festinâsse nisi ad benefaciendum, ad Ioannem sanctificandum, ad ministrandum Elisabethæ, Beda in Luc.* Licet hoc contra honorem virginis videri potuerit, parturienti ministrare. 6. Mater facillima ut nullas preces gratis fundi sinat. Bern. serm. 4. de Assumpt. *Sileat misericor-*

cor-

cordiam tuam B. Virgo, si quis est, qui te invocatam in necessitatibus suis meminerit defuisse. 7. Mater Potentissima. Idem serm. de Nat. B. V. *quæramus gratiam & per Mariam quæramus, quia quod quærit invenit, & frustrari non potest.* Solùm Elisabetham salutavit & infans in utero, sanctus effectus est. Nominare eam est salvari. Bonaventura in Psalt. *Gloriosum & admirabile est nomen tuum, qui illud retinent non expavescent in hora mortis:* 8. Mater nostri amantissima Bonav. cap. 4. spec. *Super omnia habet charitatem ad proximum.* S. Ildef. Oratione 1. de Assumpt. *Spiritus Sanctus eam ignivit, ut in ea non sentiatur, nisi ignis amoris Dei & proximi.* 9. Mater hostibus nostris terribilis, ut eam magis timeant quàm nudus homo armatos exercitus. S B. apud B. spec. cap. 3. *Non sic timent hostes visibiles, castrorum multitudinem copiosam. Sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, pa-*

trocinium & exemplum, fluunt & perfluunt ſicut cera à facie ignis, ubicunq; inveniunt crebram huius nominis recordationem, devotum invocationem, ſolicitam imitationem. 10. Mater vitæ, ut eam non colere, ſignum ſit in peccato mortali eſſe. S. Germ. Conſtantinop. orat. de Zon. *Quemadmodum continua reſpiratio non ſolùm eſt ſignum vitæ, ſed etiam cauſa, ſic SS. Mariæ nomen, quòd in Dei ſervorũ ore aſſiduè verſatur, ſimul argumentũ eſt quod verâ vitâ vivant. Simul etiam hanc ipſam vitam afficit & conſervat.*

PUNCTUM V.

SEd nonnè alicui poteſt dicere. Si ego Domina ubi eſt timor meus, Si Mater ubi eſt amor meus? 2. Qualem decet eſſe Filium tantæ matris? 3. Manus extendit ut tuas preces perferat ad DEUM, quas imponis, & quales? 4. Eſt ſpeculum ſine macula, crebrò intuere, ibi videbis maculas

culas tuas. Talis erat illa, talis ego. 5. Si tam misericors est, tam parata ad dandum, & tu tam miser & egenus, quare tam rarò recurris? 6. Mereturne meliorem apud te cultum tam bona Mater. 7. Amari ab ea specialiter cupis, August. de Cathech. rud. *Nulla est provocatio maior ad amandum quam prævenire amando* 8. Proverb. 1. ver. 8. *Audi Fili mi disciplinam Patris tui* (Dei decalogum) *& non dimittas legem matris tuæ* (leges v. g. sodalitatis B. V.) *ut addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo.* 9. Sed Aug, de Serm. de die suæ Consecr. *A malè viventibus nolo & detestor laudari.* 10. Chrisost. de M. m. tom. 3. *Aut imitari debes si laudas, aut laudare non debes si imitari detrectas.*

SOLI-

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM.

De ſuavitate B. Virginis erga ſuos Cultores.

PUNCTUM I.

CIſtercienſis quidam non plùs poterat diſcere quàm *Ave Maria*, id ſolum repetebat, enata ex mortuo arbor, id in folijs habens inſcriptum. lib. 2. cap. 29. Ex Ioſcij Religioſi S. Bertini, oculis binæ roſæ, auribus binæ, ore una prodijt, quia repetebat, Ave Vinc. Beln. lib. 7. cap. 116. S. Bernardo dicenti *Ave Maria*, reſpondit *Salve Bernarde*. Morienti Mariæ de Oeg. cum Apoſtolis affuit, cum oleo ſancto ungeretur, Chriſtus ad pedes ægræ crucem fixit. Bonif. vitæ lib. 4. cap. 3. Annuæ Societatis 1593. Nobilis in agro Eborenſi habuit duas è collo icones, de-

lita-

litavit, à dæmone in specie viri ut se in præceps daret, persvasus, mansit illæsus, tum ut in puteum imagines abjiceret ab eodem suasus. Fecit; & se in eum deiecit, sed arreptis ibidem icunculis pro cucurbitis usus: Opilionis filia; deserta in templo vetusto, imagini pro reparando afferebat *Ave Maria*: affuit illi morienti B.V. eam coronatam sertô in cœlum reduxit spec. exemplorum dist. 19. exemplo 118. S. Hyacinthus statuã eius saxeam per fluvium super aquas tulit. S. Damasceno scribenti pro se, manum amputatam reparavit. S. Bernardino gratiam prædicandi & miracula faciendi dedit. Pelb. in Fell. lib. 2. p. 2. cap. 3. Antonius Franciscanus contra pluviam pro tecto usus rosario Chrn. min. p. 3. lib. 1. cap. 36. in hostes Alanum persequentes, 150. lapides B. V. iecit, in naufragio 150. monticulos erexit per quos ad littus evasit, os & manus eius

ius post mortem fuerunt ut crystallus, quia Rosarium recitabat Chrō: Domin: lib. 1 c. 34. Orantem dum invaderent latrones adfuit cum S. Lucia & Cath. & nebat sertum ad *Pater noster* rosas rubras, ad *Ave* albas, & eiusdem capiti imposuit, de La Croix Creditor, cùm non posset Iudæo pro dicta die solvere, misit cum cistula debitum per mare, venit ad Iudæi deambulantis ad mare, sub ope B. Virginis, & inscriptam sibi accepit; negavit verò se accepisse coram imagine B.V. quæ prolocuta, accepisse. Vincentius Bel. lib. 7. c. 82. Tres hastas, in superbos, avaros, luxuriosos vibrabat DEUS, deprecata & impetravit, ut S. Dominicus & Franciscus orbem repararent. S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. hist. B. Maria de Oeg. visitando eius templum dissitum, à pluvia, à ventis, per Angelos tegebatur, Suries. S. Hermannus in sponsum à B. Virgi-

ne

ne acceptus, & Ioseph ex eo dictus. S. Teressia, sua illi commendabat coram imagine; B. Virgo se loco imaginis, illi die quâdam substituit. In eius vita lib. 3. c. 1. Moniali dissolutæ Ioannæ oranti tamen rosarium, misit epistolam cum monitis, Bonif. lib. 4. cap. 9. hist. ante huius cellam vidit Abbas fremere diabolos, Ioannam inter sanctos. Cuidam dissoluto iuveni svasum, ut coronam diceret, fecit, correxit se & Rosarium cœpit dicere, deprehensus, cùm daret illi B. Virgo tres vestes, & post triduum mortuus Cantipr. Ap. 2. cap. 29. Catharinæ Cisterciensi ostendit vestē gemmis insculptam cum *Ave Maria* quia orabat rosarium Dion. Carth. serm. 1. pe Ass. Minoritæ cuidam deprehensas rosas ex ore legere Chro. Min. p. 3 lib. 1. c. 36. Alterius ibidem novitij Angelus rosas in aureū filum pro *Ave Maria*, colligebat, lilium, pro *Pater noster*, & postea e-

ius-

iusdem capiti imposuit. Matrona Coloniæ, dum rosarium oraret, mel in ore sentiebat, & hoc exemplo alter inductus idem sensit Cæsar: lib. 7. cap 50. Quoties *Ave* dicitur toties in cœlo S. Gabriel specialiter irradiatur S. Gertr. cap. 12. Peste Romæ grassante imago à S. Greg. B. Virginis ferebatur, auditi Angeli canentes *Regina Cœli &c.* Et Angelus condere gladium qui supra molem Adriani stat. Baron. t. 8. a. 590. Quidã ad Minoritas ingressus, solitus ante sertum dare B. V. quia deinde id non poterat, volebat egredi, ab ea iussus dare rosarium, insidiati isti aliquando latrones oranti, viderunt rosas ex ore eius à B. V. in sertum colligi, irruêre latrones de Virgine quæsiêrunt. Sed ab illo invocata rursus comparuit, eos hortata. Chrõ. B. Arnulphum docuit meditari non solum gaudia quæ in terris habuit, sed & quæ in cœlo, & quoties ali-

quã

quâ re indiguit B. Virginem ad Filium orantem pro se vidit. In eius vita S. Petrus. Svasit Carthusianis ut officium B. Virginis orarent, spondens auxilium chron. Monasterium Gamugense intermisit illud, affligebatur consilio Petri Damiani repetit & liberatum Baron. 1159. B. Virgo, Virgini septenni petenti Psalterium, dedit Cantip. 2. Ap. cap. 23. S. Thomæ Cantuariensis reparabat cilicium quod in honorem eius gestabat S. Antonius 1. p. tit. 15. parag. 2. S. Gertrudi offerenti preces apparuit in pallio iis inscripto lib. 4. Insin. c. 49. monuit iuvenem impurum orantem, ex turpi lance dari sibi bona fercula Albert. castell. de rosario B. Gertr. cùm non posset præ morbo orare rosarium *ter Ave* cogitabat, apparuit ei B. Virgo in pallio cum rosis sex foliorum Insin, cap. 49. S. Hedvigi non potuit morieti, evelli imago, & cum ea tumulata quia viva e col-

collo deferebat, & hi digiti manse-runt incorrupti. Surius S. Bonitum iussit sacrum facere, ipsa audivit, Angeli ministrabant, casulam ei donavit Surius. S. Andream Episcopū Vesulanum in sacro salutavit. Sur. S. Ildefonso vestem dedit sacram ut in ea illius diebus missas faceret, Surius, S. Henrico celebrante sacrum, Christus osculum pacis dedit, & nervum sensi. tāgi, ut Iacobo, inde claudicabat, Henricus Sur. S. Maria Oegniacen; singulis festis Purificat. videbat quod B. Virgo offerebat filium suum Deo. Vitriac. in eius vita. Sudorem Cistercien sium colligebat & olfaciebat. spec. dist. 9. ex 102. Carthusianum dæmones erant rapturi B. Virg. defendit Vinc. Bel. lib. 7. hist. c. 117. Cisterciensibus in mensa dabat electuarium, præterquam illi qui communes cibos horrebat Cæsar. lib. 7. c. 48, Fulberto in morbo nauseanti, lac sugendum dedit,

dit, lá Croix. S. Dominici socios iacentes noctu benedixit præter unũ indecenter iacentem in vita S. Domin. lib. 2. c. 13. Quidam Lauito repulsus à B. Virg. nisi se expiâsset Tursell. hist. Laur. lib. 5. cap. 27. cuidam sodali peccatum, quod ignorabat confitenti in charta demisit, quod alius nullus legere potuit Annuæ 1568. S. Gertrudi se ostendit omnes feras id est peccatores sub pallium recipiens. Miles peccator orabat veniam, cœpit imago B. V. lacrymari, ut ara perfunderetur, viderunt multi, vovit Religionem ille, Bonif. cap. 4. S. Francisco amorem paupertatis in æde de portiuncula inspiravit, in eius vita &c.

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM PRIMUM.

Quid nos apud DEUM.

PUNCTUM I.

1. AMici? Plùs. Amicus pro amico, tam atroci & infami

morte non moritur. 2. Carne suâ non saginat amicum. 3. Pro amico non fit vermis, opprobrium hominum, & abiectio plebis, quod fecit Christus pro me. 4. Nunquam sustineret tamdiu se offendentem. 5. Amicus non gestat manibus ut gerula amicum, DEus plùs, quia nos conservat. 6. Aliquando saltem ad breve tempus abit ab amico, non agit dies ac noctes cum illo, DEus omnia & singula momenta nobiscũ. 7. Si velim amico placere, debeo illi aliquid non mihi utile facere. DEus solùm vult, & hoc præcipit, ut ea quæ nobis utilia sunt faciamus, & sic illi placeamus. 8. Ut veri amici partes impleas debes multa pro amico facere & sæpe gravia; Dei *onus levè, iugum svave*. Si quid agimus pro illo non soli, ideoq; dicit iugum quod est duorum, quia *gratia nobiscum*. 9. Amico aliquid interdũ damus, in à DEO ut eum retineas ami-

cum solùm dona accipienda. 10. In creatis inter pares solùm amicicitia, quæ paritas nostri cum DEO, tamen nos magis amat? 11. Amicum ut te amet, debet aliqua tua bonitas incitare, DEUM nihil. 12. Amicum frequenter debes alloqui cum illo agere, alioqui amicitia debilitatur. DEUS, modò te non occidas, manet idem in amore. 13. Nemo alterum ita amat, quin suum commodum aut iucunditatem respiciat, DEUS nihil. 14. Amicus amico ob leves apprehensiones, & sine causa offenditur, DEUS nunquam. Non exhibet se pontem, ubi lutum, ut per illum transeas, DEUS se viam ponit ad cœlum. 15. Amicus hæreditatem propriam non donat. Christus donat. 16. Amicum ut acquiras multùm laborandum; ut DEUS sit amicus, satis est baptisetur infans. 17. DEUS ita curat amicitiam suam ut quoties eam abjicis, toties vitam pro te ponat, ut effici-

efficiaris amicus. Ut S. Carpo revelavit apud Baron. 18. Imò vellet mori etiamsi non esses damnandus sed solùm ab illo divellendus Rev. S. Brig. lib. 1. c. 1. *Et adhuc sic charitate diligo animam tuam, ut antequam eâ carerem, adhuc iterum si possibile esset pro ea cruci affigerer.*

PUNCTUM II.

Fllijne? Plùs. Quia plùs est creari quàm nasci, hic datur accidens aut unio, ibi esse totum. 2. Parens solùm dat, quod illi superest, idque pro dote adiungit peccatum, ut statim cœlum demerearis, morbos à quibus totâ vitâ non extriceris. Deus animam, membra, vitam ex se puram. 3. Nec tu Parentes elegisti, nec illi te; sed Deus illos tibi ut nutrices & altores providit & dedit, potuitq; dare alios longè viliores. 4. Deus conservat, Parens sicut arti-

sex factum opus deserit. 5. Deus propter te iubet solem lucere, terram germinare &c. quod Parens non potest. 6. Parens sæpe nequitiâ suâ eiurat Filium, sicut fecit S. Francisco. Deus, etiamsi deseratur adhuc velut pastor ovem perditam quærit. 7. Parens in difficilibus sæpè substituit sibi Filium, ut in laboribus, vendit, &c. Deus pro te facit, 8. Parens separatur à Filio, Deus à te nunquam. 9. Parens auxilio, subsidio, filij in egestate, senectute eget, Deus nunquam, 10. Parentes solùm dant cibum, Deus tecum mandit, digerit, manus tuas moderatur, &c. 11. Interdum Parens agit contra filium, Deus nunquam, & si agitur de possessione, Deus tibi toto cœlo cedet, & si opus fuerit aliud creabit. 12. Parens vèl nollet mori pro filio, vel si vellet, pro optimo, Deus pro impiis. 13. Si filius, Parentis saluti decies insidiatus fuerit, rejiciet eum; Deus

us recipiet, esto millies ei insidiaris, dum pœnitentiam agas. 14. Imò DEUS te, omnia sua habere vult. *Mater mea & fratres mei qui audiunt verbum Dei.* 15. Quæ pro te fecit? sol multò maior, quàm terra & planetæ alij. Et stellæ ita altæ, ut licet sint multæ æquales soli, conspici tamen non possint, ac si propter te, milliones milliones expendat, quia universa, id est, stellæ, immensitas universi, maiora sunt respectu terræ quàm milliones millionis, & his omnibus addit Angelos, aut plures ut ea regant propter terram, terra autem ob solum hominem: Quantas ergo etiã in hoc mundo in me DEUS impensas fecit! profusionem quis crederet: At summa bonitas est, infinito amore dignus, etsi nihil supernaturale & nihil post vitam assignâsset, at tantò meliora assignavit, quantò hæc universa mole excedunt homi-
Eea
nem,

nem. Et tamen & de his verè dici potest. Nec oculus vidit, nec auris &c. Ista sunt verba quæ homini loqui non licet, id est non potest eloqui etsi oculis ut S. Paulus viderit.

PUNCTUM III.

ITane amamur, ut tamen amorem comprehendere possimus? *Esset* amor summus, si ex duobus unus fieret. Est hoc in Deo respectu mei. *Vt unum sint, sicut ego cum Patre*, sed incomparabiliter meliori modo. 2. *Si* opes communes haberet, nihil propter se, sed ob amicum faceret, ecce propter nos, non propter se cœlum creavit, creaturas nostro dominio subiecit, ut eas destruere pro libitu possimus. Angelos in ministros dedit. 3. Si amicus se in gemmam mutaret, ut ab amico ebibi possit: facit hoc Deus, sed nos immutat in se, postquam illum biberimus, non

quia

quia nollet in nos mutari, ſed quia vult nos aliquid melius, qualis ipſe eſt. 4. *In* manibus fert, *in manibus meis deſcripſi te*, & quidem ferreis ſtylis. 5. Ut capillos tuos numeret, numerat Deus. 6: Ut cor tecum permutet, facit hoc, cum dat contritionem, bonas cogitationes: *cor* à te tollit *ſaxeum* & Spiritum S. qui eſt cor Deitatis ponit. 7. Ut gratis cœlum daret, fecit hoc Deus, infanti ſine meritis, nobis pro meritis, ſed quibus? Tũſione pectoris &c. pro quo nec panis fruſtulum nedum pagum emeres. 8. Ut velit pro te mori, pati, fecit. 9. Ut ex Rege propter te fieret hiſtrio, mendicus &c. fuit apud Herodem. 10. Ut in libro tuum nomen ſangvine proprio inſcriberet, in corde ſuo inſcripſit lanceâ Longini. 11. Ut omnes opes ſuas, velit propter te deſtruere. Facit Deus, montes fulminibus disjicit, arbores, dies obtenebrat, peſtes immittit, excidia

regnorum. Angelos ad infernum detrusit, & plura faceret, ut te lucraretur, ut ames illum. 12. Ut pro se incarcerato, cùm esset Filius Regis te in carcere substitueret, fecit. 13. Ut hostibus suis daret in se plenam potestatem, in gratiam tui: Dedit & ipsis dæmonibus: *Hæc est potestas tenebrarum.* 14. Ut infamis, pessimis, hominibus propter te redderetur, fecit. 15. Ut omnia pro te fiat. Philotheus Patriar. Constant. ait in persona Christi. *Ego sum Pater vester, ego radix, ego fundamentum, ego nutrix, ego domus, ego vestimentum, unô verbô quidquid optatis ego sum.*

PUNCTUM IV.

EXcutiuntne tot ictus ex hoc corde meo ferreo vel unam scintillam ignis? O amor? Sed necdum hic finis. 1. In ferculum se mihi cõmutavit, & ita ut etiam in omnes

usus

usus vertere; etiam pessimè tractari possim, ut multi canibus proiecerunt. 2. Desiderat se in omnia mutari, omnia fieri, ut nobis serviat. *Ego sum flos agri, vermis non homo &c.* 3. Vt etiam nullâ re satisfacere sibi possit in serviendo mihi, sed ipsa desideria formet, maioris amoris causâ. *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor donec veniat. Si vos cùm mali sitis nostis bona dare filiis vestris, quantò magis cœlestis Pater &c. Si mulier oblivisci potest infantem uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non obliviscar.* 4. Excogitat titulos quibus nos amorosè compellet. *Soror mea, columba mea, dilecta mea, unica mea, sponsa mea, oculi tui me avolare fecerunt &c. &c.* 5. Cùm sit infinitè sapiens, adhuc ex proposito, cogitat, speculatur, meditatur, nostro modo loquendo, quomodo nobis bene faciat: *Ego cogito cogitationes pacis.* 6. Sui obliviscitur, præ amore nostri.

Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super filios vestros. Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Ecce Mater tua. Non mea sed tua fiat, quia illis utilis, *voluntas.* 7. Tribunal instituit; ut si illum quotiescunq; & quandocunq; graviter offendas, eas fratri tuo dicas, ille statim condonet; fecit, cum dedit potestatem confessarijs. 8. Suum corpus in limine proiecit, ut non possis ad infernum, ad tuum malum ire, nisi per illum conculcatum. 9. Cor meum, cuius tu es malitiæ, quòd tam infinitâ bonitate non moveris? 10. Astra omnia, quæ infinities terram mole excellentia superant omnia, volvuntur propter unicam terram, ut ei serviant, & illa stat, & hoc propter te. Non milliones auri, non provincias, non regna tibi, sed totam terram, quanta est & totum cœlum, & quidem non rogatus, tibi donavit: Nullus alter eorum finis, nisi tu, nec ullus alius usus, nisi tuus.

SO-

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM SECVNDUM.

Quo loco sit apud me Deus.

PUNCTUM I.

1. AN hostis? me miserum! 1. Si inimicus te ex carcere lethali erueret, moreretur propter te, parceres illi. Eheu ô Deus! 2, Inimico occiso parcitur: Quoties tibi Longine, manibus extorsi hastam, & illâ scrutatus cor mei Iesu? 3. Corpus hostile, si barbarè agatur, feris, canibus, avibus ejicitur. Patere deliquium anima mea! cor meum, irâ & indignatione adversus te rumpere! quoties communicavi indignè, quantùm in me, diabolo tradidi; diabolus enim fuit, Iudas, teste Scripturâ, indignè communicans: in luto spurcitiarum, corde non expurgato sepelivi, egi more Iudæ, specie pie-

tatis Iesum captivavi, & quoties! 4.
Si crudeliter agatur cum hoste capto, in conspectu filij eius, & charissimi quique, necantur, uti Sedeciæ, & Mauritio Cæsari factum, tamen non toties, non tamdiu: at ego quot spectante DEO, & illo intra me recepto, charissimos eius filios in anima occidi, dum verbô, vel opere, in peccata induxi? quantò hæc gravior mors? quot pauperes despexi! afflixi! Vtinam cor meum in modum montis amplìaretur, ut plùs esset quod dolore tabesceret! 5.
Contra hostem saltem irâ agitur, contra Deum per iocum, ridendo. Et cœlum hoc pateris? O grandis Dei patientia, quæ cohibes creaturas ne irruant in insensatum! 6. Si hostis ad deprecandum, omnes adhiberet Creaturas, imò omnes donaret ad satisfaciendum pro offensa, impetraret credo, etiam apud meum cor gratiam. Solus es infelix DEUS.

PVN-

PVNCTVM II.

QVid es Deus meus mihi? Horreo; 1. Aurum, argentū, sunt lutū, hoc album, illud fulvum, & tamē perditè amantur! Colliquesce anima mea. Replere amaritudine, *fiat sicut mare magna contritio tua.* Oculi tui deducant fontes lacrymarum, ut impietatem tuam eluas. 2. Contra terram nemo arma movit, etsi pro illa nec infernus, nec cœlum se opponant. 3. Lapis finitur in quiete, etsi non benefaciat.

PUNCTUM III,

PRoh dolor! 1. Meretrici munuscula cum oblectatione mittuntur. 2. Noctes de illa & dies cogitando, cum illa colloquendo transfigere non tædiosum sed volupe. 3. Cùm aliquid petit, etiam difficillima facilè conceduntur, etiam caput Ioannis Baptistæ, 4. In ædes admittitur. 5. Ad eandem

andem mensam adhibetur, convitijs non laceratur. 6. Decies aut saltem septuagesies septies in diem non colaphizatur. 7. Ad illam per tela, per ignes, per noctem, per tempestatẽ, per pericula, ut voluptatem non æternam & summam & honestissimam; sed momentaneam, turpem, erubescendam obtineant. 8. Pugnant & decertant pro illa. 9. Dona ab illa accepta, sunt in summo amore, custodia, perire non sinuntur, & si pereant quanta solicitudo! mallet impurus omnia perijsse. 10. Pulset ianuam, statim aperitur, non expectatur ut nocturno frigore & pluvijs affligatur. Desolamini cœli vehementer! pulsavit Christus, imò ad pedes Iudæ se abiecit, imò eos deosculatus, ut admitteretur, & exclusus est. Anima mea quid agimus? cogita quid fiat, & tamen fit. Venite omnes dolores in cor peccatoris, credo non est

carneum, sed saxeum! O Iesu in tua morte frangebantur saxa! en saxum: Reflecte te interim ô anima mea ad singula, & vide, quomodo cum Deo agas.

PVNCTVM IV.

SEd è contra, dices. Te nec Meretricem adorare nec canem: sed si *avaritia idolorum servitus*, si *venter* aliquorum, *Deus* est, quare non canis? imò si canem quis tuum verberet, digladiaberis. 2. Canem sine causa nõ percutis. 3. Canem alis, ubi pauperes? & tamen, *quod his fecistis mihi fecistis*. 4. De cane sæpiùs cogitas, imò nec ab oculis dimittis, in eodẽ cubiculo, imò lectulo vis cubare. 5. Canis mortuus à nemine dilaceratur parcitur cadaveri eius. 6. Quod superest è mensa datur cani, imò ori adimitur ut detur. 7. Cani illius offam non eripis. 8. Cani non tollitur suum esse, ut non sit canis. 9. Facis eius desideria. 10. Lustras, si

illum

illum amas, quomodo iaceat, interdum adis, blandè colludis. 11. Non facilè largiris, nisi post magnas preces magno amico. 12 Ubi iratum advertis ne mordeat non lacessis. Sed hic est ais amor intensivus, non appretiativus. Quasi etiam hoc amore, aliquid plus amari debeat, quàm DEus! imò valde appretiativus: nam mavis peccatum committere, ad infernum ire. Non adoras ut DEUM, bestiam adoras DEUM, sed ut milites imponentes spineam coronam flectebant & expuebant in faciem eius. 13. Omnes absurditates collige, nunquā tuam malitiam satis explicabis. Plùs impendis ut Deum effugias, quàm ut pestem, impendis vitam, opes in peccata, in ebrietatem, lasciviam, sensus omnes, membra, famam, imò decem si suppeterent animæ: nonne hæc sunt abominationes in loco sacro? nonne hoc est quod Deus queritur. *Popule meus quid feci tibi.*

Non

Nonne hoc eſt, *His plagis plagatus ſum in domo eorum, qui me dilexerunt.* Et hoc quare patitur? Quia ſic nos dilexit ut Filium ſuum in mortem pro nobis traderet. Quia cœlum & terram propter nos creavit, quia nos tolerat & exſpectat ad pœnitentiam. Deut. 32. *Generatio prava atq; perverſa, hæccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens? nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creavit te? &c. Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui!* 14. An non eſt bonus, pulcher? Creatas pulchritudines amas, ſolus Deus apud te infelix. Non eſt prudens? non in conſilijs eximius? non liberalis? non ſe, & ſua communicat? Sed fingimus nos amare & umbram amoris exhibemus, id eſt verba ſinere. Nonne hic eſt qui per totam æternitatem ſine interceptione, quomodo tibi benefaceret, cogitavit? 15. Si non pluris facis hominem, quàm

Deum

Deum cur ob huius sermones, respe-
ctus, hunc offendis? 16. Sordidatus
ad homines non prodires, prodis ad
DEUM in venialibus totus. 17. Peius
veniale, quàm alapa, cur illam af-
fligis toties. 18. Videt DEUS & agis,
quæ me spectante non faceres. 19.
Magis curas hominum dona, quàm
Dei. 20. Magis pestem times, quàm
eum, qui te in iram Dei inducit. 21.
Magis curas vestem bonam, quàm
DEUM demereri. 22. Plùs hominis,
quàm Dei gratiam curas. 23. Magis
honores alij quærunt, quàm tu Deū.
24. Non curas quid de te dicat Deus
in cœlo, curas quid homines. At il-
le intuetur omnes actiones tuas. 25.
Meliùs proficere in Dei amore, quā
studijs, multò alij id curant magis.
26. Si damnato dimidia hora daretur
ad DEUM recuperandum an ita age-
ret? tu amisisti, damnatus es, tem-
pus tibi indulgetur. 27. Si damnatus
ex inferno emitteretur ad deprecan-
dum

dum Deū, itane ageret? at tibi remissus infernus, eoq; ex illo quasi emissus es. 28. Contentus mi es, si nō habeat meliùs quàm Dux, tu non contentus, esse par Christo. 29. Dignus est Deus ut illi servias, ut alij mundo, diabolo, carni, vindictæ, dominis. 30. Parum prodest verbis dicere, se, amare Deum, si non exhibes factis.

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM TERTIUM.

Quantùm amare DEVM debemus?

PUNCTUM I.

PLùs certè quàm homo hominem. 1. Quia nunquam homo homini tanta præstitit. 2. Si homo aliqua fecit non sine causa, vel quia ab eo copiosissimam remunerationem speravit;

vel quia ab eodem ipso, aliqua obse-
quia, vel beneficia accepit. 3. Si homo
amavit, hoc non fecit, se non amanti.
4. Quia sæpe larvata humana amici-
tia, umbris amicorum decipimur,
& doloso fuco deludimur. Non talis
amicitia Dei, sed solida, sincera.
5. Non magnum est, si homo amet
hominem, quia par parem? Et tamen
ubi maximè opus amico ut in infor-
tunio, calamitate, ibi deserit homo.
Tum verò Deus maximè adest.

PUNCTUM II.

ET tamen homines magis se in-
vicem amant, quàm tu Deum.
1. Nullam rem amico negant peten-
ti, etiamsi cum suo damno, tu ne-
gas Deo, in paupere mendicante, eti-
amsi cum tuo lucro. 2. Libenter de
illo loquuntur, audiunt, interro-
gant, tu nec concionem longiorem
pati potes, Spiritvale colloquium
nun-

nunquam habes. 3. Si amici audiunt iniuriam, damnum, offensam, si non obsistant, vindicant, saltem cō-dolent, tua, tuis subditis, festa violari &c. finis. 4. Cavent quibus amicus offenditur, tu nec horam sine peccato transmittis. 5. Periculo vitæ sæpè, ut amico placeant, se committunt, tu, si, flagellatio facienda, si humi cubatio &c. sanitatem prætendis. 6. Si vel mediâ nocte venerit amicus, se proripiunt obviam: Apud te cum instinctibus pijs, etiam per multas septimanas pulsando ante ianuam cordis hæret Deus, nec admittis! 7. Omnia ab amico facta, esto videantur contraria, bene interpretantur: Tu, si, tibi successus sinister accidat, si afflictio &c. non cogitas, id ex amore tuì boni â Deo permissum, aut immissum? 8. Si apud amicum propria pecunia iaceat, reputant apud se esse: Apud te tantam fidem non habet Deus, ut apud

eum deponas pecuniam recepturus in cœlo: Imò in terra quoties opus fuerit cum securitate salutis tuæ. 9. Res, amici non destruunt, monita, & consilia servant, at tu? 10. Pone ante oculos Nisum & Eurialum, Pyladem, & Orestem, &c. Et erubesce.

PUNCTUM III.

PLùs amare debemus quàm Angeli. 1. Quia Deus non Angelus factus, sed homo. 2. Non remisit Angelis peccata. 4. Angelos ipsos veluti propter nos creavisset, ad nos ordinat, ut ad finem aliquem, mittit in custodiam & obsequium nostrum. 5. Nunquam Angelos appellavit fratres, matrem, sorores, sponsas, dilectos, amicos. In quo, illos homini postposuit. 6. Quemlibet nostrum, fecit gloriæ capacem, quàm habent Angeli. 7. Sacramenta propter illos non instituit ut ex Christi meritis, sibi auge-

re

re potuissent gratiam, sed proprio labore debeant cumulare. 8. Non dedit illis exempla virtutum, adorationis, orationis, cultûs &c. 9. Illis relictis descendit in terram. 10. Non dedit illis peccata dimittendi, corpus Christi conficiendi &c. potestatē.

PUNCTUM IV.

ET tamen Angeli plùs amant. 1. Quia voluntatem suam per omnia conformant cum illius. 2. Quia nos propter illum amant, sicuti enim amor nostri erga DEUM ex eo patet, si proximos amemus propter eum, ita amorem Angeli suum, erga Deum, amando nos, testantur. 3. Ea assiduè quærendo, quæ illi placent, occupantur, ut nostrâm conversionem, perfectionem, 4. Mallent destrui, annihilari, quàm Deus ut minimè à quovis offenderetur.

PUNCTUM V.

PLùs debemus amare DEUM quàm nos ipsos. 1. Quia si rectè expédamus, plures causas odiendi nos, quàm amandi habemus. 2. Quia noster amor est fons omnium malorum nostrorum in anima & corpore. 3. Nec nos ipsos amare possemus, imò nec sine horrore videre, si quales simus interiùs, intueremur; quis vellet has sordes, hoc lutum amare? DEUS videt & amat. 4. Quia à nobis nulla beneficia accepimus: Non esse, non scientiam, non opes: Omnia à DEO. 5. Quia nos, nostrum amorē remunerari non possumus: DEUS si non amemus puniet æternùm: Si amemus præmiabitur ingentibus donis æternùm.

PUNCTUM VI.

ET tamen nos magis amamus, quā illum, 1. Pro nostri amore etiam

infernum subimus, omnia peccata patrando, pro Deo nec cœlum volumus ingredi. 2. Nostram mensam, amictum, per sudorem, fas, nefas, quærimus; Dei honorem nec per ocium. 3. Si vulnereris in corpore, decumbas; ut saneris, omnia vis potiùs amittere, omnibus charissimis carere: Ut DEUM non offendas, nec nummũ perdere. 4. Ingredere cogitationes tuas invenies pelagus tui, etsi fœtidi amoris: Divini vix unam guttulam: De te totis diebus noctibus cogitas, in tuo successu, gestis, exultas, tripudias, de tuo contemptu doles, angeris, omnes possibiles modos reparandi, meditaris, honorem tuum, at de DEO! 5. Cogita ad quid faciendum sis magis resolutus, si opus esset, ut, aut manum amitteres, aut tuum crimen excusando mentireris? O quàm *omnes declinavimus, inutiles facti sumus, non est qui faciat bonum, non est*

usq; ad unum. Pluris nos facimus quā DEUM. *Sed DEVS dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam DEVS sprevit eos.*

PUNCTUM VII.

AMor Dei ubi est? 1. Facit ut te contemnas, & quæras confusionem. 2. Bern. S. 73. Cant. *Nihil præter Deum cogitare sinit, fastidit cætera.* 3. Pro DEO ut ait, Chrysost. *Probrum & dedecus quid sit, ignorat charitas.* Imò in eo gloriatur, ut Paulus in Crucifixo. 4. Illa Deo offert, quò eo gratiora, ut bonam famam, honores, iudicium proprium, & voluntatem, appetitum. 5. Lætatur se confundi. 6. Non in affectione, aut sensuali oblectatione sistit, sed in communicatione bonorum, omnia eius bona cōmunia pauperibus, propter Deum. 7. Non in verbis, sed in operatione cōsistit, laborat pro Deo infatigabiliter

ter Ioann. 16. *Qui audit mandata mea, & facit ea, hic est qui diligit me.* 8. Magis ea quærit, quæ DEO, quàm quæ sibi placent. Ideò in omnibus quærit ea, quæ plùs habent mortificationis S. Chrysost. hom. 25. in Act. *Quæ suavia sunt in hac vita, ita ridet & non sentit, sicut nos vel ipsi mortui, corpora mortua.* Et iuxta S. Brigitt. *Omnia temporanea sunt ei amara & omnis voluptas carnis quasi venenum.* 10. Non est contentus si solus amet, sed omnes urget ad Deum amandum, in hoc est inquietus & importunus. 11. Magd. de Paz. l. 22. 3. p. §. 6. *Tantùm se humiliat, si ei diceretur, quòd sit Deus; quā si diceretur, quòd sit dæmonium.* 12. In omnibus perfectè suam voluntatem, divinæ conformat. 13. Magis vult laborare, quàm scire, pluris facit obedientiam quàm scientiam.

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM QVARTUM.

Puritas Intentionis.

PUNCTUM I.

1. NOn est Deo dignus, qui non illum, sed aliud quærit, ut cōcupiscentiam carnis, oculorum, aut vitæ superbiam. 2. Benè agit, qui propter cœlum agit, non tamen optimè. 3. Si pura intentio non sit, fucus fit Deo, atq; si scurræ fiunt reverentiæ, ob nostram recreationem. 4. Nil meritorum, veri enim adorarores, in veritate debent adorare. 5. In omnibus virtutibus incurrit falsitas, maximè in intentione, at sine hâc, totum corpus obscurum. Contemnere te dicis res creatas, moveat tuam quis aciculam, irasceris? O verus rerum contemptus! Odisse te spec-

peccatum & detestari, & non adhibes rigidas pœnitentias ad illud destruendum, o veritas? Te DEUM timere, & hæc coram eo cogitas quæ coram me! si mentem tuam intueerer, confunderereris tibi incidisse. Curare tuam salutem, nimirum sicut ægrum, cuius medicinam de die in diem differres, & integris septimanis non requireres quomodo eius sanitas habet. O mendacium vitæ humanæ! sed sicubi mentita est iniquitas sibi, in eo maximè à quo depēdent omnia. *Propter te Deus, purè propter te, oro, laboro.*

PUNCTUM II.

SOli DEO placere vis. 1. Dum concionaris; vel publicè oras, sacras supplicationes instituis, si te riderent ut Davidem Michol, an eodem fervore pergeres? 2. Si officio tuo laborioso v.g. Professura, Philosophiæ,

militiæ, non plùs præmij, honoris daretur, quàm agricolæ, mediastino: Nonne vacillares, non te à labore excusares? At eôdem modô Deo placeres. 3. Si eôdem modô, minimo, & quem deprimere possis, & qui te reveretur, tuo superiori obedis, ac maximo, severissimo, à quo tua promotio dependet, tum fortè propter Deum, nec metu aut spe obedis. 4. Si in omni angulo eum eâdem compositione exteriore, celeritate, debita munia obis, ac coram ijs, qui ex eo actu te iudicaturi, an pro officio altiore sis idoneus, fortè propter Deũ agis. 5. Si dum alicui negotio sedulò te applicuisti, & perinde alacriter consurgis ab eo, ob divitem, ac quemvis miserum. 6. Si æquè leniter divites & pauperes tractas, cum utrisq; æquè suaviter agis in causa pari. 7. Si æquè faves, instruis errantem, compateris inimico tuo, ac amicissimo, aut Fratri. 8. Si perinde

habes

habes si tuâ re usus fuerit, qui tibi multa mala fecit, ac qui beneficia? Fortè tua est pura intentio. Sed sæpè agimus, minimè propter Deum, cùm maximè dicimus nos agere propter Deum. 9. Si pauperem, famentem, nudum, æquè quantùm ex te curas, ac te. 10. Si æquè libenter, (si esset opus æquè gloriæ Dei) plateas publicas verreres, ac S. Paulum vel M. Magdalenam converteres, & in eo perindè, atq; in hoc tibi complaceres. 11. Stabimus in illa die, dicetur. *Recepisti mercedem.* Solvat tibi pro quo egisti, in carne semináſti, de carne mete corruptionem. DEUS non acceptat medium cor. Populus es qui labijs Deum honoras, & cor tuum ab eo procul. 12. Si purè ob Deum agis, orando v. g. cur tam desidiosè? An tam vilis Deus? Si ei placere studeres, quàm optimè velles facere, quia magis ei, meliùs facta placere nôsti. Sed veniet tempus

cùm hæ iustitiæ iudicabuntur, id est damnabuntur. Nudus stabis & tuis ipse verbis quibûs in vita Deum ludabas, delusus. 13. Soli Deo placere vis? Ergo id eligere debes, quod ei magis placet. Ut si ei placeret magis te esse mendicum, cæcum, in rotam à carnifice actum, rudem, despectum; hoc eligere deberes, quàm esse divitem, doctum &c. & ad hoc non minùs propēdere, quàm ad illud. 14. Ergo sive exaudiatur oratio sive non, sive in ea consolationem sive ariditatem patiaris, perinde te attentum & ei applicatum gerere debes. 15. Ergo si tibi damna accidunt, non tristari; si fugæ, si falsi fratres, si à filijs illudaris, si calumnias patiaris, si omnia tua dicta carpant, te infament, si modò id suspiceris Deo placere: Si non te quæris, sed Deum, perinde ac in successibus faustis lætus esse, & ut Apostoli gaudere quòd contumeliam passus sis, & in-

cruce gloriari cum Paulo, & cum Iobo Deum benedicere, & cum Macario te non defendere aut excusare debes. 16. Ergo sive tuus amicus sive hostis in negotijs gloriæ Dei successus habeat, sive tu, sive alius id fecerit, perinde gaudere. 17. Ergo in quocunq; loco, in patria, aut extra, in amœno aut horrido, sub tecto aut sub dio, si non te quæris, inquantùm in te est, si æquè Deo placiturum sit, contentus esto esse. 18. Ergo nec amare te nisi propter Deum. Sed magis placebit Deo, si te semper mortifices, confusionem quæras. 19. Ergo nec proximum nisi propter Deum; sed æquè propter Deum amari potest inimicus ac amicus, rudis ac doctus, despectus ac honoratus, nisi illum ames propter doctrinam, formam, honorem, non propter Deum. 20. Præparas te coram Rege dicturus, coram auditorio grandi, quod te invitavit specialiter, ut coram illo dicere-

res: Si minore diligentiâ coram Deo, etsi nullus hominum adsit: Aut Deum non æstimas, aut non propter illum facis: Et hinc adverte unde lãgvor tuus procedat. 21. Si propter Deum facis, illô ergo spectatore cõtentus esto: Sicut qui parat vestem propter se, non curat etsi pro alijs sit longa nimis, aut brevis: Ergo quidquid alij dicant, contemnant, dum certus sis illi placere, eôdem fervore perge.

PUNCTUM III.

1. PRopter DEUM es factus religiosus, miles &c. quid quæris ea, quæ sunt carnis, mundi &c. turbaris si desint: Et fortasse omnia alia quæris, excepto solo Deo: Vt patet collatis curis, quas pro Deo, & pro te, & rebus alijs, impendis. *Conversus es in arcum pravum*: Promittebas o vinea botros, tulisti *labruscas*: Iure de te Christus queritur *& qui mecum e-*
rant

rant de longè steterunt. 2. Si mansisset puritas intentionis in omnibus, qui eam præferunt, non dixisset Paulus *omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ IESV Christi.* Sicut itaq; in moralibus universalibus propositionibus, paucissimos habes, qui quærant & agant *propter te* o DEus meus. Propter te quidem aliqui cœperunt; *sed omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt*: Vocati à te ut tibi serviant, omne studium verterunt, ut vanitati aut opinioni aliorum satisfaciant. Quisquis movetur eô, *quid dicent alii de me*: non tibi servit: Quisquis ait cùm alij quidquam celebre agunt, *nolo esse illis posterior*: Se, non te quærit, se, ut sit non posterior: Qui enim *propter* te agit, omnem aliam gloriam, elienam à se putat, præter tuam: Et non magis appetit laudari, aut alijs invidet, quàm aquilæ invidet volatum, aut pardo maculas. 3. O! anima mea loquar quod est. Omnibus sincerius

servitur quàm Deo, quærit mercator solùm lucrum, & alia omnia contemnit: Quærit miles victoriam & alia non curat; ut v. g. sit Magister Philosophiæ; at Deo & hominibus, imò hominibus & Deo, placere desideramus!

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM QVINTUM.

Quis amat DEVM.

PUNCTUM I.

1. AMat saltem, qui amat Deum ut se, sed quis amat? 1. Friget & frigore perit proximus, & in eo Deus, tu æstu diffluis. 2. Fame tabescit, tu ebrietate, crapulâ; cocis domus plena! 3. Squallet in carcere ob modicum æs alienum; tuæ cistæ nimiâ repletione rumpuntur, & tamen amas Deum? fallit in te regula

Ioan-

Ioannis. *Qui non amat proximum quem videt, quomodo amabit Deum quem non videt*, in te uno rem aliter fore non prævidit? 4. Quid? Augustinum audiam, & hic multò magis fallitur, lib. de laud. Charitatis. *Qui non diligit, ei mandatum Dei grave est, si diligit, grave esse non potest.* Non gravis venatio cum tanto labore, quia diligitur, gravis visitatio incarcerati aut ægroti! 5. Non gravis lusus pueris, quia diligunt eum, non grave ad amicum per mare, non grave nocte; pervigilare mercatori, quia diligit lucrũ; non grave avaro numerare pecuniã, quia diligit, tibi soli grave quidquam pro proximo facere; quem tamen diligere te dicis, & sic amare Deũ ut te.

PUNCTUM II.

QUi amat plùs DEUM quàm se, ille diligit: parce comparationi utriq; Deus. Priùs dixi, qui amat

te ut ſaccum ſtercorum, ſaniem ; nunc dico, qui plùs te, quàm hæc amat, ille amat. Meruiſtine & hũc amorem? utinam meruiſſe omnes agnoſcerent! ſed quas probationes & examina ponam? ubiq; pudor & confuſio! 1. Iniuriam meam pati nó poſſum, multò magis Dei, ſi eum plus amo, & in me eam ſic vindicare deberem, ſicut meam offenſam in alio. 2. Ob voluptatem amore mei, non parco labori, ut Deo guſtum faciam, hora longa orationis. 3. Totâ ferè nocte faber uritur ad ignem, ut ſibi victum provideat, impoſſibile tibi ut orationem per horas duas protrahas. Cùm tamen cibus ſit Chriſti, voluntatem fieri Dei, ſeu id quod placet Deo. Sed vanum ut video de hoc amore cogitare.

PUNCTUM III.

SAltem ſi plùs amo Deum, quàm creaturas. Sed & hic, Leander mare ſine navi, ob amicam intrat,

an

an ego ſic ad templum? 2. Noctes dulciter amantes in colloquio conſumunt, an ſic cum Deo? 3. Tempus breve de amico loqui, audire delectat, cogitare mel eſt. An ſic de Deo? 4. Ad Troiam ob Helenam decenne bellum trahitur: Grave, vel verbum loqui pro domo, aut gloria Dei, propter reſpectus, tacendum eſt 5. Si de tuo amico dicatur aliquid indecens, infame, frendes, furis, & ſæpe propter quam ſic moveris, meretrix eſt. At Dei nomen blaſphematur, contemnitur! 6. Non lutum, non nives, non pluvia iter impedit, at nõ ad Deum, at non ad pauperem, ut ei ſuccurratur? Deus bone quid agitur! Sic negligeris? Amamus Deũ! mentimur. Ah impudenter mentimur! Amamus? ridemus! Amamus? 7. Ibi paratus es omnia perpeti & agere, ne tua bona tibi eripiantur, ut novum honorem acquiras, rem amiſſam recuperes. Hic nihil. Ibi largiris, hic

hic eripis. 8. Consideras verbum ne amicum offendas, si quid dissonum subrepat, statim deprecaris: Et tamen qui Deum non plùs facit, quàm hæc, non est Deo dignus. O inferne aperi os tuum! Aperi & amplius, 9. Itane amamus ut Patrem: En quot venialia, tot alapæ, quot mortalia, tot mortes! Attendite Angeli hunc nostrum amorem, attendite cœli, quæ loquor. Nil fecit DEUS pro nobis, ignotus est omninò, ad nos non pertinet? Ah ita agimus! Itanè vos etiam Deum amatis, & plurane incentiva amoris habetis? Patiens terra! Patientes Angeli! Pro nobis passus, mortuus. Illorum fratres lapsos semel, æternùm deseruit.

PUNCTUM IV.

IN Malaca singulis annis 20. millia hominũ Dijs, Ethnici immolabãt, tu, ne unius rusticelli Deo, opera.

2, Sed hoc est amorem nostrum, cum amore conferre, cùm odio conferā. 3. Hostis cùm hostem necat, in ira id, & turbatione facit, & ab illo lacessitus: tu per iocum, cum volu- ptate moraliter peccas. 4. Hostis si semel hostem necet, satisfactum du- cit suo furori, à te rursus & rursus Filius Dei crucifigitur. 5. Hostis ho- stem non statim ab infantia, ab usu rationis odisse, nisi perrarò incipit: tu Deum mortali culpâ persequi. 6. Placaretur hostis, etsi ferocissimus, si illi alter hæreditatem suam, vitam, omnia sua daret. Si ex periculis sal- tem decies liberaret. Retinuitne Christus vel guttam sangvinis, quam pro te non effuderit, deciesne te ab inferno liberavit remittendo pecca- ta? 7. Placaretur hostis si tot modis rogaretur, tam indesinenter, tanto tempore te tot libri, concio, con- scientia &c. *Obstupescite cœli super hoc!* 8. Blasphemat infernus, sed iam ul-

tra beneficia non accipit, at tu si nō voce, vitâ blasphemas! 9. Dæmones in nomine IESU, genua flectunt: tu nec caput detegis. 10 Iudas semel tradidit, gemuit. Lucifer semel honore spoliavit. 11 Miserum me, miseram ingratitudinem nostram, quid non fecit ut amaretur, quid non feci, ut odio haberentur! Quando dæmon, hæreticorum aut Iudæorum causam egit, ut haberet synagogam aut conventiculum, in quo nomen Dei blasphemarent? egerunt & agunt Christiani, & quis scit an non tu? Quando vendidit, spoliavit, diripuit patrimonium Christi, &c. &c. 12. Amemus ergo, non dico ut amicos, quia hoc despero, Non ut pecuniā, non ut terram, sed amemus ut comparationem amoris nostri, coram cœlo sine horrore, coram inferno, sine risu explicare possimus. 13. Si te meliorem reputas Deo, non ama, Deus certe se pro te dedit, ut te lucraretur.

14. S. Brigitta vidit nocte quâdam crucifixum manantem sangvine veluti recenter affixus cruci esset, cumque petijsset ab eo, à quonam id mali perpetratum fuisset, respondit: *ab his qui contemnerent charitatem ipsius.*
15. Non amas Christum, si amas pecunias. Cypr. serm. de Bapt. Christi. *Non amat te Domine, qui pecuniam diligit, tibi nemo & mammonæ simul deservit.*

PUNCTUM V.

Sint signa vulgaris amoris, ad quæ te examina.

OBservare decalogum, regulas, consilia superiorum & PP. spiritualium. 2. Vota, 3 Leges. 4. Cõsilia Christi. 5. Consvetudines pias. 6. Consilia bonorum. 7. Et magistrorum spirit: 8. Proposita tua. 9. Aliorum. 10. Etiam inferiorum potiùs facere voluntatem. 11. Instinctus. 12. Exempla visa vel audita. 13. Sem-

per

per proficere. 14. Omne peccatum. 15 Et imperfectionem vitare. 16. Singulariter inimicos amare. 17. Purissimâ ob Deum intentione agere. 18 Totum tempus in meritorijs actibus cōsumere. 19. Benefacere semper inimicis. 20. Omnia pati. 21. Nec conqueri. 22. Nec levamen quærere. 23 Sed etiam hoc amare, nec velle liberari. 24. Imô quærere. 25. Impedire peccata, augere gloriam Dei. 26. De solo Deo loqui. 27. Sola spiritualia tractare. 28. Vt nostro exemplo alij accendantur. 29. Ferventissimè agere. 30. Eligere perfectiora. 31. Seu magis contempta. 32. A nullo officio se excusare. 33. Quærere conversationem perfectiorem. 34. Suaviter ad perfectionē hortari. 35. Nil ob respectus agere aut omittere. 36. Nil indignum ore Christiano loqui. 37. Aliena optimè interpretari. 38. Non locum aut laborem eligere. 39. Etsi malitiosè accuseris, deferaris,
non

non te tueri. 40. Nec excusare. 41. Malas de te persvasiones superiorum non corrigere nec ostendere esse malas. 42. Omnem pœnam, etsi innocenter accipere. 43. Cùm viliores te, extolluntur, gaudere. 44. Confusione publicâ gaudere. 45. Quod omnes fugiunt, amare. 46. Cum his libentius agere, qui nos offenderunt. 47. Qui te læserunt deprecari. 48. Eligere viliora utensilia. 49. De bonis operibus vituperia refferre. 50. Vt te, etiã viliores, ut cadaver tractẽt.

PUNCTUM VI.

QVi amat, si audit, ab aliquo factum peccatum ita abripitur, sicuti cùm nunciatur eius Parens occisus, aut domus exusta: ut omnis intellectus ratiocionatio, quâ seconso letur auferri videatur, & anima veluti perculsa ac consternata hæreat. 2. Qui amat, si audiat mentionem

de DEO, ita abripitur, ut si summũ bonum ipsi daretur, & tota quasi etiam nolens anima est in eo. 3. Qui amat, ex illo igne veluti flammæ lucidæ in altum perpetuò evolant. 4. Docet Christus D. S. Teresiam apud Riberam l. 4. vitæ c. 4. *Scisne quid sit me veritatem diligere? Id demùm est, nosse quidquid mihi gratum non est, mendacium ac falsum esse.* 5. Qui amat, cupit coniungi cum dilecto, quia verò hoc non potest fieri, nisi per mortem, hinc eam ardenter expetit, & morbos eius nuncios amplectitur, & quoties sonantem audit horam, gaudet, quia sibi propiorem unâ horâ credit sponsum. Et rursus libenter in hac vita superest ut maiùs ac diuturnius DEO præstet obsequium. 6. Qui amat, apud illum nullum aliud tempus est, nisi amoris. 7. Omnia quæ facit ob Deum parva imò nulla ei videntur. 8. Qui amat, si vel cogitat se adhuc posse dilectum offendere,

dere, lacrymis & dolore distorquetur. 9. Quidquid ei adversum, asperum, repugnans, acciderit, ubi in mentem venit, quod ob dilectum sit faciendum, statim dulcescit. 10. Cibus, somnus, & reliqua grata corpori, quia amorem impediunt, acerbissima sunt. 11. Qui amat, cupit ut omnes ament, & in id se totum impendit. 12. Qui amat, quidquid animo volvit, quidquid agit, Deus est. Vtq; semper & semper Deo gratiora faciat. 13. Nihil potest evenire, quod cogat eum, intermittere ea, quæ vel ipse advertit, vel ab alijs audivit ad maiorem Dei esse gloriam. 14. Amat eos qui gloriam dilecti procurant, eorum gaudet bonis, malis summè compatitur. 15. Qui amat, omnia sua commoda postponit, & mala, pœnæ incurrit, dum vel unum ad amandum suum dilectum pertrahat, & hunc ob finem multas preces, multas corporis macerationes admovet.

vet. 16. Ægrorum, afflictorum specialem curam habet. 17. Inimicos & diligit & illis benefacit. 18. Omnia aliorum dicta factave in meliorem explicat partem. 19. Teresia amans, de se ait apud Riberam vitæ lib. 4. c. 26. *Nec honor, nec vita, nec gloria, nec ullum corporis animive bonum dari potest, quod me retineat, nec ullam ipsa gloriam vel commodum meum ambio vel quæro, sed unicam eius gloriam.*

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM SEXTUM.

Communio bene facta.

PUNCTUM I.

1. SI meritorium est dare calicem frigidæ, multò magis erit communicare. Memoria passionis, est tanti, quanti Alb. Magn. sed hæc fit in communione. Vide Soliloquium 57 p. 3.

p. 3. n. 7. 2. Sacramentum ex meritis Christi producit gratiam, hoc specialiter Eucharistiæ competit, quia cùm sit cibus animæ ad eam sustentandam ordinatur, quod fit, gratiam producendo, & quia est summum Sacramentum præ cæteris. 3. Laur. Iustin. de casto connub. c. 18. *Reparatur in homine per eius sumptionem quîd quid vitiorum impulsit collapsum est.* 4. Unde est medicina. 5. Et quia producit gratiam, auget & virtutes infusas. 6. Esto etiam sine actuali devotione sumatur ita S. Th. 3. p. q. 79. a. 8. 7. Confertur simul, sapientia, intellectus, scientia, consilium, fortitudo, pietas, timor Domini, quæ sunt dona Spiritûs Sancti. 8. Si sine affectu ad venialia antiqua quis accedat, ea delet Eucharistia, esto quis ad nova afficiatur. 9. Bern. ser. 1. de cœna Domini. *Minuit sensum in minimis in gravioribus tollit omninò consensum.* 10. Passiones obtundit. 11.

Luxu-

Luxuriæ stimulos hebetat. 12. Pœnas temporales pro peccatis tollit pro rata devotionis, non solùm illi qui communicat, sed & pro quo offertur. 13. Dat gratiam Sacramentalē, id est actualia auxilia. 14. S. Th. 3. p. q. 79. a. 1. *Effectum quem Passio Christi fecit in homine, facit.* 15. Præservat à peccatis mortalibus. 16. Chysost. hom. 45. ad pop. *Hic sangvis dæmones procul pellit, qui cum Dominicum sangvinem in nobis vident in fugam vertuntur.* 17. Speciale lumen confert & inspirationes. 18. Quia sicut Deo non poteramus satisfacere pro peccatis, ipse pro nobis satisfaciet, ita non possumus pro beneficijs quidquam rependere, reliquit se nobis ut eum nostrum faciendo per cōmunionem ei reddamus. 19. Pacem inducit Ioan. 14. post cœnam ultimam. *Pacem do vobis, pacem do vobis.* 20. Gaudium quoddam. Ioan. 16. *Gaudebit cor vestrum & gaudium nemo tollet à vobis.*

PUNCTUM II.

1. FOntem in nobis gratiæ ponit. Tertull. lib. de resurr. carnis c. 8. *Caro corpore & sangvine Christi vescitur, ut & anima Deo saginetur.* Unde Deitatem & Humanitatem in nobis ponit. Quodsi propter Iacobum Deus benedixit Labano cohabitantem, cur non potiùs nobis ob Christum? Ob Moysen Iosue Deut. ult. quia manus in eo posuit. 2. Si vivēs in mundo Christus tactu vestium sanabat, quid modo? 3. Si umbra Petri sanabat, quid non corpus Christi? 4. Hic habes fontem scientiarū. 5. *Ita roborat animam, sicut panis corpus.* S. Cypr. serm. de Cœn. 6. B. Algerus lib. 1. de Sacr. c. 15. *Dum Christus manducatur vita manducatur.* 7. S. Th. 3 p. q. 79. a. 1. *Omnem effectum quem cibus & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, facit*

cit hoc Sacramentum quantum ad sustinendam vitam spiritualem. Idem docet Conc. Flor. in decr. 8. Si nutricum lac, infantibus mores ingenerat ut ait Macrob. lib. 5. c. 11. Quid sangvis Christi? 9. Si Panis subcinericius confortavit Eliam, quid hic? 10. Cypr. ep. 54. *Deficit mens quam non recepta Eucharistia reficit, erigit, & accendit.* Quia ut Laur. Iust. de cast. connub. c. 18. *In bono confirmat & à malo præservat.* 11. Iudæi quia biberunt de petra, bellum contra Amalec iniêrunt. 12. Quamdiu species manent in homine nova dispositione accedente ex opere operantis augetur gratia. 13. Si verbo Christi alij consecuti gratiam, quantò magis hic? 14. Si Magdalenam, Zachæum, Latronem, Samaritanam recepit quantò nunc. 15 Propter arcam Deus benedixit domui Obededom, quia apud illum quievit. 2. Reg. 6. quid hic? 16. Ob præsentiã Lothi non poterat nocere Sodomæ, quid hic.

Bun-

PUNCTUM III.

LAur. Iustin. de cast. connub. c. 18. *Corpori nos Christi mystico Eucharistia incorporat. Qui manducat meã carnem in me manet, & ego in eo.* S. Cyrill. Alex. lib. 10. in Ioan. c. 13. *Sicuti si quis liquefactæ ceræ aliam cerã infuderit alteram cum altera per totum commisceat, necesse est; ita si quis carnem & sangvinem Christi recipit, ita cum ipso coniungitur, ut Christus in ipso, & in Christo ipse reperiatur.* 2. Imò corporalem quandam unionem ad Christum ait acquiri lb. 11. in Ioan c. 26. & Damasc. lib. 4. de fide c. 14. *Per illud purgati corpori Domini ipsiusq; Spiritui unimur, ac Christi Corpus efficimur* Ephes. 3. dicit *Gentes esse cohæredes & concorporales & comparticipes promissionis in Christo.* Unde tractabi corpora nostra, ut suum. 3. Est per inde, acsi pro nobis, rursus Christus

ſpecialiter moritur S. Greg. hom. 27.
in Evang. *Quoties ei hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram, paſſionem illius reparamus.*
4. Etiam actus bonos in nobis excitat. S. Th. 3. p. q. 79. a. 4. *Charitas, non ſolum quantùm ad habitum, ſed etiam quantùm ad actum in nobis excitatur.*
5. S. Th. opuſc. 54. c. 10. dat ſimile. *Sicut arbor amaros fructus fert, ſi tamen ſurculus implantetur, corrigitur &c. Sic Corpus Christi nobis inſitum, defectus noſtros evacuat & in ſuam nos bonitatem trahit, ut quales ipſe frondes, flores, & fructus iuſtitiæ facit, tales & nos per eum faciamus,* Quid ſi lignum vitæ ex paradiſo implantaretur? 5. Etiam in corpus refundit effectus gratiæ, ita S. Th. 3. p. q 79. a. 1. ad 3. 6. B. Al. M. Comp. Theol. l. 6. c. 6. *Sicut aqua refrigerat, ita iſtud Sacramentum fervorem concupiſcentiæ mitigat.* 7. Quid nonne hoc plùs mannâ. 8. Vi-
res

res corporis auget ad bonum. Th. Kemp. l. 4. c. 1. 11. in ſacro etiam dicitur. *Fiat nobis ad ſalutem mentis & corporis.* 9. Hinc noſtro corpori ſpecialis debetur Dei protectio. Et probatum eſt quòd validiores ſint, qui frequentius communicant ait Fagūd. 3. l. 4. c. 5. n. 7. 9. Oblectationem devotionis ſenſibilem ciet. Quia hoc habet cibus quod oblectet. 10. In Chriſtum nos mutat. Aug. 7. Conf. 10. ipſe dixit, *nec tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Chryſoſt. hom. 45. in Ioan. *Vt non ſolùm per dilectionem, ſed re ipsâ in illam carnem convertamur, per cibum hunc efficitur quem nobis largitus eſt.* De hoc S. Th. Opuſc. 58. c. 5. *Vniuntur in unitate corporis cibus, & ſumens* ut Ioan. 6. *Qui manducat meam &c.* 11. Unit cũ Chriſto per gratiam 1. Cor. 10. *Vnus panis, unum corpus Chriſti ſumus,* Arca idolum proſtravit. Quid ni Euchariſtia peccata? 12. S. Leo

ep. 23. *In illa Mystica distributione spiritualis alimoniæ, hoc sumitur, ut accipientes virtutem cœlestis cibi, in carnē ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.*
13. Sed monet Chrysost. serm. 30. de prod. Iud. *Nemo igitur sit Iudas in mensa: Hoc sacrificium cibus spiritualis est &c. Si aliquem repererit malignitate pollutum, magis eum perdet, non suâ naturâ, sed accipientis vitio.* S. Bonav. in brevil. p. 6. c. 9. *Qui tepidè, indevotè, inconsideratè, accedit: Iudicium sibi manducat & bibit.* Chrysost. serm. 57 in cœmeter appell. *Nos non ut aquilæ, sed ut canes accedimus, tanta nostra est impudentia.* 13. Oblita peccata remittit. 14. Christus in tantum oblectatur hoc facto ut dixerit S. Gertrudi l. 5, c. 30. divin. Insin. *In hoc ego in infinitum plus delector, quàm omnes simul qui unquam in humanis amplexibus & osculis sunt delectati, potuerunt experiri.* 15. Laur. Iustin. de disc. Mon. c. 19. *Nemo servorum Dei ab hoc se subtrahat*

Sacramento, quamvis actualis desit devotio, non debet repelli ab eo indevotus iustè vivens, virtuosè conversans, humiliter se agnoscens, purè confitens, & reverenter accedens. Imò S. Gertrudi dixit Christus lib. 4. c. 6. Div. Insin. *Nihil aliud requiro à te quàm quòd evacuata* (humilians se) *venias ad recipiendum.* 16. Verùm in vita Alvarez cap. 6. *Infirmus Domine qui tecum non exhilaratur* (post communionẽ non moratur) *valde prope est ut cadat &c.* 17. Ibid. *qui in domo tuâ Domine non ostendit tibi promptam voluntatem, quomodo iterum tuum ad se adventum exspectabit?* 18. Si B. Virgini significaretur quòd rursus sit paritura Christum quomodo se disponeret ad eum, ita & tu. 19. Una in homine lætitia spiritualis excitatur, & talis oblivio vitæ præteritæ, ut nec Deus recordetur tuorum malorum, nec tu ipse, & omnes consvetudines malæ, veluti non fuissent pereant, S. Cypr. lib. 2. e-

pist. 3. ait. *Communionem ob hoc sumi, ut mentem ad spiritualem sapientiam redigat, ut à sopore isto sæculari, ad intellectum Dei unusquisq; resipiscat, ut quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & tristitia omnis exponitur* (repellitur) *ita memoria exponatur veteris hominis & fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, & mæstum ac triste corpus, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitiâ resolvatur.* 20. Dat animos ad martyrium sustinendum. Cypr. lib. 4. epist. 6. *Considerantes idcirco se quotidie calicem sangvinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sangvinem fundere.* 21. Corpori robur quoddam dat & longā vitam. Cypr. serm. de Cœna Domini. *Panis iste procurat vitam & incrementum corporis.* 22. *Cum Christo ut* id: ibid. *affectus consociat & confœderat voluntates.* 25. Id ibid. *tactu sanctificat, fide illuminat, unit, te Christo conformat, & sicut panis communis quem quotidie*

edimus

edimus, vita est corporis, ita panis iste supersubstantialis vita est animæ, & sanitas mentis. & ibid. *omnibus, qui dignè & devotè sumunt secundum suum desiderium sapit.* 24. Sicut sangvis Abel clamabat ad DEUM, ita sangvis Christi è cordibus nostris, dum eum sumimus clamat misericordiam. An non impetrabit? Cypr. ser. de dupl. Martyr. ait de illo. *Si modo dignè bibitur, clamat in cordibus nostris verba pacifica ac plena solatiis.* Et quia sumimus simul animam Christi, illa ut id. ibid. *Clamat spiritus* (id est anima Christi) *qui nobis arrhabonis hoc loco datus est, Abba Pater testificans quòd simus Filii Dei.* *Clamat* (Aqua lateris Christi) *aqua per quam renati sumus, quòd sint condonata nobis omnia peccata.* Iam verò si ut ait idem ibid. *Quò plus sangvinis effusum est, hoc magis ac magis effloruit multitudo fidelium.* Et hoc de sangvine MM. qui tot alios SS. & MM. progenuit, quid de sangvine Christi, si

sæpius cor tuum rigaverit? 25. Facit ut tormenta Martyres non sentiant, ita S. Aug. tr. 27. in Ioan. in fine de de Laurentio ait. *In illa longa morte, in illis tormentis, quia benè manducaverat & benè biberat, tanquam illâ escâ saginatus, & illo calice ebrius tormenta non sensit.* 26, Quodsi iuxta S. Bern. apud Val. Venetum Capuc. in prato p. 2. f. 544. maioris utilitatis est audire missam, quàm totâ vitâ semper peregrinari, & omnes facultates in eleemosynas elargiri. Quid erit cōmunicare, ubi non qualitercunq; audit, sed perficit & cooperatur Missæ. 27. Apud eundem Bern. ait & Gregor. Magn. Nunquam audivi Missam quin peccator unus convertatur & una anima è pœnis liberetur. 28. Preces talis hominis faciliùs exaudiuntur, quia valorem aliquem ex Christo accipiunt. 29. Amb. apud Eug. Pretelli in Hortulo novo fol. 78 *Plùs valet una missa quoad remissionem cul-*

culpæ & pœnæ & augmentum gloriæ, quàm orationes reliquæ totius mundi. 30. Aug. apud eundem. *Die quovis devotè interfuit sacro, non labetur in peccatum mortale, & omnia venialia ipsi remittentur, nec subitanea morte morietur.* 31. Multa breviter D. Bern. *Est medicina ægrotis, peregrinantibus diæta, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem servat, fit homo mansvetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actiones devotior.* 32. Ignat. epist. 4. Ephes. *Expelli* ait *per Communionem potestates Sathanæ.* 33. Alb. M. tr. de Euch. ingenerari radium immortalitatis.

PUNCTUM IV.

IAm illud quanti. Quod Alb. M. de off. Missæ 3. part. cap. ult. docet. *Quando quis dignè communicat fit par-*

ticeps

ziceps omnium bonorum, quæ Christus operatus est in vita, ieiunando, discurrendo, orando, prædicando, lacrymando, & quod in die Parasceves sustinuit, præterea participat de omnibus bonis Ecclesiæ, & omnium sanctorum qui sunt in cælo. 2. S. Teressa dicit lib. 4. c. 26. vitæ Rib. *Longo usu experientiaq; cognovi, cùm Divina in eo mysteria, evidentem quandam sanitatem corpori accessisse sentio.*

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM SEPTIMUM.

Passio Christi.

PUNCTUM I.

C*ùm dilexisset suos in finem dilexit eos*, id est non potuit in hoc ordine ampliùs: Tantùm fecit, quantùm Deus potuit facere. Sicut homo in finem rem aliquam facit, quando ita facit ut non possit meliùs, unde iustum,

iuſtum, ut nos etiam in finem diligamus. 2. In finem fecit Deitatis, cùm enim natura eius ſit *Eſſe*, ſicut eſt natura noſtra eſſe animal rationale. Heb. *Exinanivit ſemetipſum*. Aug. *Peccatum eſt nihil*, factus in ſimilitudinem peccati, plùs ſi homo vellet fieri canis, ut canem ſalvet. 3. Deus eſt naturâ Dominus. *Formam ſervi accipiens*. Plùs quàm ſi vellet ad publicam columnam aliquis Princeps pro ſcelerato flagellari. 4. Deus eſt naturâ ſuâ *ſanctus*, imò ter ſanctus, magis quàm homo ſit vivens, ſuſtinet dici *ſi malefactor non eſſet &c.* plus quàm ſi Rex, ob ruſticum, vellet dici lixa aut latro, 5. Deus eſt naturâ ſuâ *impatibilis*, factus pro nobis ita, ut verum ſit dicere *DEVS mortuus, DEVS mortuus & paſſus*, quod eſt plus, quã ſi Sol converteretur in fimum. 6. Deus naturâ ſuâ *omnipotens*, ecce ſubiectus peſſimis hominibus. *Ipſe langvores noſtros tulit*, plus quàm ſi Imperator

rator manus ſibi amputari, oculos evelli, aures reſcindi propter canem iuberet. 7. DEUS naturâ ſuâ *omnis pulchritudo*, Ier. *Vidimus eum & non erat ei aſpectus*, plus quàm ſi in gratiam mei totos cœlos, ſtellas, & omnia deſtrueret. 8. DEUS naturâ ſuâ, nulli ſubiectus, ecce ſe tradidit in manus carnificum, imò dæmonum. *Hæc eſt poteſtas tenebrarum*, plus quàm ſi Rex permitteret ſe in rotam agi, comburi & hoc pro uno ſceleſtiſſimo mancipio. Et hic eſt amor Dei, ita nos amat, ut propter nos ita quaſi deſierit eſſe DEUS: Ut cùm ſit infinitus, in finem dilexiſſet nos. Meruitne tãdem ut ſi non creâſſet nos, ſi non eſſet noſter DEUS, ſi in ſe non eſſet amabilis, ut ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus amaretur, qui nos ex tota Divinitate dilexit? Sed & diligit dixit S. Gertrudi inſin. lib. 3. c. 41. *Si tuæ ſaluti expediret & aliter ſalvari non poſſes, iam pro te ſola*

omnia

omnia vellem tolerare, quæ unquam æstimare posses me tolerâsse, pro toto mundo, & ex hoc amore si videat aliquem suã passionem & crucem respicere, maxima ei præmia confert. Sic S. Ioannem fecit Fratrem suum dando ei suam Matrem pro eo quòd steterit sub Cruce. Theophylact. *Quomodo honorat discipulum, fratrem suum illum faciens, usq; adeo bonum est iuxta crucem stare.*

PUNCTUM II.

NOn est contentus id desijsse esse quod fuit, sed ita in finem dilexit humiliando se, ut non potuerit magis. 1. Si se ad hoc demisisset ut veniret tanquam Rex. Plùs fecisset, quàm si Imperator propter lixam, relinqueret imperium & fieret famulus ultimus. 2. Si venisset ut honorata persona, ut nobilis, Doctor, dives; plùs fecisset, quàm si in gratiam unius culicis totum mundum in unam arenulam redegisset. 3. Sed venit & eò

cò se demisit, ut haberetur pro mago, *Nonne in Beelzebub &c.* quod nulla similitudine adũbrari potest. Plus certè est, quàm si summè aliquis sanctus vellet haberi pro venefico. 4. Voluit haberi patibularius, defecit omnis similitudo, sed plùs est, quã si supremus Angelus qualis est S. Michael desineret esse Angelus & fieret vermis, & cadaver putridi canis ingrederetur. 5. Voluit haberi scurra & stultus, ita ab Herode indutus veste albâ, à militibus interrogatus, *prophetisa quis te percutit*; à domesticis ligabatur ut insanus. Nihil potest cogitari æquale, plus est quàm si Salomon aut aliquis sapientissimus vellet omni sapientiâ privari in gratiam porci, & cum illo possit in luto volutari. 6. Voluit esse vagus, mendicus, inops, nec pugillũ terræ habens. *Volucres cœli habent nidos, vulpes foveas, filius hominis, non habet ubi caput reclinet.* Nullum hoc explicabit ingeni-

genium nisi Divinum. Plus certè quã si Rex regnum pro una arena daret. 7. Voluit dici blasphemus, & talis in cuius faciem spuendum esset, quem nec homines ferre deberent, ita Caiphas laceravit in se vestem viso eo, milites *expuerunt in faciem eius.* Nulla manet similitudo. Plus si sanctus aliquis ex cœlo vellet se in æternum in infernum præcipitare, ut illi daretur culex. 8. Voluit, nullius fidei, mendax, nihil honesti, unde cùm tãtum unum verbum, coram Pontifice, prolocutus fuisset, alapâ cæsus est, veluti gravissimum crimen fecisset, quòd tam vilis coram Pontifice loqui ausus fuisset, Quis hoc explicabit? 9. Voluit dici à dæmone correptus, à dæmone possessus. *Nunc scimus quia dæmonium habes.* Non manet hic quidquam quod dici possit. 10. Voluit peior quàm latrones, homicidæ, fures, & pessimi, qui sunt in mũdo homines, ideò ipse sibi crucem tulit ad

lo-

locum supplicij, ideò spineà coronâ coronatus, quod nulli unquam latronum factum, ideò à militibus purpurâ indutus, ideò in medio latronum tanquam summus nequam, ideò eo tempore crucifixus, quo ex toto mundo homines Ierosolymam pro Paschate convenerunt, ideò appositus cruci titulus summi ludibrij *Rex Iudæorum*, quale ludibrium nulli fit etiam sceleratissimo. 11. Iudicet iam homo si tam amantem se DEUM non redamat, an non sit dignus inferno? Iudicet si non curat homo salutem suam, pro qua tantùm DEUS fecit, an non dignus inferno? Iudicet si tanta pro se facientem adhuc offendat quocunq; peccato, an non dignus inferno? Bene Aug. *Qui te Domine non amat, quia eum creâsti, dignus est inferno: Quia te non amat, quia eum redemisti dignus est mille infernis.*

PVN-

PUNCTUM III.

QVid pro his omnibus vult à nobis? 1. Vult ut in terra viventes simus beati, beatitudinem enim naturalem omnes sapientes ponebant in exercitio virtutum, nam omne vitium est contra naturam & rationem. 2. Vult ut ad cœlum velimus venire, & in æternum esse beati. 3. Vult ut infernum evadamus, & nunquam simus miseri. 4. Nullum itaq; suum commodum in hoc quærit, sed solùm nostrum, & pro eo tantùm fecit. 5. Vult ut in æternùm omnem scientiam, omnes divitias, omnem honorem, omnem felicitatem, quã oculus non vidit, auris non audivit, homo cogitare non potest, habere non contemnamus: & tantum ad habendum illam seriò consentiamus. 6. At nos veluti filij improbi Cham irridemus. Ille amore nostri in ultima cœna cùm dilexisset suos in finem dilexit tanquam Noe inebriatur.

Tanquam potens crapulatus à vino, idq; in domo sua, & non est nisi frater maior & minimus, qui nuditatem eius tegat, Frater maior tempore primitivæ Ecclesiæ, & frater minimus ultimis diebus, quando unus Pastor erit & unum ovile. S. Cypr. lib. 2. epist. 3. *Invenimus, circa Noe, figuram passionis Dominicæ extitisse, quod vinum bibit quod inebriatus est, quòd in domo suâ nudatus est, quod fuit recubans nudis & patentibus femoribus, quod nuditas illa patris à medio filio denotata est, & foras nunciata, à duobus verò maiore & minore contecta.* 7. Insuper, tantus fructus est colere Christũ passum; ut non nisi improbitas extrema interveniat. Apud P. Pont. introd. ad medit. Pas. part. 4. B. Alb. Magnus ait. *Simplex Christi cum compassione memoria seu meditatio, plus utilitatis homini potest facere, quàm si anno integro quispiam in pane & aquâ ieiunaret, & flagellis se quotidiè usq; ad sangvinem cæderet, & to-*

tum

tum Davidis Psalterium recitaret. Memorant etiam aliquando revelatum, inter duas pias personas asſvetas frequenter cogitare unam de Nativitate, alteram de Paſſione Christi, hanc tantò altera fuiſſe sublimiorem in gloriâ quantùm cœlum à terra distat. At vereor ne de nobis dictum fuerit Deut. 32. *Generatio prava atq; perversa, hæccine reddis Domino popule ſtulte & insipiens, nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit* (& redemit) *te &c. Deum qui te genuit* (vulneribus) *dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui.*

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM OCTAVUM.

Opera Miſericordiæ.

PUNCTUM I.

1. MAgnam DEO fidem habes cui nec grossum credis? Ille ait

quod

quod pauperi da sibi dari, se tribu-
turum: atqui etiam Gentiles DEUM
iudicârunt veracem, & vix est tam
vilis, cui grossum non crederes. Soli
DEO id non credis. Cypr. lib. de Ele-
em. *Qui secundùm præceptum Dei elee-
mosynam facit Deo credit.* 2. Quid de
amore? jaceat in platea Rex mendi-
ci veste indutus, ait se esse Regem,
& tu scis esse eum Regem, nec obo-
lum famenti das, sic, Regi tuo, imò
Patri succurris, sic sponso tuo? 3.
Spe messis agricola inserit, spe mer-
cator pecunias exponit, si sperares
te in cœlo hæc recepturum, largior
puto esses. Itaq; nec fides, nec reve-
rentia, nec charitas, nec spes in te,
at neq; timor Dei Cypr. l. c. *Qui ti-
morem Dei servat in miserationibus pau-
perum, Deum cogitat.* 4. Erubesce, DE-
u non nummum, sed filium, sed filij
vitam ut pro te moriatur dat, DEUS
dat non petenti, DEUS petit nũmum,
nummus, nec DEUM æstimas. 5. Hoc

te docuit Christus, cuius te discipulum profiteris? ô perfidum discipulum! Iudas 30. grossis æstimavit Christum, tu totam Deitatem, quam tibi in præmium parat DEUS, nec grosso. 6. Cypr. serm. de Eleem. *Sordes quascunque contrahimus, eleemosynis abluimus.* Imò Eccles. 3. *Sicut aqua extingvit ignem, sic eleemosyna peccatum*: at tu, vel te ais non peccâsse, vel igni hoc mavis ardere. Cypr. ibid. *Sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis extingvitur, ita eleemosynis.* 7. Luc. 11. *Date eleemosynam & omnia vobis munda sunt.* Cessent potius sacrificia apud te quàm opera bona. Oleæ. *Misericordiam vult & non sacrificium*, cessent omnia. *Charitas summa omnium.* 8. Isai. 58. Ait DEUS *nec ieiuniis nec oratione* se placandum, nec cinere, nec cilicio, *at frange esurienti panem tuum, egenos &c. tunc exclamabis, & Deus exaudiet te.* Si itaq; in summum scelerum venisti, & venisti si immiseri-

ricors es: summa virtus charitas, summum malum quod ei opponitur. Fac eleemosynam, & salvaris. 9. Sed tu mavis Prov. 21. *Obdurare aures, & si invocaveris Deum non audiet te* Cy. l. c. *Non impetrabit aliquid de divina pietate precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.* 10. Si vis securus esse in iudicio, & non timere ab illo *Ite maledicti* Ps. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Dan. 4. *Peccata eleemosynis redime, & iniustitias tuas miserationibus pauperum & Deus parcet peccatis tuis.* Certè in iudicio Matt. 24. Nihil adducit iudicandum, nisi quod contra misericordiam. *Nudus eram &c.* 11. Non vis malè mori. Iob. 12. *Eleemosyna à morte liberat.* Act. 9 Tabitham à morte suscitat. 12. Vis impetrare, Cypr. ibid. *Deprecationes solæ parùm valent ad impetrandum, nisi eleemosynis adiuventur.*

PVN-

PUNCTUM II.

CHristus cùm ex amore speciali nostri, quasi arcana solùm cœlestia nobis ediceret, eleemosynas commendat maximè. Luc. 12. 19. Matt. 19. 13. 2. Volumus solatijs cœlestibus perfrui, mente illuminari, Deo esse uniti, in pauperibus in cœlum thesaurum reponimus. *At ubi thesaurus erit, ibi cor nostrum.* 3. Luc. 19. *Simile est Regnum cœlorum margaritæ. abi, vende omnia quæ habes & habebis illam*, an non tanti est? 4. Zachæus ubi statuit pauperibus dimidium bonorum dare, dicitur illi, & *hic est filius Abrahæ.* Id est ex electis. Ita propria prædestinatis. 5. Es arbor, sed si es sterilis, motu fructificas alijs, excideris, in ignem mittêris. Luc. 16. 6. Servus non es fidelis, si non das. Luc. ibid. Iam verò *si in iniusto mammona non fuistis fideles, & quod vestrum est, quis dabit vobis?* Etiam ea quæ laboribus meremini vestris. 7. Times

ne depaupereris. Cyprian, ibidem. *Finiri non potest, unde in usus Christi impenditur.* Prov. 28. *Qui dat pauperibus, nunquam egebit, qui autem avertit oculos suos, in magna penuria erit.* Tune es qui semini agris iniecto, das incrementum? Si agricola es. Tune qui navibus ventos secundos? si nauta es. Tune qui rebus successum? quisquis es. *Paulus plantavit*, & tu plantare potes, *Apollo rigavit*, & tu rigare potes, *sed Deus dat incrementum*. 8. Reprehendit solicitos & Ethnicis comparavit Christus Matt. 16. *Nolite cogitare dicentes quid edemus aut bibemus &c. Hæc enim nationes quærunt*, & hi non Dei causâ carebant, quantò magis perfidus, qui id Dei causâ timet, Deum timet, ne illi sit fidelis, ne eum decipiat. Sed si quibus non succedunt, hinc fit. Quia non primò regnum Dei quærunt & ita conditio necessaria deficit. 9. Deus talibus vitam abbreviat. Cypr. l. c.

Metuis, ne patrimonium tuum, fortè deficiat, si ex eo operari largiter coeperis, & nescis miser, quia vita & salus deficit, & dum, ne quid de rebus tuis minuatur, attendis, ipse minueris. Hinc 1. Tim. 6. *Qui volunt divites fieri* (negando eleemosynas) *incidunt in laqueos diaboli* (tam in anima quàm corpore) *Et desideria quæ mergunt hominem in perditionem* (corporis) *& interitum* (animæ) Tob. 1. 2. *Eleemosyna à morte liberat, & non patitur ire in gehennam.* Non deest Christiano alimentum, quia Matth. 6. *nec volatilibus deest*, nisi his minus intelligens sit in obsequio Dei. Cypr. l. c. *Nisi putas qui Christum pascit, à Christo ipse non pascitur.* Ibid. *Vnde hæc incredula cogitatio? & unde impia & sacrilega ista meditatio,* (exi ex cætu fidelium & Ecclesiâ) *quid facit in domo Dei perfidum pectus? quid qui Christo omnino non credit appellatur, & dicitur Christianus? Pharisæi tibi magis congruit nomen &c.* Ibid. Ob-

ſederunt animum tuum ſterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine veritatis, carnale pectus, alta & profunda avaritiæ caligo cæcavit, pecuniæ tuæ captivus & ſervus es, catenis cupiditatis & vinculis alligatus es, & quem iam ſolverat (per Baptiſmum) *Chriſtus* (quaſi hic nihil tibi proſit) *denuò vinctus es.*

PUNCTUM III.

LUc. 12. diviti dictum. *Stulte hac nocte repetent animam à te, & hæc quæ congregâſti cuius erunt?* O verè ſtulte, qui non ſcis res præmittere eò, ubi in æternùm victurus es, *ubi fur non furatur, tinea non comedit.* Ecce ſtulte, cuius hæc erunt? Dæmonis. Hic pater immiſericordiæ. Sint apud Filios, tamen dæmonis erunt. 2. Nō reſpicis hic Chriſtum in paupere, nec in cœlo videbis eũ in ſemetipſo. 3. Filijs, inquis, reſervo. Matth. 10. *Qui diligit Patrem aut Matrem plùs quã*

me

me, non est me dignus. Deut. 33. *Qui dicunt Patri aut Matri, non novi te, & filios suos non cognoverunt, hi custodierunt praecepta mea.* 4. Dignus est Deus ut diligatur. 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem egentem, & clauserit viscera ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo.* 5. Quis scit an Elias veniat ad te, in hoc paupere, ut ad Sareptanam, 3. Reg. 17. ut te ditet, an non Christus ut ad S. Greg. Mag. ut te probet: Non eget Deus pro se, & suos pauperes aliter alere potest, sed te experiri vult; Quid dicet haec Sareptana contra te Judici, nondum Christum noverat, nondum audivit *Beati misericordes*. Non pro sangvine Christi dabat panem? At tu ô miser Christiane. 6. Habes plures domesticos qui egent; Eò itaq; magis erga illos eleemosynis Christum obliga. Multorum delicta redimenda & animae, pluribus spiritualis cibus comparandus, ita enim

Iob, faciebat iuxta numerum pigno-
rum dabat sacrificia, Relinque filijs
eum Patrem, qui etiam post mortē
tuam, illos tueatur, & illi tuas tem-
pestivè trade ditiones, ut de illis filij
tuis provideat, ibi securæ erunt ab
hoste, & curiæ fraudibus. Ps. 36. de
tali dicit. *Totâ die miseretur & commo-
dat, & semen eius in benedictione erit.*
Cypr. l. c. *Prævaricator itaq; & prodi-
tor, Pater es, nisi filiis tuis fideliter con-
sulas. Qui studes terreno magis quàm cæ-
lesti patrimonio, filios tuos magis diabolo
commendare, quàm Christo, bis delin-
quis, & quod non præparas filiis tuis, Dei
Patris auxilium, & quòd doces filios tuos
patrimonium plùs amare, quā Chrstum.*
7. Quomodo tibi exprobrabit in iu-
dicio dæmon quòd plùs in illum,
voluptates, ludos &c. impenderis,
qui tamen manifestè te odit. An non
diaboli servis viliores sumus? Expe-
ctamus scilicet expectamus. *Ite ma-
ledicti in ignem æternum. Esurivi, & non
dedi-*

dediſtis mihi &c. &c. & ibunt in combuſtionem æternam. Non cogitas in paupere Chriſtum, cogita olim iudicem, idem ipſe erit, *in qua menſura metiris, in eadem remetietur tibi.* 8. Cum peregrinos acciperet Abraham, meruit promiſſionem Meſſiæ; cum Loth, liberationem ab igne. 9. Quãtum ſeminas, tantũ metes. 10. Non es habitaturus in cœlo, in quo negligis tibi comparare domum. Non imitaris Patrem cœleſtem, qui oriri facit ſolem ſuper omnes, pluit, omnia partitur, non mereberis eius audire filius. Cypr. lib. 2. epiſt. 3. *Qui ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ* & ibid. *Qui ex fide ſunt benedicentur cum fideli Abraham.* Id eſt, ob illos & multi ex eorum domo ſalvabuntur, & gloriã terrenam & æternam habebunt. Ex fide autem ſunt, qui transferunt theſauros in cœlum, qui faciunt amicos de mammona iniquitatis. Sicut Zachæus ex quo conſtituit dare dimidi-

um bonorum pauperibus, tum & sa-lus eius domui facta, & ipse factus filius Abrahæ. 11. Epuloni nullum crimen objicitur, ob quod damnatus, sed quia Lazarum non iuvabat. Itaq; ob solum defectum misericordiæ damnaberis, etsi nulla alia peccata habeas. Aug. serm. 27. in Comm. *Postquam homo providit sibi & suis de victu & vestitu, non de victu delicato, & vestitu pomposo: Sed de victu sufficienti, & vestitu mediocri, totum reliquū det pauperibus, & propterea id ei Deus dedit, ut per ipsum, proximi necessitatibus subveniat, & nisi homo sic fecerit, iniustè se gerit, id est, & peccat, & insuper sicut fur & latro quàmdiu retinet quasi aliena retinet, peccat, & tenetur ad restitutionē.* Nam Amb. in Luc. 1. *Non minus est criminis, habenti tollere, quàm cùm possis & abundes, indigentibus denegare.* Et quidem de sacerdotibus ait Bern. *Quidquid tibi servas præter victum & simplicem amictum, tuum non est, rapina est, sacri-*

sacrilegium est. 12. Quomodo tibi in temporalibus benedicere DEUS potest, si tu fratribus eius, & filijs subvenire non vis? Cypr. adv. Demetr. *Quereris claudi imbribus cælum; Cùm sic horrea claudantur in terris, quereris minus nasci, quasi quæ nata sint præbeantur indigentibus!* 13. Imò inde pestes immittuntur. Id. ibid. *Pestem & luem criminaris? Cum ipsâ peste vel lue vel detenta vel aucta crimina, dum nec infirmis exhibetur misericordia &c.* 14. Iã quod idem de dupl. Martyr. *Avarus est idololatra qui pecuniæ studio tenetur, qui quod hæreditate obvenit aut industriâ partum est, recondit, nec erogat in egenos.* 15. Etiamsi Virginitatem habeas, etiamsi sponso obviam prodeas, tamẽ iuxta S. Chrys. hom. 79. in Matth. *Si misericordiæ bonis cares, cum fornicatoribus eiicieris, imò minus es veniâ dignus, quàm fornicator.*

SOLILOQVIUM QVINQVAGESIMUM NONUM.

Amor Proximi.

PUNCTUM I.

1. DE illo nos DEUS maximè in iudicio examinabit. *Esurivi, sitivi, nudus eram, in carcere eram &c.* 2. Proximus ille est qui nudus, qui in carcere, qui sitit, qui esurit, qui infirmatur. Hoc ex jisdem verbis patet. 3. Non satis est ut evadas infernum nihil mali facere, sed adhuc damnaberis, si nihil boni feceris proximo. *Esurivi sitivi &c.* 4. Nullus sibi persvadeat Deum se amare, si non amet proximum. Ioannes sic docet. 5. Mensura eius diligendi est. *Diliges proximũ tuum sicut te ipsum*, nimirum si in illa conditione esses in qua ille est. 6. Qui non fecit misericordiam non consequetur, ut patet in illo qui con-

servum propter debitum suffocabat, cui & remissum debitum revocatum. 7. *In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis*, sicut nos proximo ita DEUS nobis. 8. Iuxta Ambr. *Ideo divites habent divitias, ut cœlum sibi emere & proximis benefacere possint.* 9. Ioan. *Qui odit fratrem suum homicida est*, ut homicida punietur, quia Christus sibi imputat, quod uni de minimis actum. 10. *Dimitte nobis sicut nos dimittim s*, oramus: 11. *Qui non diligit, manet in morte.*

PUNCTUM II.

LUmen rationis docet. *Quod tibi non vis fieri, alteri nō feceris.* Quod si non fecerimus, non solùm Christiani, sed nec homines erimus. 1. Vellesne ut tuos aliquis errores rideret, coram alijs diceret, & adhuc ut magis ridereris aliquid affingeret, quare hoc facis? 2. Vellesne ut aliquis tua dicta carperet, mores in peiorem

par-

partem traheret, an excusaret? Quare hoc facis; 3. Vellesne ut tuos occultos defectus in lucem proferret? v, g. quòd tu mutuato vivas, debita habeas, mensa tua occultè misera, etsi palàm splendor? Quare hoc facis? 4. Vellesne dum tu aliquid serij agis, alter tumultus faceret, turbaret, inquietaret. Quare tu facis! 5. Vellesne ut tua secreta rimaretur, de tua vita inquireret, tuos defectus scire vellet. Quare tu hoc facis? 6. Vellesne ut oretenus quidem tecum svaviter, & amanter ageret, & interea omnia tua observaret. Quare tu hoc agis? Vellesne ut tibi locum præriperet, honoratior te esse appareret, nobilior, doctior, ditior, etiam falsò. Quare tu. 8. Vellesne ut alter te ioco perstringeret, absenti comminaretur se, tibi veritatem dicturum, daturum satis, ut amplius nec mutire possis? Quare tu hoc facis? Vellesne & gauderes si tibi malè accide-

ret

ret, aliquis te divexaret; cæteri de tuo malo gauderent. Quare tu? 10. Vellesne ut te aliquis viliorem se ipso, minùs in rebus agendis expeditum, prudentem, affabilem, æstimaret. Quare tu? 11. Ergo necdum es homo, multò minus Christianus atqui dilectio proximi est Alphabetum legis Christianæ.

PUNCTUM III.

ALterum est lumen rationis. *Quod tibi vis fieri, alteri feceris.* 1. Gratum tibi esset, qui si quis tibi offensus statim parceret, & tuum crimen excusaret etiam apud alios. Quare non tu? 2. Gratum, si indigeres aliquá re, & non rogatus offerret alter. Quare non tu? 3. Gratum, si de te optime loqueretur, tuum honorem promoveret, apud alios te magni faceret, quare non tu? 4. Gratum, si te secretò admoneret, pericula tua præcaveret, & te nesciente etiam quæ tibi imminent mala averteret. Qua-

re non tu? 5. Gratum, si vestem quã cares, cultum, & quidquid quo ipse salvo suo honore, ut tuæ necessitati consuleret, non petitus intruderet. Quare non tu? 6. Gratum, si tibi locum aliquem meliorem quàm sibi, commoditatem in cibo, in somno, omnem provideret. Quare non tu? 7. Gratum, si res carissimas tibi offerret, te ut superiorem suum æstimaret, omni honore præveniret, tibi omne obsequium exhiberet. Quare non tu? 8. Gratum, si sciendo te aliquâ re indigere, etiam cum magna molestia sua, illam acquireret, tibiq; nec speranti daret. Quare non tu? 9. Gratum, si loco tui, quæ sunt molesta tibi, faceret, haberet v. g. &c. Quare non tu? 10. Gratum, si quãdo tibi aliquis vellet nocere, detrahere &c. ille refutaret. Quare non tu? Et tamen ista solùm fuit Gentilium Virtus.

PVN.

PUNCTUM IV.

LEx Christiana vult, ut proximũ sicut nos diligamus. 1. Sicut non potes pati lectum durum, tectum pluvium ipse, ita non debes pati, ut proximus, tale quid habeat; sed in sua conditione omnia commoda. 2. Si tibi vulnus esset inflictum quâ cura ageres ut sanareris? Sic de proximo. 3. Si esses incarceratus quomodo velles liberari, sic proximum, unde nullus pro eo tibi labor esse debet gravis. 4. Ita debes sentire si audias proximo detrahi, sicut si tibi, ita si videas in sterquilinio iacentem, sicut si tu iaceres, ita si vili cibo vescentem sicut si tu: Ioan. *Qui viderit fratrem egentem & non commota fuerint in eo viscera, quomodo Charitas in eo est?* 5. Sicut omnem industriam in nostro bono famæ, corporis & animæ, debemus ponere, ita & in proximi. 6. Sicut si te vexari ab aliquo indignè tractari, vel tuum fratrem videres, ita

debes

debes compati, tueri, quid non omitteres nisi absolutè non posses. 7. Sicut te ipsum non quidem multùm verbis dicis amare, amas tamen. Ita Ioan. *Non diligamus verbo, sed opere.* Et sicut, quia te amas, nihil potes tibi mali facere, ita debes reddi impotens, ad faciendum malum proximo, & sicut planè amor tui te cogit, ut benè tibi facias, ita debes ferri & cogi ad benefaciendum proximo. 8. Sicut si tu vulnerraeris, doles, ita sentire mala aliena ac tua. 9. Sicut in necessitate, nullam rem habes, ita pretiosam, quam propter te non exponas, etiam manum tibi uri, amputari permittis, ut vivas, ita pro proximo. ita S. Paulinus vendidit se in servitutem, pro filio viduæ, Christus pro nobis vitam posuit. Paulus, *quis scandalizatur & non uror, optabam esse anathema pro fratribus meis.* Moyses, *aut me dele de libro vitæ, aut his parce.* 10. Sicut tuum oculum servas, tuum

tuum corpus regis, tuis auribûs grata adhibes, tuo corpori mollia, & præcaves à frigore, æstu, fame, siti, tuæ gloriæ procuras omnia splendida, alta, celebria, ita si amas proximum, procurare debes, aut si non procuras, non diligis sicut te ipsum, qui autem non diligit, non est Discipulus Christi. *In hoc cognoscent vos, quod Discipuli mei sitis, si charitatem habueritis*. Aliàs jam te abnegat Christus, & dicet in judicio: *Nescio vos*, non es meus Discipulus.

PUNCTUM V.

Hâc lege nobiscum Deus agit, quâ nos cum proximo. Inquies: vilis est homo, quomodo me ad illũ demittam? Nemo tam vilis respectu tui, ac tu respectu Dei, & tamen concurrit tecum etiam ad vilissimas actiones, etiam ad hoc certo modo, ut illum offendas. 2. Offendit me sæpiùs, nemo tam graviter, tam frequen-

quenter, ac tu Deum. 3. Natura mea ab illo diffidet. Quis tam contrarius alicui, ac tu Deo? 4. Iam illi sæpiùs peperci. Christus præcipit unâ die parci non septies, sed 77. 5. Non possum, quia ipse damnum pateret, quia grave est. At posses, si frater tuus veniret, vel ea persona, quam maximè diligis, vel si Rex à te rogaret. 6. Pauper ipse evaderem. At Christus etiam mancipium, etiã patibularius factus pro te, etiam ultimam vestem pro te amisit. 7. Aliô tempore faciam. Aliô ergo etiam exspecta à Deo misericordiam, nunc te pro tuis peccatis corripi morbis, aut morte subitâ, & inferno absorberi sinat. 8. Ab altero feram, non ab hoc istam injuriam, alteri benefaciam, perinde alter proximus. Alteri etiam Deus, non tibi parcat, non tibi benefaciat, quia alter perinde Dei creatura ac tu. 9. Non est tanta necessitas, patiatur aliquantùm parva

parva res est, tamen non ita delicatè natus. Et tu ex limo es factus, & nec minimam rem pati, etiamsi suâ manu Deus imponeret, potes. 10. Faciam ego illi quidem, sed me tamen vindicabo, & bene recordabor offensæ. Parcat etiam tibi Deus, sed ita, ut recordetur in die furoris. O Deus! miserere. Hic defectus charitatis inter homines, ita te habet, quomodo si Parens videat filios non concordes, cùm sit Pater noster. Sed veniet tempus veniet, quando non amantes *sicut spinas* Ier. ut se in æternum pungant, in æternum, projicies, ignem. 11. Contemptibilis est. At tales plerumq; Sancti fuerunt, talis S. Martinus, talis Franciscus despecti, pro stultis habiti à plerisque, & tunc in te purior, & non naturalis amor erit. 12. Ego illum non offendi, non prior ad amicitiam vocabo, quid fieret, si nec te Deus vocaret? At tu eum offendis, ille vocat per in-

stinctus, per auxilia, per Concionatores, & mille modis, & vocat licet decies illi non respondeas. 13 Ipse Paulus 2. Cor. 10. de se ait, qualis aspectus fuerit, *præsentia corporis infirma & vox contemptibilis*. Basilio & Bernardo os fœtebat. Chrysostomus in comedendo tam indecorus, ut mensæ à nullo adhiberi potuerit. Et ecce quanti hi? Et tu ob hæc alios vilipendis. At Christus non tantùm vilissimos, sed hostes suos extremos, pessimos, ita amat, ut si quis minimam illis irroget injuriam, sibi factã ducat; si beneficium sibi factum reputet, idq; esse ferè jureiurando asserit. Quis enim hostis major Dei, quàm peccator? & tamen ait; *In carcere eram*, (id est, ubi latrones, fures, sacrilegi, &c.) *& non visitastis me*, & *Amen dico vobis. Quòd uni de his fecistis, mihi fecistis*. 14 Quam demùm excusationem in judicio es habiturus, cùm scias si amaveris te amandum,

si &c. Cypr. de Orat. Dom. *Excusatio tibi nulla in iudicio superest, cùm secundùm tuam sententiam iudiceris, & quod feceris, hoc & ipse patiaris.* 15. Imò odisse & non amasse est tantùm scelus, ut Cypr. l. c. miretur. *Quale delictum est, quod nec baptismo sangvinis ablui potest, quale crimen est, quod nec martyrio expiari potest.* 16. Vis autem esse Martyre major? ama, & eris. Cypr. de bono Pat. *Charitas fide & spe maior est, & opera, & martyria praecedit.* 17. Vis habere thesaurum in cœlo, habe illum juxta Apostolum *in vasis fictilibus,* hoc est in his, qui viles habentur, veluti lutea vasa. Ambros. offic. lib. 2. cap. 28. post med. *interrogatus* (Laurentius) *ubi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes dicens. hi sunt thesauri Ecclesiae &c. Denique Apostolus ait: Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* Qui amat proximum, ut Teressa vitae lib. 4. c. 26. apud Riberam. *Si quid in nonnul-*

lis noto, quod apertè malum esse videtur. persvadere non possum in Deum illos peccâsse. S. Macarius hom. 18. *Qui habet spiritum Dei, omnes vellet intra viscera includere.*

SOLILOQVIUM SEXAGESIMUM.

An ego amem proximum?

PUNCTUM I.

SIgnum manifestum erit in te deesse amorem, si vulnera purulenta, vermibusque, sanieque scatentia horres propter Christũ attingere, si fœtorem, nidorem, (cùm sis tenerioris naturæ) non pateris, si telas ulcerũ tractare non sustines; si scabiosa, leprosa, membra pauperum abluere, si ex eodem poculo cum ægro potum sumere formidas, si lectum eius sternere, pedes lavare, &c. Hoc totum inde est, qvia non amas. Amat mater prolem infantem, sustinet omnia

circa illam, quæ circa alienam horreret, amat conjux maritum, etiam eodem lecto ſpreto metu infectionis conquieſcit, noctes pervigilat, cibũ coquit, telas unguentis infectas attrectat. ita omnia vincit, ita omnia emollit, & facilia reddit amor! amat filia matrem, eius ulcera, cancrum, ſaniem, detergit, contrectat, & ea agit, quæ nec mancipium vellet agere. Tanta vis eſt amoris, ubi eſt? etſi hæc non agit, aut nullus eſt, aut non ſincerus eſt. Inde S. Elizabeth Regina Luſitaniæ, cancroſam mendicæ tibiam oſculata, Cunegundis Hungariæ, extremas ſordes veſtibus propriis extulit. S. quidam Abbas putridum naſum pauperis ſuxit. S. Ludovicus Rex Galliæ, & multi alii Reges & Reginæ, quæ tu vix audeas, egerunt, quia amärunt. Quodſi naturâ duriores, & id non eſt tibi horridum, ſi miſericordiâ tua viſcera non concutiuntur, talia ſpectando,

do, Dei & proximi charitas in te nō est. Quomodo amor omnes excusationes tollit? quomodo non possum hunc fœtorem ferre, videre purulētiam, tangere scabiem: quomodo his locum non relinquit? 2. Si proximum lædis, accusas, idem, si imaginem lacerares Regiam, ille Dei est imago. Crimen est Majestatis. 3. Si aliquos amas, & non omnes, ideò hos potiùs, quia sunt similes tibi, &c. Non propter Deum, quia hic est æquè in omnibus. Unde hic amor nihil meretur, & sæpè est peccatum. Ama, ut status tuus sinit, non palpando eius defectus.

PUNCTVM II.

QUi amat verè, nec in mente sua judicat facta, dicta, intentiones, omissiones, modum procedendi aliorum, nec ideo eos aversatur, nec habet displicentiam, si eos alii laudent, ideo S. Cathar. Senensis in te-

stamen-

ſtamento hortatur vitæ l 3. c. 23. ſorores ne ullum prorſus iudicent, nullum condemnent, quamvis videant manifeſtum peccatum. Quia ut S. Doroth. ſerm. 6. *Nihil magis averſatur & abominatur Deus, quàm proximũ iudicare, &c, & nil ita iram Dei provocat, &c, & ad ſummum diſcrimen adducit.* 2. Multò minùs voce detrahit. 3. Omnia excuſat, quá *charitas operit multitudinem peccatorum*, maximè eorum, quæ contra ſe ſunt. In vitis PP. lib. 5. Paſtor Abbas, *Quâcunq; horâ prodiderimus culpas Fratrum, & Deus noſtras prodet.* 4. Imaginationes etiam ipſas de illo fugit, ſicut enim inimicitia, & ea quæ non ſunt ſuſpicatur, ita charitas, nec ea quæ ſunt, imaginari ſibi poteſt. 5. Reverenter agit, ne offendat, ne irrideat. 6. Præcavet, ne alteri quidquam mali accidat; & ubi prævidet, quod aliquid eius famam denigrare poſſit, avertit. 7. Neque ex zelo bono aliorum vitia

insectatur. Quia ut Laurent. Iustin. de vita solit. c. 4. *Innumeri sunt, qui potiùs in aliis, quàm in se zelare divinum honorem videntur, zelum Dei habent huiusmodi, sed non secundùm scientiam, quia quis priùs se, deinde corripiat cæteros.* 8. Aliena mala quæ corrigere debet, non insultando, non exprobrando, sed cum eo affectu, quo parens filii unicè dilecti, tractat ulcera, & vel filiæ peccatum, per quod infamis possit reddi. 9. Ita tractat alios, sicut pupillam oculi Christi. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* 10. Non inquirit curiosè de factis alienis. 11. Ex S. Paulo. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperã, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non quærit malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 12. S. Doroth. serm. 6. *Nihil magis aversatur & abominatur Deus, quàm proximum*

indi-

iudicare. *Hoc praclarè asserunt omnes PP. nostri. Quandoq; nihil peiùs, nihil deteriùs, quàm proximum iudicare censuerunt.* Nihil adeò provocat Deum ad irã, nihil ita hominem spoliat, & omni virtute, & præsidio denudat, nec ad summum discrimen adducit, ut contra proximum obloqui, ut proximum diiudicare, ac condemnare. Antichristus enim est, qui præripit vim judiciariam Christo, imò S. Mechtildi l. 1. c. 7. Deus dixit: *Si homo proximum suum iniustè iudicaverit, reus erit tanti sceleris, quanti esset ille, qui fecisset hoc malum, quod de alio iudicatur. Quodsi homo etiam fecit id, quod de eo dicitur, tamen qui nesciens intentionem facientis, secundùm cor suum & sensum, eum iudicat, tamen reus erit ex ipso iudicio quàm ille, qui rem ipsam perpetravit, & nisi pœnitendo diluat, simili pœnæ, quam ille promeruit, qui hoc malum fecit, & ille subiacebit.*
13. Alter celat amore virtutis, suam intẽtionem, amore humilitatis, qua-

si stulta agit, & tu condemnas, non omnia omnibus dici debent. Non scis causas omnes, quare hoc alius agit. At Ambr. in Apol. post David c. 1. *Sæpè iudicando, maius peccatum iudicii est, quàm peccatum ipsius, de quo fuerit iudicatum.* Chrysost. hom. 24. in Matth. *Si malum est propria peccata non cernere, duplex iam aut triplex peccatum est, iudicare alios, & in suo oculo trabem absq; dolore gestare.* 14. Nazianzenus Orat. 21. de Laude S. Athanas. *Qui ad vitium minimè procliuis est, is, nec facilè ad malum de alio suspicandum movetur, qui non facilè ad malum impellitur.* Cass. coll. 11. c. 10 *Iisdem vitiis subiacere Monachum, certissimum est, quæ in aliis inclementi, & inhumana severitate damnat.* 15. Clim. gr. 4. *Idcirco, ut reor Iustificatus est Loth qui cum in flagitiorum medio versaretur, nunquam illos penitus iudicâsse deprehēsus est.* 16. B. Baptistam Veranam sic docuit Chrys. orandum esse pro proximo

ximo, etiam persecutore, ut eum Deus liberet à pæna, quam meretur, sicut velles liberari oculum tuum, vel aliud membrum tuum, ab aliqua pœna crudeli, quia proximus tuus, est oculus tuus, & membra tua. Chron. Francisc. c. 2. 17. c. 24. ecce hæc est charitas proximi!

SOLILOQVIUM SEXAGESIMVM PRIMVM.

An sim fervens servus Dei?

PUNCTUM I.

Licet ita serviremus Deo, ut nullum unquam peccatum fecissemus, quid hoc est servitii non offendisse solum aliquem? 2. Si omnium Sanctorum merita faceremus, adhuc nihil valeremus, ea est Dei dignitas, id nostrum debitum Luc. *Etiamsi omnia feceritis* (quæ à pura creatura fieri possunt, etiam ab omnibus Angelis simul. *Dicite servi inutiles sumus.*

Inutile est, quod parum servit ad finem proximum. Ita nostra obsequia respectu Dei sunt nihil, qui à nobis ita infinities infinitè distat, ut nemo suam etiam per omnem Dei potentiam, quam respectu Dei vilitatem habet, comprehendere possit, ne dum æquare obsequio. Quia tamen fervorem commendat. *Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi ut* ardeat? Eccl. *Iusti discurrent sicut scintillæ*, deberem esse ego sicut ignis, qui aut omnia in cinerem redigit, aut sibi assimilat, omnia mihi velut cinis esse deberent, omnibus deberem tanquã cineri affici, ad mensam, ut ad cinerem ire, ad oblectationem, sicut si illis inspergeretur cinis, & eo mixta essent omnia. Imò sicut vilis est cinis, ita me reputare deberem, etiam si in plateam effunderer, conspuerer. Meo exemplo omnes deberent ardere, colloquia esse ignis exurens, ut omnes ad bonum ducerem, Spiritui S.

ut cinis essem facilis. 2. Ignis nihil potest pati, non ferrum, non stipulã, non pulverem, talisne conscientia mea? An hærent sordes cogitationũ, &c. &c. 3. Inquietus ignis, sursum perpetuò fertur, estne cor tuum tale? Ut Aug. *Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te Domine.* Itane ardes? itane nulla res creata te satiat, solus Deus tædium alleviat? 4. Ignẽ nemo unquam potest facere frigidũ, admittisne colloquia mala, an ita te, ut ignem mali fugiunt, sicut S. Bernardinum adhuc puerum. 5. Ignis semper augetur, confer profectum tuum, majorne in te innocentia, quàm ante annos 10? pauciorane peccata? 6. Nullum animal, nullus vermis in igne vivit, (de Salamandra fabula est) conscientia tua nullumne vermem habuit, ut si statim vocareris ad Deum judicem, posses dicere Ps. *Iudica me Deus, & discerne causam meam &c.* Ps. *Quoniam*

Sanctus sum. 7. Non potest opprimi ignis, ita Paulus Cor. *Certus sum, quòd nec mors, nec nuditas, nec angustia &c. à Christo me separabunt.* Id est, vel minimum peccatum committam, nullam imperfectionem faciam, etiamsi damnum immineat. Ecce fervor meus, o Deus meus!

PUNCTUM II.

SAltem ero, quia sum terra, ut terra. 1. Terra fervens attenuatur, & usq; ad nubes assurgit, itane sum mutatus à me ipso, sicut nubes à terra? Itane singulis horis melior me ipso fio, & ascendo, sicut nubes à terra? 2. Terra ubi ascendit in nubes, est fulmen, ita sum dæmoni ut fulmen formidabilis? An me *chamo & freno* ut jumentum ducit? Fulmen in ictu oculi pertransit, etsi sit terra. Ego si in aliquid incidi, Ps. *Infixus sum in limo profundi.* 3. Terra si ferveat, fit lapis, lateri proposita, in aqua prius posi-

ûs posita, vel aëre. Itane sum stabilis? Tantusne est fervor meus, ut sicut lapis sim ad malum inflexibilis, sicut lapis semel casus, post confessionem nunquam ad priora redeo? Ps. *Iuravi & statui.* 4 Ecce nec ita sum fervens. In quo exemplo inveniam fervorem meum?

PUNCTUM III.

IN aqua. 1 Aqua si ferveat sensim ascendit versus cœlum, & in seipsa deficit, inquieta est, semper est in motu. Clamatur quotidie *sursum corda.* En cor meũ ubi? Tollat quis imagunculam, en turbor, ecce ibi cor meum, nõn in Deo, tollat cultellum, aut rem talem. 2. Ad aquam ferventem nulla musca audet accedere, nec ad nos propè diabolus auderet. 3. Dum fervet, nunquam cõgelat, ô quam durum hoc cor, quod Deus toties pulsat, nec potest hanc glaciem resolvere? 4. Quidquid a-

liquis loquatur, quidquid obtrectet, rideat, pergit in suo fervore aqua. Non laudibus incitatur, non conviтiis tardatur, solus ignis illam movet, ita ferventem, solus Deus, cætera omnia illi sunt impertinentia. 5. Difficilè est naturam frangere, mores exuere, de iracundo mitem fieri, contra naturam aqua fit fervens, & homines qui Deum amant; contra naturam sursum attolluntur, sursum, fervens etiamsi volare jubeatur, pellem deponere, se frangere, facit: Paulus, *Omnia possum in eo, qui me confortat*: Excogitet licet quis aliquid, vel ipsi mihi, si potest in mentem venire, quid nolim & non putē me posse facere. 6. Venire Angeli, & ridete hoc mendacii simulachrū. Servum se Dei æstimat, at re maximè distat. Venite; Ier. Lam. *Qui transierunt, moverunt capita sua, levarunt, & dixerunt, heccine Civitas perfecta decoris*, rideant omnes creaturæ, ride-

ant

ant hanc desidiam, dummodo non in æternum.

PUNCTUM IV.

ITane peccata levia fugis & horres, ut pro his continuò lacrimaris? Et tamen ait S. Diadochus c. 27. *Anima, si ardorem ex cupiditate mundi collectum studiosè restrinxerit, etiam valdè parva errata, pro gravissimis ducens, lachrymas multas continenter Deo offert.* Imò S. Isid. Hispal. l. 1. sent. c. 20. *Si quis à torpore mentis evigilaverit, ea quæ levia existimabat, confestim quasi horrenda atq; atrocia pertimescit.* Si non pertimescis, non evigilasti à torpore mentis. 2. Nunquãne deliberatè peccas, atqui Laur. Iustin. vitæ c. 9. *Non est servi Dei à magnis peccatis cavere, id enim est sæcularis, sed parva vitare, ne charitas refrigesceret.* 3. Non advertis in te numerum immensum venialium, nondum es pura vestis. 4. Esne talis, ut

nullus

nullus in te quidquam reprehensibi-le inveniat, quia Gregor. 11. Mor. 19 *Sancti Viri ita se in omnibus suis, Deo authore, custodiunt, ut omninò unde accusentur exterius, non inveniantur* 5 Cassiod. in Ps. 83. *Ascendit primum gradum, cùm homo dominatus fuerit superbia* (jamne nihil habes vanæ gloriæ?) *subit alterum cum superavit avaritiam, &c.* 6. Iamne te nec mors, nec gladius, nec persecutio, nec Angeli, nec potestates possunt seperare à charitate Dei ? 7. Quanta tua humilitas ? quanta charitas, patientia ? 8. Condolesne alienis peccatis. At Cass. Coll. 11. c. 9. *Evidens indicium est animæ, nondum vitiorum fecibus eliquatæ, in criminibus alienis, affectu misericordiæ non condolere, sed rigidam iudicantis tenere censuram.* Quia Greg. hom. 34. in Evang. *Vera iustitia compassionē habet, falsa verò dedignationē.* 9. Chrysost. hom. 5. ad pop. *Si Christum verè amaremus, uti oportet amare iudica-*

ventus, utiq; amati offensionem esse gehennâ graviorem. Quodsi hoc iudicium non habes, non amas. Atqui *qui non diligit, manet in morte.* 10. Iamne obtinuisti passionum dominium, ut aspera, ardua, & quæ olim timebas, non solùm facilè, sed etiam cum quadam alacritate, ac quasi voluptate opereris? Hoc enim est fervor. 11. Iamne ab omnibus rebus mundanis avulsisti affectum? 12. Si perinde audis maledicta ac salutationes, laudes ac vituperia. 13. Nihilne temporis non in meritoriis actionibus consumis. 14. Iam oratio sine distractione. 15. Gaudes si humilieris. 16 Si audias peccata fieri, sentis tristitiam. 17. Magis te oblectant spiritualia, quàm quævis curiosa. 18. Desiderium habes orandi insatiabile, 19 Nunquam ob respectum humanum facis, aut omittis aliquid. 20. Quidquid tibi imperant superiores, credis id eos sanctissimè, prudentissimè,

impe-

imperare, esto nullam huius rei videas rationem.

PUNCTUM V.

QUid meretrix de suo Amasio, aut coniux de marito, sæpiùs, & cum maiori gustu cogitet, cùm tamen ille amor periculosus. 2. Idne facis pro DEO, quod milites, aut mercatores pro lucro. 3. Quidsi magis se parent alij ad alloquendum Principem, quàm tu ad DEUM. Vel alij ad disputandum. 4. Quidsi ferventiùs nummum pauperes in plateis petant, quàm tu à DEO. 5. Itane petis liberari à peccatis, ut à tribulatione, à morbo acuto. 6. Itane pro augenda gratia laboras, ut alij pro dignitate. 7. Si magis times reprehensionem humanam vel iram hominum ne offendas. 8. Quidsi dæmon & peccatores ferventiùs laborant ad ruinam alienam, quàm tu ad tuam salutem. 9. Quid si Turcæ diligentiùs & Gentiles, sua sacra colunt. 10. Habesne *fidem*, sal-

ſaltem ut *granum ſinapis*, cum qua mõ-tes transferre poſſes. 11. Unde & *cæcus* in rebus ad ſalutem pertinentibus es; & *miſer*, & *miſerabilis*, nondum eſt in te amor, qui *foras mittit timorem*. An ſis ſalvandus an damnandus; quid locuturi alij de te, quid inflicturi. 12. Quid ſi magis prenſas amicitias humanas quàm divinam? Quid ſi cùm non audeas in conſpectum hominum, maculatâ facie, prodire, & ad Deum cum peccato veniali audes, ideoq; Deum quaſi minoris facis. 13. Si ſpectante Superiore non auderes quædam facere, quæ audes coram Deo. Si ſcires te ob veniale unum cædendum à carnifice in foro, faceresne illud. At peius Deum cædere. 14. Quid ſi corporis neceſſaria ut veſtes, potum, manſionẽ ſtudioſius quæris, quàm animæ. 15. Quid ſi adhuc talia facis, propter quæ trepidares coram iudicio Dei comparere, vel ea in morte non fuiſſe

esse optaveris. 16. Quid si melius vis tractari quàm Christus fuit in hoc mundo, quàm alij Sancti 17 Oratio non tantùm Eremitarũ sed Martyrum, qualis fuit qui erant ferventes servi Dei. S. Alexander Phryx, teste Eusebio. hist. Eccl. 5 c. 2. In his omnibus quæ acerrima supplicia perpetiebatur nec verbum locutus, sed continuò orabat. Non distrahunt serventem vel supplicia. S. Laurentius conspectâ craticulâ, in qua urendus erat *tales epulas*, inquit, *semper optavi*. causa est, ex S. Ambr. sermone de S. Laur. *In quantùm enim fidei ardor fervet, in tantùm supplicii flamma frigescit.* Aug. in Confess. *Omnis mihi copia quæ Deus nõ est, egestas est*. S. Gallus bestias increpabat ut tardas, quod se lacerare tardarent, idem S. Ignatius M. fecit, S. Agatha ait. *Ego his pœnis delector tanquam bonum nuncium audiens, aut qui videt quem diu videre desideravit, ut qui multos thesauros invenit.*

S. Mar-

S. Martinus à latronibus captus, & interrogatus an timeret? *Se*, dixit, *nunquam fuisse tam securum.* Et, teste Severo Sulpitio etiam tum aliud facere videretur, orabat. Tertull. *Christianus in carcere, etiam carceri renunciavit. Nihil interest ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis &c. Hoc præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis.* Prudentius. *Tormenta, carcer, ungulæ, stridensq; flammis lamina, atq; ipsa pœnarum ultima mors, Christianis ludus est.* Hic fervor servorum Dei.

SOLILOQVIUM SEXAGESIMUM SECUNDUM.

An ludar in via Salutis.

PUNCTUM I.

MUlti luduntur, creduntq; se esse devotos si lacrymentur, ea autem est naturæ illorum mollitudo;

Idem de actibus amoris Dei, quos magis intensivos quàm appretiativos habent: Æstimant, si voluptatibus internis sensibilibus diffluant, quas dæmon subinde excitat, ut eos in pertinaciam & de se, cogitationes altas inducat. *Item sæpè* prudentia sæculi substituit se, pro vera intentione, ut patienter ferre, contemnendo adversarium. Obedire quia superior, doctus, prudens, honoratus,

PUNCTUM II.

1. DEluderis si intentio non est planè pura in actionibus. 2. Si externos actus virtutum, in quibus est consummatio virtutis negligas, contentus internis, & è contra. 3. Si non iuxta leges Obedientiæ tuæ agas. 4. Si cum complacentia in tuis actionibus. 5. Si cum impetu & perturbatione animæ. 6. Si totam spem in indulgentijs ponis, nec ipse facias fructus pœnitentiæ. 7 Si in pericula

pec-

peccati te conjicis, præfidendo quòd sis superaturus, & ita liberiùs aspicis, contrectas. 8. Si sensibilibus solatijs inhæres, & non curas virtutes solidas. 9. Si, non ratione, consilio, directione, sed impetu quodam consolationis ageris. 10. Si statim ad unionem cum DEO & summa niteris, neglectâ mortificatione vitiorum & passionum. 11. Si violentè tibi exprimis lacrymas, & devotionem sensibilem. 12. Si Sanctorum facta admiranda magis quàm imitanda æmularis. 13. Si visiones desideras. 14. Si quodam zelo, maiores, & superiores carpis. 15. Si aliena ab instituto tuo media quæris ad perfectionem. 16. Si exteriorem modestiam, compositionem contemnis, contentus interioribus. 17. Si famam bonam non curas, & das occasiones malæ. 18. Si minima spernis, tantū sublimium virtutum actus affectando 19. Si quæris semper aliquas verita-

tes & cognitiones singulares, ut tui nihili &c. & non progrederis ad actus voluntatis, te ipsum contemnendo, omnibus resolutè subjiciendo. 20 Si proposita facis, quorum exequendorum tempus valdè est remotum, vel etiam solùm universalia, non descendendo ad particularia. 21. Si existimas te alijs altiores veritates perspicere, meliori intentione operari. 22 Si parùm labores, ut pro peccatis satisfacias, doleas; sed statim tantùm sublimia agites. 23. Si tempora tui statûs designata, pro spiritualibus, per teipsum facilè mutes. 24. Si à DEO non ita petas, quæ saluti tuæ conferunt, quàm quæ, admixtam aliquam tuam gloriam habere possunt, ut regere alios, eloquenter concionari &c. 25. Si, cùm iustè tuâ culpâ pateris, persvadeas tibi te amore Dei pati innocentem, nec occasiones vites, per quas pœnas merearis. 26. Si magis labores, ut multa cres, quâ

ut bene. 27. Si actiones impertinentes quæris, & proprias negligenter facis. 28. Si zelo quærendæ alicuius animæ, te conjicias in periculum peccati, vel aliqua minora peccata committas. 29 Si irasceris magis alienis peccatis, quàm tuis, & pro eorum emendatione, magis laboras. 30. Si magìs desideras alios ad bonũ ducere, hortari, convertere, quàm actus tui humiliandi externos quæris. 31. Si in alios rigores instituis, & leges duras, & graviter punis, te verò ab jis subtrahis, & causas jis non parendi, te credis iustas habere. 32. Si mortificationes externas assumis, ut nemo ex jis tibi sit par, & charitatem non habes, nihil es.

PUNCTUM III.

OPortet vehementer inter hæc distingvere & cautum esse. 1. Aliud sensus aliud spiritus. 2. Perturbatio ex passione, & pacata rei cogni-

gnitio. 3. Imaginatio, & discretio intellectûs. 4. Lumen naturale, & spirituale. 5. Amor sensualis & charitas, sæpè illo aliqui temerè depictis Sanctarum aut Sanctorum iuvenum imaginibus afficiuntur, & putant esse charitatem. 6. Inter Angelum veræ lucis, & transfiguratum in Angelum lucis. 7. Inter impulsum Spiritûs S. & naturalem impetum.

SOLILOQVIUM SEXAGESIMUM TERTIUM.

Præsentia Dei, Concursus & Conservatio.

PUNCTUM I.

1. Est nobis Deus præsens entitate, sicut ego loco in quo sto præsentia: sicut Rex in suo regno. 2. *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Cogitationes omnes illi magis quàm ima-

imagines aliquas ſocio ſpectandas proponimus: & eius diſpenſatione, illas, ſæpe plures Sancti vident. *O qui paſceris inter lilia*, quomodo oculis tuis, quæ tunc lædo, ſpectra propono? ah propono! Sicut ſi alicui imaginē darem in qua depicta cauſa mortis illius: averte oculos Domine. 3. O noſtram extremam impudentiam, fur non furatur ſciens ſe videri, adulter non adulteratur, credens ſe à marito obſervari &c. Ecce ſpectat, videt DEUS! hæc ago coram te, in oculis tuis! Ubi me abſcondam: uti ſceleſti faciunt, cum ſceleribus meis? Oculi Domini ubiq; ſunt, non abſcondam niſi ceſſavero. 4. Veneramur ſanè præſentiam tuam ô DEUS! quis in conſpectu Regis, eius imaginē luto aſpergat? urat? laceret? urit me laſciviâ &c. Viliorne tu es DEUS Rege? 5. DEUS ut det, tenet coronam, obſervat cuiusq; actûs diuturnitatem, intenſionem, & tamen tam

tepidè

tepidè agimus, credimusne hæc? 6. Edicta præsente legislatore qui habet ius vitæ & necis, nemo violat; præcepta Dei vix ulla servantur. Videmus Deum, an ille non videt nos? O fides nostra! non videt cæcus cũ quo loquitur, & non aliter agit, quã si eum videret, quia eius vocem audit, & Deus dicit. *Cælum ego & terram impleo.*

PUNCTUM II.

Est præsens Deus conservando, ut nec uno momento possemus sine eo subsistere, Ingredere in te anima, & saltem horre tuam ingratitudinẽ: 1. Parens detinet puerum, ne in foveam plenam feris & insectis cadat, ille parentem cædit, conspuit, vellit capillos, convitijs insectatur. Tu es hic: & plus Deus circa te agit.] 2. Hostes ingruunt in mille discerpturi partes, amicus se pro amico opponit: & ille eum ipsum gladio ferit, modos eum tollendi quærit; en mõ-

strum.

ſtrum. Sed tu hoc es. Magis ceſſante conſervatione Dei perires, quàm per mille gladios, & tamen! 3. Si aquæ guttam volâ contineam, ne ſi cadendo in terram pereat, magis nos tenet. 4. Si ſigillum aquæ imprimã, citius in aqua, figura, amoto ſigillo manebit, quàm tu ſine DEO. 5. Mira Dei bonitas, non alicui communicat noſtram conſervationem, ſed per ſeipſum immediatè nos tenet. 6. Magis pendemus à DEO, quàm radius à ſole, quia & ſol & radius à DEO. Itane? ita te DEUS conſervat, acſi unus eſſes; colamus ut unicum, par eſt, quia *non eſt DEUS præter Deum noſtrũ*.

PUNCTUM III.

Concurrit nobiſcum ad omnia agenda plus quàm tua manus ad ſcribendum cum calamo, plus quã cùm pueri manu ad formandas literas manus Pædagogi. Concurrit in omnibus & nec memoria eius eſt in

omnibus; imò est, quia læditur ferè in omnibus. 2. Plus quàm si artifex horologio à se facto assideret, & illud moveret, non aliter tamen quã ipsum horologium vellet. 3. Mea actio est eadem, quæ actio Dei: Ergo totus DEUS, tota Trinitas, omnipotentia mihi se impendit, meum nutum præstolatur: Non nostri *oculi Domine in manibus tuis, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*, sed tui in manibus nostris. Das manum tuam, id est omnipotentiam, ut eâ nobis hæreditatem cœli inscribamus: ecce tibi colaphum damus eâdem, eadem per fœda volutamur. O bonitas, bonitas! mancipijne manu saltem sic abuteremur? ad sordes, ad turpitudinem manum tuam pro me in cruce transverberatam, quandoquidem verum erat dicere, DEUS patitur, moritur, apponam? Illâ te confodiam quereris iustè Isai. 43. *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti*

mihi

mihi laborem in iniquitatibus tuis: Sicut qui cogitur rem quàm maximè horret facere, vel se urere, scindere. 4. Misereremur & iam hostis ipsius, si nobis tam diu, tam fideliter serviret. O contumelia! o misericordia! o quanta aliquando erit iustitia! 5. Obedientiam Dei obstupesce, quid illi graviùs, quàm concursum ad peccatū à te determinari, mallet ad patibulum, ad crucem, ignem, rotam: paret. Tangis manu sordes, ille tecum. Tangis peccatum, ille tecum, aspicis quæ placet, & quæ horridum est loqui, cogis illum videre tecum, audire, sentire: Peieras, ille tuam lingvam debet movere: Mentiris, blasphemas, debet agere tecum eo modo, quo illum non dedecet. Abyssus, abyssus! 6. Dat indifferentem concursum, sicut sic hartam puram suo nomine inscriptam, ut inscribam quod placet, & ego benefactoris inscribo mortem! 7. Fac ait Deus

quod vis meâ manu. Facio certè quod volo, non quod ille! 8. Ista eadem omnipotentia puniet, ista infernum succendet, ista cœlum claudet, ista omne auxilium negabit, ista in carcerem æternum detrudet, tam olim vindex, quàm nunc patiens. Ps. 88. *Quis est homo qui vivet & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi.* Ps. 93. *Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet illos, disperdet illos Dominus Deus noster.*

SOLILOQVIUM SEXAGESIMUM QVARTUM.

Conformitas cum voluntate Dei.

PUNCTUM I.

1. NIhil fit in mundo nisi volente aut permittente DEO; non permitteret autem nisi propter bonũ aliquod. 2. Magis est natura Dei, cuiq;

cuiq; velle bene, quàm ignis calefacere, & multò magis impossibilè est Deum alicui male velle, quàm igni infrigidare. 3. Sapientia Dei est infinita, omnia quæ per totam æternitatem futura sunt, cum suis omnibus circumstantijs videt. 4. Ita nos amavit, ut vitam pro nobis per tam infamem mortem dederit. 5. Potentissimus est, posset omnia aliter ordinare, disponere, mala avertere, impedire. 6. Et contrà, nullus homo est, qui non sæpius erraverit, qui non alium aliquando eventum habuerit, quàm intenderit, quia futura non prævidet. Sæpe noxia sibi appetit, ut cibos, quos ignorat veneno infectos, vel morbos generaturos, equos, ex quibus cervices fracturus, amicos, quos nescit esse, occultos hostes, locos, in quibus multa passurus & amissurus, vias, in quibus, in latrones incasurus &c.

PUNCTUM II.

ACcidit tibi aliquid adversi, Deus permisit, propter tuum bonum; in alios socios incidisti quàm velles: tuum malum præcavit Deus. 2. Ex invidia ne te affligit? falliturne, & nescis, hoc malum tibi videri: nonne potuit facere ut evitares? 3. Qui navi alicuius vehitur, nauclerũ non impedit: Miles de duce præsumit, etsi illi oppositum occurrerit, quòd optimè regat: Filius de Patre, quòd suam causam agat; minusne de Deo tenendũ. 4. Si Deus iratus hæc tibi immittit, patere, pl[illegible]bitur; novas plagas meretur, qui inter iustas pœnas murmurat. 5. Non hoc velles pati: Ægerne præscribet Medico, ut hãc potius medicinam sibi destinet? 6. Per ali[illegible]m pati velles, iam hoc non esset pati, volenti non fit iniuria, quod amatur non affligit. 7. Si hoc à Deo esset, inquies, paterer. Cur dubitas? Annon videt? An procul ab-

est.

est. Semel maledicebat Davidi, David videbat quod Deus iussisset ut Semei malediceret. Ita hic adstat, iubet, spectat. 8. Peccat qui hoc tibi facit. Quid hoc ad te, fortè in illo est casus, surreptio, inanimadvertentia, fortè probabilis ratio; sic aliqui sancti se invicem afflixerunt, neuter cũ peccato. 9. Christus sapientior fuit quam tu, tamen orat. *Non mea sed tua fiat voluntas*: tibi propinat calicẽ, quem ipse bibit, accepta gratia est. Quòd non suâ manu porrigat, nec tu semper tuâ, cùm alicui propinas. 10. Vide an non pugnet etiam contra te. 1. Regum 15. *Acquiescere nolle, est quasi peccatum ariolandi.* Quis non putásset meliùs fuisse, ut Christus 30. annis quibus latuit, prædicásset, mũdum convertisset, multos sanásset, salvásset. Et in his ait. *Meus cibus est facere voluntatem Patris.*

PUNCTUM III.

SÆpe optimum finem nanciſcuntur, quæ mala putamus, ut Ioſephi venditio fuit ſalus populi, Mardochæo, quia fidelitas non fuit compenſata, poſtea maiori ſtetit honore. 2. Ea quæ amiſiſti, vel eras in bonũ uſum converſurus, vel in malum: ſi in malum, gratias age DEO, quòd tibi ſubtrahat materiam peccati: ſi in bonum, etiam nunc offer, DEUS acceptabit voluntatem. 3 Potes in terris te beatum facere, ſi idem velis quod DEUS, quia nihil contra tuam voluntatem accidet, qui eſt fons omnis afflictionis, nihil nolis, nihil velis, niſi quòd DEUS vult.

PUNCTUM IV.

DIc in infortunio. Dominus hic aliquid boni quærit, alioqui hoc malum avertiſſet, quia amat me. *Domini eſt terra & plenitudo eius*. 2. Accuſaberis iniquè, diffamaberis,

dic,

dic, bonus est qui ista permisit, non video, quid inde eventurum, fortè ut Iobo accipit mille camelos, ut reddat decē millia. 3 Iniustè patior. Christo te Deus suo, & magnis Sanctis assimilat. Eâdem veste te quâ Christū suum induit. 4. Nihil mihi sum conscius mali, laboro, non succedit. Deus facit, ut augeas merita, & deinde cum fœnore recipias, ut Petrus totâ nocte laborans nihil cœpit, postea uno tractu retis omnē compensavit laborem. 5. Fiat ô fiat tua voluntas sicut in cœlis, ubi quia tua voluntas fit in eis, & illi nihil obluctantur, beati sunt, felices sunt. 6. Sed quomodo idem volo si sum inobediens jis, quos loco tui mihi proposuisti! Superiores, Confessarios, & tamen non tantùm idem velle, sed & sentire deberem cum illis, si me tibi conformo. 7. Iniuriam facit Domino qui eum re sua uti non sinit, tuus sum, tuus sum, heu calcitro!

8. Non vis homo ſapientiâ Dei ſapere, etſi pro hoc det tibi cœlum? mavis tuâ ſtultitiâ uti, etſi pro hoc te infernus exſpectet. 9. Inſtrumentum ſum, quod nihil valet ſine artifice, & id ipſum ſine eo vult agere. 10. Chriſtus etiam cùm de Crucis morte ageretur. *Non mea* ait, *ſed tua voluntas fiat*. Sed tibi reſpondebit Deus quod *Sauli, melior eſt obedientia quàm victima, & non obedire, quaſi peccatum ariolandi*. Et quid Iudæis quos non exaudiebat, dixit. *In ieiuniis veſtris invenitur voluntas veſtra*. 11. Adhibe media humana & diligentiam debitam, & ſi quid non ſucceſſit, contentus eſto, id Deus voluit, idem de morbo, infamia, caſu amicorum. 12. Eſſesne contentus ſi loco animæ tuæ, tibi Deus unum ſupremum Angelum v. g. S. Michaelem daret, qui te loco animæ tuæ animaret, ecce Deus ſeipſum tibi dat, eo vives ſi eius voluntate vives, unus ſpiritus eris cum

eo, habebis cor rectum, & impeccabile. Si Deus non esset immensus, potiùs in te esset quàm in cœlo. Quia magis est anima ubi amat, quàm ubi animat. O felix vita, Deo ipso vivere, de hoc Christus dicit: *Ego in hoc veni ut vitam habeant:* de his loquens qui voluntatem Patris sui faciunt, ac sicut ille præter animã habet personam Divinam, ratione cuius à Deo specialiter ut à Tutore regitur, ita & tu quisquis talis es, ac in hoc ita ei eris similis, ut dicat. *Qui facit voluntatem Patris mei, hic est frater meus.* Potestne iam Deus tibi quidpiam negare? sibi profectò negaret? poteritne permittere errare? se permitteret. Et quia Spiritus S. per voluntatem procedit. Ergò cùm in te fuerit voluntas Dei, in te requiescet Spiritus S. & hoc est quod ait: *Super quē requiescet spiritus meus, nisi super humilem & trementem sermones meos.* Et quia Spiritus S, amor est, idq; infinitus,

nitus, in te recumbet divinus amor infinitus. *Pone te ut signaculum supra cor meum*: illud quidem saxeum, sed illud tolle & da mollius, ô Deus qui me amas.

SOLILOQVIUM SEXAGESIMVM QVINTVM.

Cujus sit periculi vocationi divinæ, seu instinctibus non parere?

PUNCTUM I.

VOcatio est instinctus, seu voluntas infusa à Deo, ad perfectiorem vitã eligendam. Quia priùs nos Deus, juxta Conc. Ancyranum elegit, quàm vidisset nostra bona opera, & media cuique, per quæ salvaturus est eum, designavit, quæ si ille deseruerit, etiamsi alia in speciem meliora arripuerit, non salvabitur. 2. Multis eo fine dedit talenta & dona ingenii, indolis &c. Ut in hoc, vel illo v.g. religionis statu vivant. Inde videmus pluri-

plurimos, qui adoleſcentes egregii, dociles, dextri, ingenioſi, &c. Ubi ſtatum elegerunt, fiunt deſides, nulli grati &c. Quia non eum ſtatũ quem Deus illis præordinavit elegerunt, ideoque talenta ab ijs recepit. 3. Sæpè ob hunc finem Parentibus induſtriam, vitam, bona fortunæ dat, ut filios idoneos certo ſtatui educent, ut patet ex exemplis apud S. Hieron. &c. quomodo puniti, ſi vocatis à Deo filiis obſtiterunt, ſicut Dominus dat pecuniam famulo, ut eâ certam rem emat, quod ſi ille neglexerit; & pecuniam recipit, & pœnam imponit, hinc etiamſi filii negligant vocationem, bona parentum priùs diſſipantur, quàm ad eos veniant, & in paupertatem propudioſam, & alia damna dilabuntur. 6. Qui habent lumen, & ad bonum vocationes, ſi eas non ſequantur in tanta abſurda, & tam rationi diſſona labi ſinuntur: ut planè ſit nec perceptibile. Sic

Iudæi dum spreverunt lumen, in quantas Thalmudicas fabulas lapsi. Deum quotidie bis flere, duas lacrymas effundere, capur pugnis tundere, deplorando excidium Ierosolymorum: Videamus his sæculis elapsis, in quæ enormia non lapsi doctissimi Theologi. Æqualia esse omnia peccata, quosdam in omni opere peccare, non posse legem Dei servari; Deum esse impulsorem ad peccandum. Hic fructus spretorum instinctuum.

PUNCTUM II.

IMpossibile est salvari aliá viá, imò ait scriptura. *Vocavi & renuisti.* Loco auxilii. *In interitu tuo ridebo.* 2. Alios homines vult Deus esse veluti aves cœli, alios veluti animalia Dei, si ergo avis nolit volare, facilè capietur, si animal progredi noluit, sed volare affectet, in quo est periculo? Ita & homines, qui alium statum pro alio eligunt. Non omnes ita q̃ damnan-

damnantur, qui in sæculo sunt, quia animalia sunt, & illis Deus in eo statu providet, sed illi soli, quos Deus vult esse aves, turtures solitudinis, meditari ut columbas &c. 3. Deus nos veluti instrumenta gloriæ suæ creavit in certos usus, *alios quidem Prophetas, alios Doctores, &c.* Homo ergò, si non sequitur destinationem suam, id agit quod ille, qui vult navi arare, aratro transfretare &c. dicendo utiq; bonum est arare, bonum navigare, sed non aratro navigare; sed non navi arare bonum: Sed per alia instrumenta fieri debet, per hæc si tentes, & alia destrues, & nil efficies, & rideberis. O profectò rident Sancti multos, dum Deus eorum revelat illis prædestinationem, & eos vident mediis ad illam abuti, & amarè rident. Agitis homines, sicut qui videt in aqua esse pisces, velit & oves in aqua pascere, quia videtis quosdam in sæculo, (si videtis) sal-

vari, & vos ibidem ſalvari contra inſtinctum creditis.

PUNCTUM III.

Pœnas advertite eorum, qui Deo vocanti non parent. 1. Videte decem Virgines, voluit ſponſus, ut ſecum oleum deferrent, illæ arbitratæ non opus eſſe tam multo oleo, & ſe à ſociabus ſi quid deerit, obtenturas, ecce audiêrunt. *Neſcio vos.* Tarmen habuerunt oleum, ſolum nocuit, quia non in ea quantitate: Venerunt ad portas cœli, id eſt, non fuerunt in peccatis, judicio mundi; ſed non intrârunt, quæ Deum illuminantem non reſpexerunt, defectu luminis perierunt, planè per *quæ quis peccat, per eadem punitur.* 2. Vocati ad cœnam, noluerunt, *nemo illorum guſtabit*, etiamſi poſtea voluerit. 3. Deus ipſe de talibus queritur. *Quid debui ultra facere vineæ meæ, ecce dum exſpectarem uvas tulit labruſcas*, dum

exſpe-

exſpectarem arctiorem v.g. Religioſi fructûs obſervantiã &c. 4. Traduntur tales frequenter dæmoni, ut ſit Dux eorum, quia Chriſtum ſequi recusârunt. ut in innumera peccata labantur ſicut illi, de quibus S. Paulus. *Qui cùm agnoviſſent Deum &c. ideò tradidit illos in reprobum ſenſum. &c &c.* & multa horrida, deteſtabilia, execranda. Pſ. 8. *Non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi, & dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis. Si populus meus audiviſſet me, Iſrael, ſi in viis meis ambulâſſet, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.* 5. Illudent in ipſo inferno talibus dæmones. Non obediſti Deo ad gloriam, obedi nobis ad pœnam, tum primò. *Ergo nos erravimus &c.* tardè deplorabunt. 6. Sed hæc eſt, quæ à talibus, quia nondũ eos premit, non attenditur pœna.

Iusto Dei judicio exuitur bonis fortunæ, sive per hostem, morbum, casum, sive aliis modis, ut qui nolebat esse pauper propter Christum cum fructu, sit pauper sine fructu cum damnatione; vel si aliquibus dantur bona terrestria, dantur ut Epuloni: ut ob illorum usum magis damnentur, vel certè sicuti veneficis dæmō opes offert, ut magis eas confirmet in via reprobationis: sic Dei permissione tali homini fient creaturæ in tentationes, & divitiæ in laqueos diaboli, ut etiam hæc gratia tollatur illis quâ affectus filius prodigus ad nefandam famem devenit, & sic ad Patrem compulsus regredi. 7. Iudicium rectum, & dictamen rationis turbatur, nec mirum! solus enim ille, *qui sequitur Christum, non ambulat in tenebris.* Vnde spiritualium rerum pretium non attendit, peccata aliquando ex ignorantia crassa, putat virtutes, satis nimirum semel in

anno

anno confiteri, idq; gloriæ, esse si Confessarium deluserit &c. 8. Non acceptat ab illo quidquam Deus, sicut dominus ab eo famulo cui offensus, ideoq; multi totâ vitâ eleemosynas nullas faciunt, orationem horrent &c. *quia non est speciosa laus in ore peccatoris, oratio eius* si quæ erit, talis erit, ut potiùs sit *peccatum.* 9. Vita talium abbreviatur, ut patet ex exemplis, imò morte violentâ pereunt, sicut ille Propheta, qui cōtra Dei voluntatem à via designata digressus ad Prophetam alium, & à leone laceratus. Sicut qui monetur ut hac certâ viâ eat, & in hac qui eum deducat, ille aliam, idq; in tenebris delegit, & in dracones, & bestias incidit, sicq; indirectè est causa suæ mortis. 10. Dotes naturæ, gratiam agēdi cum hominibus, memorandi, eloquendi &c. &c. tollit à talibus Deus, sicut patet in illis, qui religionem deserunt, in qua quam-

diu fuerunt, fulmina fuerunt in nubibus, ubi exciderunt, lapis sunt vilis Sicuti cum dat pecuniam pro certa via famulo, Dominus, si eam viam ingredi recuset, recipitur ab eo pecunia, & vestes quibus illum pro ea via instruxerat, 11. Denique deserit illos, cum instinctibus quos prævidit, illis fore congruos, sed sicut infantem sine nutrice inter serpentes, sicut ovem inter ursos & lupos in mediis sylvis, sicut peregrinũ inter latrones, quia contempsit directionem, sinit esse. 12. Ostendit hunc modum agendi, in eo, cui unũ talentum concredidit, sed ille ait, *Domine, scio, quia homo durus es*, duræ sunt hæ viæ melioris vitæ, duriùs me judicabis in altiore statu, *metes ubi non seminâsti*, multa à me requires, *congregas ubi non sparsisti*, malo gratiis actis tibi, pro hoc talento illud abscondere, & suo tẽpore reddere quod tuum est. Sed en. *Respondens autem*

Dominus

Dominus, dixit ei: Serve male & piger, sciebas, quia meto ubi non semino, & cõgrego, ubi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, (*non tuo* judicio fidere, sed experiri, sed viros probos consulere) *& veniens utiq; ego recepissem quod meum est, cum usura. Tollite itaq; ab eo talentum* (ut ampliùs non habeat vocationē) *& inutilem servum eiicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Ecce tibi. Timuisti, quia austerus est? 13. Vinea es, laborat circa te specialiter Deus, ut non labruscas in campo libertatis, sed botros intra maceriam feras, tu tamen labruscas, & placet tibi libertas ecce apud Isai 5. *Et nunc ostendam vobis, quid vobis, quid ego faciam vineæ meæ, auferam sepem eius* (protectionem meam) *& erit in conculcationem* (etiam ipsis dæmonibus) *& ponam eam desertum, & non putabitur* (non Confessarios bonos, non monitores habebit)

bebit) *& non fodietur*, (nemo repræhendet, sed ibit in inventionibus suis, dabo illi prosperos successus in ruinam illius) *& ascendent vepres, & spinæ, & nubibus mandabo non pluant super eam imbrem.* 14. Audi Paulum, Hebr. 6. *Terra sæpè venientem super se imbrem bibens, & proferens spinas & tribulos*, (Ipsemet Christus per spinas intellexit divitiarum amorem.) *reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio erit in combustionem.* 15. Sed juvat ipsum Rom. 1 decretum expendere. *Cùm cognovissent Deum, nō ut Deum glorificaverunt* id est, non ad eam sanctitatem enixi) *aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (honores pro obedientia, divitias, pro paupertate religiosa, & alias vanitates affectandi) *& obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt, &c. Quia commutaverunt veritatem in mendacium*, nam, nemo potest duobus Dominis servire

ſervire &c. *Si vis eſſe perfectus, vade, vende omnia, & ſequere me. Qui vult eſſe amicus huius mundi, inimicus conſtituitur Dei*) *& coluerunt, & ſervierunt potiùs Creaturæ quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula,* (Parentum diſſvaſionibus, amicorum, familiæ &c.) *Propterea tradidit Deus illos in paſſiones ignominiæ &c. tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt. Repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſq; fœdere, ſine miſericordia.* Et vide ſi aliquem noſti, qui vocationi veræ non paruit, aut eam deſeruit, quales ſunt Apoſtatæ, ſi non ſunt tales, per tales, omnia ſcelera in mundum ſparſa. 15. Sed habe ex ſcriptura unum, alterumq;

exemplum, in reprobum ſenſum da-
ti hominis. Cainum Deus ipſe, ore
ſuo arguit de peccato, tremore mẽ-
brorum percutit, & aliis modis, 500.
annos dat pro pœnitentia, non ille
curat. Viderunt homines Enoch in
paradiſum, dum ferretur, audiêrunt
monita. Noemi, viderunt ad arcã
concurſum omnium animalium, quæ
pœnitentia? Pharao vidit aquam
in ſangvinem verti, grandines, mu-
ſcas, tenebras &c. Eſtne converſus?
Saul, pridiè quàm vinceretur vidit
Samuelem à mortuis excitatum, &
ſibi dicentem *Cras tu, & filii tui me-
cum eritis*, quid factum? Ioram Rex,
ad hunc Elias, ſeptimo anno à tranſ-
latione, ad paradiſum literas dedit,
& eas agnovit, legit terribilia in illis
&c. *Ægrotabis peſſimo langvore uteri
tui &c. percutiet te Deus plagâ magnâ
cum populo & filiis tuis*, vidit hoc ve-
rificari, regiam ab Arabibus, & Ma-
dianitis diripi &c. Nil tamen effe-
ctum.

ctum. Iudæ ad pedes Christus se abjecit, lavit, osculatus, corpus suum dedit, monuit. *Væ per quem filius hominis prodetur.* ostendit se scire illum, *qui mecum tingit manum in paropside, &c.* Nihil profectum. Ecce hoc est tradi in reprobum sensum! Donec tandem subitâ vel pessimâ morte pereant, ut Pharao in mari mersus, Iudas suspensus, totus orbis diluvio submersus, Saul à seipso occisus, & ita in æternum damnati. 17. Sæpè etiam subitò moriuntur, qui instinctum negligunt, etiamsi solum (hujus rei Lancic. opusc. de rect. Adol. habet exempla plura quàm 10.) differant ita Bern. Ep. 108. de quodam. *Cœpit induciari, & ita paulatim refrigescere, donec subitâ horrendâ morte præreptus, factus est de medio sæcularis, & & prævaricator, & duplo filius gehennæ.* 18. Apud S. Antoninum 3. p. 24. tit. c. 9. § apparuit tali cuidam monens Christus, & dixit: *Vocavi, & renu-*

 isti,

isti, ideò vade ad pœnas inferni. Quia Bern. ep. 108. *Differre est iniuria Dei, discordiæ seminarium, iræ fomes, nutrimentum Apostasiæ.* 18. Etiamne Sacrificio orent pro talibus, Deus inhibet. Ier. 7. *Hæc dicit Dominus, locutus sum ad vos manè consurgens, & loquens, & non audistis, & vocavi vos, & non respondistis, proiiciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros* (Gentiles) *tu ergò noli orare pro populo hoc.* 19. Specialiter ea Deus immittit, quæ magis homine in confusura, & afflictura, & quasi ea selegit pro talibus. Isai. 66 *Quæ timebant, adducam eis, quia vocavi, & non erat qui responderet, locutus sum, & non audierunt, feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui, elegerunt:* ergo a, quæ maximè times, ea tibi Deus non solùm permittet, sed planè inducet. 20. Dignitatibus terrenis, spoliat 1. Reg. 15. *Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel.* Ubi

Sophon.

Sophon. c. 3. *Væ provocatrix, & redempta civitas non audivit vocem, & non suscepit disciplinam, in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit.* Quia non audivit vocem Domini, hinc secutum, non suscepit disciplinam; Spiritus S. desiit eam docere, non est confisa in Deo, auxilii subtractio secuta. Atqui inquies, consilia hæc, non præcepta? Ita. Sed sine consilio periti viarum, non pervenies ad terminum; si sis viæ imperitus, & in latrones, in pericula, &c. incides. At hîc solùm cõsilium erit. Sed sine consilio medici non sanaberis, si æger es. 21. Sæpè ea concedit iratus, quæ negaret Deus, si esset placatus. 22. Sicut tuæ vitæ non dabit initium Deus, ita nec successum. 23. Hoc est signum prædestinationis, vel reprobationis. Nam ait Christus: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Et Ioann. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Audire autem est, non specula-

tive, sed practicè advertere. Nam ut
omnes, qui habent auxilium inefficax, dum quo non salvantur, vocem
Dei audiunt, sed non applicant sibi;
ut multi Concionatores, qui alios viam Dei docent, ipsi in peccatis manent, libros spirituales scribunt, consilia dant, sed ipsi non moventur:
Ita Scribæ, & Pharisæi, qui tribus
Magis ex S. Scriptura demonstrarunt
locum nati Messiæ, ipsi non crediderunt: licet indicatent Scripturæ esse
credendum, & hanc quam legebant
esse Scripturam, & Magos debere illi credere, sed ipsi quasi præcisi vel
habebant, vel si movebantur, & ipsi
uti multi vitiosi Concionatores, tantum
motus est, tanquam alicujus arboris
vento agitatæ, quæ nihilominus loco non movetur, vel quia sola passio concitatur, vel quia simul amor
manet efficax eorum, quæ retrahunt
à vita meliore, licet dum hic est motus, hic amor actu non exerceatur,

& quasi illo impetu motus obruâ-citur, sicut arundo vento impulsa, deinde tamen resurgit, & prævalet; & ista sunt auxilia sufficientia, quæ nemini saltem remotè denegantur, ita ut inexcusabilis sit; ita & veteres Philosophi Deum cognoscebant, non ut Deum glorificabant, sic & modo multi agnoscunt suam tepiditatem, & se in vitiis hærere, & proponunt emendare, sed quasi speculativè, & vel non statim admovent manum operi, & postea omnium obliviscuntur, vel aliæ curæ superveniunt, & illas scintillas suffocant, & sic vivitur in iisdem peccatis. Sic multi graves peccatores, ubi peccârunt, eundo cubitum cogitant. Quid si hâc nocte in peccatis morerentur? nec tamen actum doloris eliciunt, & obdormiunt. Hoc est. Vocationem sufficientem habere, dum inter res sacras distrahuntur, reflectunt se & vident se malè agere, nec tamen ces-

ſant ſe diſtrahere; ſic cum ſe con ut, veſtiunt, inebriant, vident reflexè poſſe in peccatum labi, vel alium allicere, ſed hæc vident veluti in ſpeculo, à quo dum quis abit, obliviſcitur, qualem viderit in eo vultum ſuum: ſed non pergunt in malis, & periculis ſuis cogitandis, quod poſſunt facere, cum Deus gratiam efficacem eis dediſſet, vel quia ſtatim rationes ſæculares, & politiæ eis in contrarium occurrunt, v.g. debere hoc eſſe inter homines &c. Vel præſumptio de Dei miſericordia; Deum adhuc miſerturum, parſurum, nam dæmon plurimos decipit, miſericordiam Dei ſine juſtitia repræſentando, cum utrumque debeant cogitare, & ſicut dum eſt gratia efficax, homo obliviſcitur reſpectuum, & rationum humanarum: uti Magdalena, cum in domum Pharisæi irruit lotura Chriſto pedes, vel ſi eæ occurrant, ſpeculativè occurrunt; ita in gratia ſuf-

ficienti, obliviſcitur divinarum, tum cum agendum eſt, vel ſpeculativè recordatur, & in ſola apprehenſione humana hæret: quia ſicut in gratia efficaci, illa bona cogitatio, quaſi per ſe habet ſe, & infixa eſt, aliæ autem ſolùm colla feraliter allabuntur, velut lapides ſupra galeâ, & non adhærent, ſicut res ad nos non ſpectantes audimus, ut ſi moreretur Iapon aliquis, ita in gratia ſufficienti mundana cogitatio, alia autem ſimul afficiunt, ut mors amici cognita per ſe adhæret: bonæ autē cognitiones allabuntur & reſiliunt. Sed quis hoc facit, ut hæc infixa ſit, aliæ autem reſiliant? Quidquid eſt magnum arcanum eſt, & quod circa nos fieri experimur, etſi neſcimus quomodo fiat, ſcimus tamen juſtè hæc fieri. Sed illud ſeveritatis pleniſſimum, quod aliquibus in majorem eorum damnationem, dat lumen & inſtinctum, quæ videt illos

non illos. Sic S. Hieron. ait lib. 1. Comm. in Matth. 2. de Iudæis, ordinavit Deus, ut interrogarent Magi de loco Nativitatis Christi. *Discerent autem Magi, judicio facto, in Iudæum, ut Sacerdotes à Magis interrogati, ubi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de adventu eius.* Quàm dubia salutis nostræ via! de Iudæis autem factum, cùm nollent sapientiâ uti divinâ, factũ est, quod Ezech. 21. *Dabo te in manus hominum insipientium, & fabricantium, igniter in* ...

SOLILOQVIUM SEXAGESIMVM SEXTVM.

Quid est esse in gratia Dei?

PUNCTUM I.

1. SAncti Veteris testamenti eodem ferè modo desiderabant gratiam sanctificantem, seu Iustitiam, quo ipsius Adventum Messiæ. Isai. 45. *Rorate cœli &c.* Iustitia oriatur idque

que

quæ Iſtàm in Beatiſſimæ Virgini, tanquam deſideratiſſimum titulum dat Angelus, *Gratiâ plenâ*. Titulos gratiæ dat ſummos ſcriptura. *Saltus odorum, fluvii pacis, aurum pro arce, ædificatio de ſertorum, Fundamenta ſapphirina, cæli novi, &c.* 3. Hanc ne amitterent Martyres, tanta paſſi, ut augerent, Eremitæ quid tum egerūt 4. Eam ut in alios inducerēt, quanta fecerunt Apoſtoli, & alii viri zeloſi. Ut Paulus optaverit perire, dummodo alii eam haberent, & propterea, ut ait S. Chryſoſt. hom. de laud. Pauli. *Ea paſſus in mente, quæ Iob in corpore.* 5. Si vel unum gradū gratiæ acquirat peccator, *gaudium habent in cœlo, ſuper eo* Angeli. Luc. 15. Imò Chriſtus ipſe, tanquam Paſtor, ſi ovem perditam inveniat, tanquam mulier, quæ drachmam recuperavit: *Congratulamini mihi, inveni drachmam meam.* Vel ſicut Parens, ſi cuius filius in omnia ſcelera proje-

cius, resipiscere incipiat. 6. Gaudent Angeli, si cui frater moriatur, & denuo ad vitam redeat, mortui sunt eis fratres alii Angeli, in illorum locum, succedit homo in gratia positus. 7. Ita gaudent sicut subditi cum eorum Regi charissimo nascitur Filius, *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* 8. Propter hoc, ut conservent homines in gratia, vel ad eam deducant, tota vita in custodes illis dati. 9. Christus Dominus non solum ipse ad talem hominem festinat, sed Patrem secum ad eum ducit, & apud eum *mansionem* facit. 10. Dæmon ut eam nobis eripiat, *tanquam leo circuit* nocte, dieque, & porcorum & canum figuram assumit, ut minimum ejus augmentum impediat orantem, v. g. distrahendo.

PUNCTVM II.

1. OMnia quæ fecit Deus, propter gratiam aut augendam a it retinen-

tinendam fecit, tanquam media & adjumenta, omnia enim impellunt ad Deum amandum. 2. Quando homo perdidit gratiam, Deus Filium destinavit ut eam morte suâ recuperaret, hic Filius autem tanto ardore tempus ejus restaurãdo præfinitum expectabat, ut in meris Figuris eam signaret, & diceret *quomodo coarctor donec veniat*: Unde per quatuor millia annorum videbat se mactari in victimis, in thure adoleri. 3. Totũ mundum uno verbo fecit, *mandavit & creata sunt*. Gratiam sangvine, sudore, Cruce. 4. Usq; ad finẽ mundi vult descendere in hostias, dum consecrantur, in ora hominum ingredi: Idq; non rogatus. 5. Ut Apostolis deprædicantibus præstantiam gratiæ fides haberetur, innumera miracula fecit, & ita eos quasi coëgit prædicare, ut unus dicat: *Væ mihi est si non prædicavero*. 6. Ut augeat eam Deus, in aliquo doloris aut patientiæ actus

ofciendo, permittit mundum, reg-
gna perire, per bella, pestes &c quasi
sit margarita illa *quæ inventa, omnia sua*
pro illa Deus dedit. 7. Melior est gra-
tiæ gradus, quem peccator acquirit,
quam cœlum, terra, anima hominis
&c. Ps. 144. *Miserationes eius super om-*
nia opera eius. Aug. tr. 72. In Ioan.
Maius esse (ex peccato ad gratiam
venire) *quam est cœlum & terra, &*
quæcunq; cernuntur in cœlo & in terra.
8. Sicut, quando sol aquam illustrat,
in ea, alter sol apparet, ita in anima
gratiam habente, Deus, & *conformes*
efficimur imaginis Filii Dei. 9. S. Th.
1. 2. q. 113. a. 9. *Maius est opus iustifi-*
catio impii, quàm creatio cœli & terræ.
Et, *bonum gratiæ unius, maius est, quàm*
bonum naturæ totius universi. Aug. l. 9.
de Trin. 10. *Etiam omnes Angelos su-*
pergreditur. O homo hanc tu pro una
voluptatula in lutum abjicis! maius
hoc est, quam totius mundi aurum,
quam omnia membra & sensus cor-

de-

dere, quam animam annihilari! & tamen hæc negligitur ob unum respectum humanum! quod si omnibus totius mundi rebus melior est anima, Eccli. 16. *Melior est unus, qui timet Deum, quàm mille Filii impii.*

PUNCTUM III.

Seraphim nobiliores sunt lumbricis, at multo his nobilior vel unus gradus gratiæ, ita ut Angeli naturam suam deponerent & omnes dotes mutarent, cum homine miserrimo gratiæ gradum unicum habente. Mallat gloriâ cœlesti etiam maximâ carere Sancti quam unico gradu gratiæ: nam S. Th. l. c. docet, *donum gratiæ iustificantis impium, maius esse, quàm donum gloriæ beatificantis iustum.* Quia gratia, essentia est, quam gloria veluti proprietas consequitur. Creaturæ desiderium satiat gloria, at gratia infinitum Dei gustum explet. Gloria nostrum bonum, gratia Deum ob-

fecrat: Qui gloriâ caret, non ideò malus, at qui caret gratia, vilissimus. 3. Eo intuitu, quod Christus assumpsit carnem nostram Angeli volunt esse conservi nostri. velut homines vocari. Dan. 9. *Vir Gabriel*, eos *iudicabimus*. Et tamen hoc est modicum respectu gratiæ, quia cum hoc perire possumus. 4. Magnū est in Eucharistia beneficium, in qua non iam ut Angeli Christum aspicimus, sed intra nos sumimus, & tamen illud propter gratiam augendam datum, etiam si à multis indigne sciebat tractandum. 5. Aug. lib. de Virg. c. 3. *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset*: Quia per Maternitatem communicavit sangvinem; per gratiam divinitatem. Quid si aliquis in utero Virginis Christum occidisset, quam malus ille? Maternitate spoliasset: Tu peior, qui te gratia.

PVN-

PUNCTUM IV.

1. PEccatum est fere infinitæ malitiæ, & quod æternis ignibus exuri non potest, hæc peccata si omnia essent simul, unus gradus gratiæ delet penitus! 2. Docent multi quod nec per omnem Deus potentiam possit unum gratiæ gradum cum peccato componere. 3. Sine hac, vitam animæ non recuperabis. 4. Vivæ etiam vilissimæ res, meliores sunt, quàm inanimes, ut musca quam sol: ut docet Aug. 11. Civit. 16. sed animæ *vita* est *gratia*, quâ iustus vivit per ipsum Deum, ut Paulus. *Vivo ego iã non ego*, sed *vivit in me, Christus*. 5. Anima in gratia est imago Dei, sed viva: idq; eadem vita cum Deo vivens. Si peccas cadaver es, omni cadavere terrius, quod ipsum Spiritum S. cōtristet. 6. Tam pulchram animam reddit gratia ut si eam homo videret, cor eius rumperetur præ gaudio ut dicit S. Brig. 2. Revel. 18. S. Cath.

Senen.

Pelle
Senen, quia eam viderat semel, ve-
stigia lambebat eorum, qui ad gratiã
acquirendam iuvabant. Imò Chry-
sost. hom. 1. Ephes. *Angeli & Archan-
geli vehementer affectant eam gratiam,
aspicere*: imò Dei filius propter quam,
delicias habeat esse cum filiis hominum &
Ps. 44. *Concupiscet Rex decorem tuum,
quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* E-
tiam quatenus est Deus, non solum
desideret, sed plane concupiscat. 7.
Imò tam pulchra est anima, per gra-
tiam: ut Isai. 62. *Eris anima corona
pulchritudinis in manu Domini, & dia-
dema regni in manu Dei tui.* 8. Uno e-
tiam crine *vulnerat cor* Dei. 9. Ut *ter-
ribilis castrorũ acies ordinata*, omnipo-
tentem rapiat ad amorem sui, ut se
illi amandũ dedat. *Averte oculos tuos
à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Ut
Dion. div. nom. c. 4. *extra seipsum fi-
at*, & certè solum ut gratiam animæ
acquireret, omnia fecit & factus est.
quid non sit ea in anima conspecta?

Fortis

fortis ut mors dilectio, Lampades ejus, lampades ignis. Exod. 20. *Deus fortis zelotes.* 10. Amicos Dei facit. O Domine! *quid est homo quod memor es ejus!* ergò anima est amica Dei! ergò thesaurus Dei? Eccl. 6. *qui invenerit amicum fidelem, invenit thesaurum.* Sed *ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum,* ergo in tali anima, cor erit Dei. *Amicus fidelis, medicamentum vitæ.* non pœnitebit Deum, etiam vitam pro eo profudisse. *Greg. in Ioan.* 15. *O mira Dei bonitas, dignatio! servi Dei digni non sumus, & amici vocamur:* Hoc certè non est per naturam, quâ omnia Deo serviunt. Sed quæ æ qualitas pro amicitia? Hier. in Mich. 7. *Amicitia aut invenit pares, aut facit; Ionatas exspoliavit se tunicâ, quâ indutus erat, & dedit eam David* amico suo, *& reliqua vestimenta sua usq; ad gladium.* Communicat ergò secreta Deus, ut amico Gen. 18. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Et velut amicus *lætus do-*

lore

lore cordis intrinsecus declamaret pec-
cata Sodomorum: coram amico A-
brahamo doloram effundit. 11. Spõ-
sas Dei gratia fecit, Isai. 62. *Gaudebit*
sponsus super sponsam, & gaudebit super
te Deus tuus. Quomodo ille, ita hic.
Quid si propter sponsam *dimittet homo*
Patrem suum, & Matrem suam? Ornat
eam, ut non habeat *maculam* aut *ru-*
gam: Nihil illi negat. *Quæ est petitio*
tua? ut detur tibi? & quidvis fieri, etiamsi
dimidiam partem regni mei, impetrabis?
Monilia? Habebis Isai. 61. & de his
S. Agnes gloriabatur. Instructionem?
Isai. 48. *Ego Dominus Deus tuus docens*
te utilia, gubernans te in via, quâ am-
bulas, nutriã & foveam eam. Vis omnia
bona? 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt:*
Vos autem Christi. Vindictã? *Mihi vin-*
dictam & ego retribuam? Idq; prom-
ptius quàm si mihi ipsi illata esset.
Non separabit te à se, nisi tuam ani-
mam occideris, at hanc, ne ipse Deus
occidere potest, sed solus tu. 14.
Ma-

Magis unit Gratia quam Matrimonium, quia in eo non sunt omnia, Sponsi, ut dos &c. hic *gratia Dei sum id quod sum.* 13. Magis quam Christus unitus cum tota Ecclesia, quia in ea non omnia membra influxum sponsi percipiunt, cum sint quædam mortua. Hic *Benedic anima Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.* 14. Per gratiam efficimur filii Dei. Non solum iam ab ultimi supplicij ictu exempti. *Si filii & hæredes,* at cuius hæredes? *Dei qualis.* Hæredes? *Cohæredes Christi.* Si Deus moreretur, iustus hæreditaret: Si natura Dei in aliquem transferri posset, certe in iustum: Imo de facto iusti *si quis loquitur quasi sermones Dei, si quis administrat virtutem, quasi virtutem quã administrat DEVS.* Filij autem voluntarie *geniti verbo veritatis,* non est hic adoptio humana, quæ in sola opinione consistit: Quos Deus adoptat, regenerat ut sint *nova creatura.* 15 Plus

quàm filii. Filio solùm datur pars superflui sangvinis, & dispositio ut animetur: DEUS natam suam, & Spiritum suum largitur, *ut ex Dea nati simus*: Ioan. 1. ut simus *principium* seu principales *Creaturæ eius*. Homo non voluntariè generat, quem vult; DEUS sic. Si adoptat homo, facit necessitate aliquâ, DEUS nobis non eguit: Homo dignos, DEUS ex indignis faciendo dignos: Et educat illos *pane cœli*: Ut sint non qualescunque, sed *conformes imagini filii eius*. 16) Templum Dei gratia efficit. 2. Cor. 6. ut iam Spiritus S. in homine speciali modo habitet. Matth. 10. *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Semel *Deus misit* Filium, ut in carne habitaret, hic sæpe: In Eucharistia mittit sæpe, sed non diu manet Filius: Per gratiam Spiritus S. quamdiu velis, & non solus manet, sed tota SS. Trinitas. Aug. *Deus Trinitas, Pater, & Filius & Spiritus S. veniunt ad*

nos,

noce *dum veniemus ad eos*. Quid eos alliciat? gratia. Et tamen dum ita facit in nobis, solium illud per veniale peccatum conspuimus, evertimus. Veluti si Christum D. ex præsepio in terram dejiceremus. Et per gratiam venit Deus &c. 1. Ioan. 1. *Ut societas nostra sit cum Patre & cum Filio eius Iesu Christo*, non ut dominetur nobis. Quid est esse socium expende.

PUNCTUM V.

GRatia facit ide cum Deo: 1. Cor. 6. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*. Quia eodem Spiritu vivis, id est Spiritu S. & ita facis unum. *Sicut Pater in Filio, & Filius est in Patre*: si ita, ergò sine homine justo non putat Deus se quodammodo habere completam suam perfectionem: ergo Patri sibi in justo ut Filio cõplacet, Filius, ut in Patre, Spiritus S, ut in objecto amato. Unde meritò Ps. 81. *Ego dixi: Dii estis*. Hoc solum nomen

sufficit exprimere hanc dignitatem, quod divinam. Inter homines, cùm cætera donent Reges, nomen sibi Regis retinent, Deus etiam illud communicat. 2. Communicat justis dominium in omnia, quia sunt sponsæ, quia amici, quia filii, quia excellentiores aliis rebus, natura autem subjicit excellentioribus viliora, quia propter gratiam consequendam facta omnia, quia victor est mundi, justus. 3. Communicat omnes virtutes supernaturales, at nos non exercemus illas, veluti si dives omnium, fame tamen moriatur. Difficultas? Non vis quia difficile est scribere, tibi subscribere, decretum vitæ æternæ, non vis manum movere ad obsequium tanti Regis? 4. Septem dona Spiritus S. ad patranda specialia pro Dei gloria, ut prudentia & consilium ad abducendos homines à peccatis, fortitudo ad contemnendum mundum, & sine his quædam graviores tentati-

ones non vincerentur, actus beatitudinum fiunt. Præstantissimo artifici, si manum resecares, quo odio dignus esses? hæc dona sunt manus Spiritus S. quæ perdis. 5. Immutat homines Gratia in alios, ut patet in Baptizatis. Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* 6. Auxilia actualia attrahit. 7. Plures Angeli serviunt, & Apoc. pro muliere ornata sole gratiæ adversus draconem decertant. Bern. serm. 39. in Cant. talis anima, *Angelicis fulta ministeriis, & superno stipata agmine incedit.* Orig. in Psal. 36. hom. 4. *Nunquam solus est iustus, sed ne unius quidem aut duorum vel trium Angelorum societate subnixus est, sed exercitus ei virtutum cœlestium præstò est.* Nam unum etiam mali habet. Quia gratia magis delectantur, quam totius mundi conspectu, & fortasse præcipui. Cogita hic si diligeret Rex, ita oviculam, ut Principes, juberet eam pascere? 8. Dat valorem operibus

iusti

iusti ut sint condigna vitæ æternæ, &
quia Greg. 22. Moral. 12. Deo, *opera*
placent propter hominem tantus est ho-
mo iustus ut in tantum opera sua di-
gnificet. Ideoq; fortasse quò quis in
majori gratia, semper eodem opere
plus meretur, quia magis dignus.
9. Habet Iustus communionem cum
Sanctis, quia eodem spiritu vivit
cum illis, unde quod illi deest de ip-
psis sumit, & imò insitus est Christo
tanquam vitis palmiti. 10. Tempo-
ralia adduntur iusto. Luc. 12. *Quæri-*
te primum regnum Dei & iustitiam eius,
& hæc omnia adiicientur vobis, imò so-
ciis tantùm Iustorum est felix, ut La-
banus propter Iacobum. 11. Dat be-
atitudinem naturalem meliùs quàm
opes, honores, sanitas, scientia. *Ps.*
Beatus populus, cuius Dominus Deus ipsius.
Si regnum vis, gratia dat. Luc. 17.
Regnum Dei intra vos est. Est *pax,* Phi-
lip. 4. *Quæ exuperat omnem sensum, &*
gaudium in Spiritu S. 12. Gratia pa-
anima.

animæ. Est consolatio, facilè Iusti preces exaudiuntur cum adimpletione desideriorum favores speciales, protectio maior. Vide plura Soliloq. *Unio iusti cum DEO.*

SOLILOQVIUM SEXAGESIMUM SEPTIMUM.

Amicitia Mundi & Dei.
PUNCTUM I.

MUndo nemo unquam satisfacere potest, his videtur prodigus, illis parcus; his durus, illis affabilis: & interim dum placere cupit hominibus, servus Dei esse desinit. 2. In mundo totum aut est superbia, aut concupiscentia sive avaritia, aut concupiscentia oculorum. Illis implentur cœlibes, his coniugati, his qui aulas, qui sequuntur castra. Talibus vitijs mensæ, colloquia sunt plena. Ex his iræ, detracti-

ones, rapinæ, oppressiones, iniustitiæ, continuò pullulant, 3. Nullus status in mundo, dat quietem cordi, quò quis primo aspectu delectabilior, eò miserior, & periculis magis obnoxius. 4. In divitijs magna invenitur egestas: in amicitia infidelitas, in gaudio metus: in honore sollicitudo, divitiæ si illis fruaris consumuntur, si serves quid prosunt? post mortem, nec ad quos velles, nec quomodo velles perveniunt, 5. Oeconomia, cura familiæ, quid ex homine relinquunt homini? tot animarum curam habes, quot numeras tuæ domi. Et qui suorũ maximè domesticorum non habet curam, deterior est infideli, & fidem negavit, & complex efficitur peccatorum. 6. Victus quotidianus, vestitus? negotia publica, & lites iuridicæ quantorum occasio peccatorum! 7. Maximus defectus rerum spiritualium, etsi benè egeris, vexatio,

PUNCTUM II.

Nihil stabile in mundo. Pereunt homines, familiæ, regna, doctorum scripta, opes, domus. 2. Boni deprimuntur, benè malis succedit, virtus persecutionem patitur. Nemo illo contentus, quod habet. Oblectationes aut fœdæ, aut cum suo, aut cum aliorum damno. Nemo cui aliquid non desit, qui omnibus placeat. 3. Totus mundus in maligno est positus. 4. Spiritum S. mūdus accipere non potest. 5. 1. Ioan. 6. *Qui diligit mundum non est Charitas Patris in eo.* 6. Omnes qui Dei voluerunt esse amici, mundū spreverunt, oderunt, abjecerunt iure, aut voto.

PUNCTUM III.

Vide ergò an non sit meliùs fieri amicum Deo? 1. Quia facilliùs eius amicitia cōparatur. 2. Quia illam non amittes nisi ipse volueris. 3. Si amiseris, statim ac volueris re-

parabis. 4. In nullo casu amicum deserit Deus, Eliæ misit corvum, Ægidio cervum, &c. 5. Nulla suspicio, nulla sinistra traductio illum à te divellet. 6. Præmia huius amicitiæ & veriora & certiora. 7. Nihil Deus nisi tuum bonum quærit. 8. Quocunq; ieris, te sequitur. 9. Pro te mortuus & mori paratus. 10. Ab illo, in æternũ, te nemo separabit. 11. Plus tibi gratificari potest, quàm ullus alius.

PUNCTUM IV.

1. COr. 6. *Qui adhæret Deo unus efficitur spiritus cum eo.* Itaq; curam illius habet (ut sic loquar) Deus quodammodo ut sui, illum fovet, tuetur, beatificat. *Spiritus*, nostra anima, ita amat corpus, ut non videat nisi per illius oculos, nõ se moveat nisi per illius pedes, non loquatur nisi per illius lingvam; deforme corpus non abjiciat, à langvido non abhorreat imò tãtò magis illi cõpatiatur. Hæc omnia servatâ proportione facit Deus.

SOLILOQVIUM SEXAGESIMUM OCTAVUM.

Exempla punitorum, spernentium vel impedientium vocationes seu instinctus Divinos.

PUNCTUM I.

1. VIt. Patr. c. 5. Repetebat à Monasterio Pontianus, ut rem suam, servum factum Monachum, excæcatus, & nonnisi impositione manuum eiusdem servi sanatus. 2. Ambr. l. 1. de Virg. Confugit Virgo ad altare retrahebat illam quidam, mortuus paulò post. 3. Hier. epist. 7. ad Lætam. Prætextata iussu mariti filiam tentavit, mutando ei in splēdidius omnia: Angelus ei apparuit in somno. *Tu, caput Virginis ausa es sacrilegis manibus attrectare, iam nunc arescent &c. Si perseverâris in scelere, & marito & filiis orbaberis.* Et expleta omnia. 4. S. Antonin. 3. petit. 24.

c. 9. §. 9. Quidam ingressum vovit ad ordinem Franciscanorum. Canonicus factus, intra dies paucos dum moritur, ait, se audisse. *Vocavi & renuisti, ideo vade ad pœnas inferni.* 5. Ibidem de altero qui differebat ingressum ad Cistercienses, Christus dixit S. Petro, ut eum deleret de libro. interventione S. Iacobi servatus, bis eandem visionem vidit. 6. Platus lib. 3. cap. 38. Volebat Parisijs ingredi quidam ad Franc. differebat, statutus ante Deum Iudicem, petebat *Miserere Domine*, audivit *Miserebor si cogitata perfeceris*. Nihilominus in pœnam dilationis á dæmone intinctus in ollam ardentis olei. 7. 1581. Romæ, (Ex annuis Soc. Iesu.) Vovit quidam ingredi ad Societatem, cessit amicis, intra paucos dies perijt. 8. Eodem anno Cataci, ad Capucinos ire volens, Matrimonium accepit, septimo die mortuus. 9. Romæ, Mater extraxit filium ex Novitiatu Societa-

ris, morbo statim percussa, remisit, & sanata est. 10. Ulissipone volens ingredi & prius confiteri: quia ultra statutam diem distulit, intra triduum inexpiatus perijt. 11. Quendam retrahebant Frater & Pater, statim miserè perierunt hoc anno 'accidit 158. 12. Eodem, Herbipoli differens ingressum, in morbum incidit, resipuit, & sanatus. 13. Tolosæ ibat Pater ad avertendum filium à Religione, fregit brachium. 14. 1585. Turnoni bis in morbum incidit inconstans, bis resipuit, & sanatus. 15. 1586. Repetebat parens unum, per Iudicem, amisit & alterum subitò. 16. 1589. Avenione, quidam spectris fatigatus, donec Religionem esset ingressus. 17. 1591. Taurini quidam resilijt à proposito, factus latro, & punitus. 18. Ibat quidam ad Novitiatum, mutavit mentem, subitò à quopiam gladio traiectus. Ibidem 18. Dolæ abibat iam in Italiam, ibi

ingressurus, dum experitur equum, de sæculum cogitans, mortuus exclamavit: *Iustus es Domine*, *& rectum iudicium tuum*. 1591. Neapoli, egressus è Novitiatu, ante Novitiatum occisus inexpiatus. 20. M 594. Votum ingrediendi spernebat, lapsus è tecto, reponitur votum, sanatus; obliviscitur votorum, iterum delabitur, & serio resipiscit, & sanatus.

PUNCTUM II.

21. REgum 1. Filij Heli, quia retrahebant homines à sacrificio, dicuntur fecisse malum. *Grande nimis coram Domino*, & tamen maius est sacrificium se ipsum Deo offerre, quàm bovem, itaq; retrahens graviùs peccat. 1, Regum 3. *Iudicabo domum Heli in æternum &c. Iuravi domui Heli, quòd non expiabitur iniquitas domûs eius victimis & muneribus, usq; in æternum.* 22.
Legem tulit Mauritius Imperator, ut non ingrederentur milites religionē, & revelatum S. Theodoro Sicceotæ, & factum.

factum, occisi filij Mauritij ante oculos eius, & ipse & multi proceres, & capita publicè exposita. Idem de filiabus factum, & totâ domo, idq; per manus militum, quos prohibebat ab ingressu religionis. Surius 5. Mart. S. Winwaloeum Parens à proposito avocabat, terribili tempestate vexatus. B. Petrus in Chron. Francisc. tom. 3. l. 7. c. 18. De quodam, qui domum à Patre ex Monasterio abductus, statim cæcus factus, reductus, convaluit. Sed supra omnia, imprecatio Ps. 34. contra eos qui *absconderunt ei interitum laquei sui*, volendo eum avocare à bono per fraudes. *Effunde frameam*, DEUS, non tantummodò extrahe, *confundantur & revereantur: Avertantur retrorsum, fiant tanquam pulvis ante faciem venti, fiat via illorum, tenebræ* ut nesciant quò eant, *& lubricum*, ut cadant, ubi se moverint, *& Angelus Domini*, in his miserijs, *persequens eos*.

SOLILOQVIUM SEXAGESIMVM NONVM.

Unio justi hominis cum Deo.

PUNCTUM I.

I Ustus est, qui gratiam habet sanctificantem, hæc unit, seu participare facit hominem naturam divinam. 2. Altus est gradus Seraphinorum, & his altiores, gradatim, infiniti in ordine naturæ creari possunt, at his omnibus altiùs gratia effert, quia supra naturam, idque Deum participare facit, ut tum nobilior sit homo Seraphino, quàm hic paleâ. 3. Si unica esset anima taliter per gratiam sublimis, quomodo Deum amare deberet? Quantùm illam colerent omnes Angeli? At tot sunt, tam leviter perdunt! 4. S. Th. 1.2. q. 110. a. 2. ad 2. *Quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima, participante divinam bonitatem.* 5. S. Hier.

Vt

Vt quomodo primus homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei, sic in secunda regeneratione quicunq; Spiritum S. consecutus fuerit, obsignatur eo, veluti sigillo, se ei imprimente & *figurã conditoris accipiat idque,* idem ait: *Ego æstimo, sicut Spiritus S. Sanctum facit eum, cui fuerit infusus, & Spiritus Sapientiæ Sapientem, &c. ita & Spiritus repromissionis, vel Spiritus Dei Sponsorem, & Deum faciat eum, in quo habitat.* 6. Hinc ait Iustus, *Christi bonus odor sumus.* 7. Induit sicut ferrum ignitũ ignem. Quocirca tam altè evecti, ut Deus vivere debemus. 8. Dei natura est, Exod. 3. *Ego sum, qui sum,* Iusti 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum, id quod sum.* Nam homo ex se dicit Ps. 38. *Substantia mea, tanquam nihilum ante te, verùm tamen universa vanitas, omnis homo vivens* Isai. 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum reputatæ sunt ei.* S. Th. 1. 2. p. 110. a. 2. ad 3. *homines per gra-*

tiam

riam in novo esse constituuntur ex nihilo.
9. Dat gratia tale esse quod vocatur gloria, sicut Filius est splendor gloriæ, id est, paterni esse. Eph. 1. In laude gloriæ gratiæ suæ, quod vocatur Coloss. 1. Regnum Filii dilectionis suæ, ut sit esse tam eminens, ut Regis in suo regno, sicut Dei esse eminet, & omnia continet; ita gratia totam naturam, ut respectu ejus, omnia nihil sint Eccl. 25. Timor Dei super omnia se superposuit, at gratia continet timorem, & alia plurima. 10. Semen Dei in anima ponit, quia ut semen continet omnia, quæ in Deo sunt.

PUNCTUM II.

Sicut Dei essentia exigit gloriam, ita gratia est pondus gloriæ, juxta quam nobis tribuitur gloria. 1. Joan. 2. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Deus est beatus Ps. 1. Beatus vir, qui non abiit in cõsilio impiorum, eadem beatitudine, quia

iisdem Dei bonis fruetur. 4. Nec magis cera ceræ, aut æs auro liquato, insolum, aut aqua vino, cibus manducanti, membrum capiti, surculus insitus arbori, spiritus corpori, ferro ignis unitur, quàm anima Deo in Eucharistia per gratiam. 5. *Vt sint unum*: ait Ioan. de justis, non quasi plura unita, sed unum è pluribus. Et ita, sicut Pater in Filio, & Filius in Patre est. Sic autem in se mutuò sunt sacrosanctæ personæ, ut altera alteram ornet, ejusq; perfectionem compleat. Atque hoc non solùm ratione naturæ, voluntatis, & operationis communis, sed etiam personalis proprietatis sine confusione, & distinctione servatâ. Iam verò si homo justus ita est, unà in Deo Patre & Filio, sicut alter eorum est in altero, sequitur ut existiment suæ dignitati, aliquid ab eo splendoris externi accedere, neque sine eo completam undique suam certo modo

perfe-

perfectionem. Ita certe Pater æternus ad suam Paternitatem etiã hunc sibi filium assumere dignatur, etiam hunc suæ fœcunditatis fructum proferre, hunc etiam suæ bonitatis sigillum proponere, hunc etiã suæ gloriæ radium & splendorem ostendere, & isto quoque nomine agnosci vult. Unigenitus autem hũc sibi Parentem nuncupat in Evangelio, & ut perfectus sit, liber vitæ hujus nomen continet, nec ex ore Dei procedit, nisi cum amabili cognitione illius. Ipse Spiritus S. sic amor vult esse Patris ac Filii, ut etiam sit hominis Iusti; sic ambos coniungere, ut etiam istum jungat amplexu: sic apparere vult digitus Dei, ut non sit etiam absque hoc annulo. Ier. 23. sic esse donum Dei, ut non careat hac ubertate. Vide Solilogu. *Quid est esse in gratia Dei.*

SOLILOQVIUM SEPTUAGE-SIMVM.

Seculi contemptus.

PVNCTVM. I.

1. IN lege veteri, per opes salvabantur, & bona terræ benedictio erant: aliam Christus viam invenit. *Beati pauperes, vade, vende omnia, quæ habes &c.* Vnde qui temporalia appetit, legem veterem appetit. Bern. *Si aurum placet, placeant & Iudæi.* 2. Luc. 14. *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* 3. Tam difficilè salvari retinentem sua, sicut camelum per foramen acûs transire, imò, Tim. 6 *Solum velle fieri divitem, est incidere in laqueum diaboli.* 4. Luc. 6 Si divites salventur, pauperum id habent dono. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* 5. Nemo ad statum

tum Ecclesiasticum admittitur, nisi renuntiaverit divitiis, dicunt enim Clerici cùm ordinantur. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Bern. *Itaque Clericus qui habuerit quidpiam præter Dominum, pars eius non erit Dominus.* 5. *Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem; cum istis pars eius fieri Dominus non dignatur.* 6. *Qui voluerit esse amicus huius mundi, inimicus constituitur Dei, & si quis diligit mundum charitas Patris non est in eo.* Hæc Dei ipsius verba. 7. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui,* id est Deus eos salvat, & illi sunt prædestinati, qui similes Christo. Ille *non habuit ubi caput reclinaret.* 8. Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto descendunt in inferos.* Ratio non additur, nisi quia *ducunt in bonis dies suos,* sicut Epulonis damnationis ratio tota est. *Epulabatur splendide.* 9. Iuvenis qui volebat Christo aggregari, etiamsi omnia servavit præcepta, quia

quia tamen nolebat sua deserere, a Christo rejectus. 10. Qui in mundo bona habent, vix in alia vita inveniunt dictum diviti. *Recepisti bona in vita tua.* Bern. *Heccine cruciatuum causa tota quod in hoc saculo receperit bona? Ipsa plane.*

PUNCTUM II.

SAncti Patres Clericos ajunt navi ire ad cœlum: sæculares natando: religiosos ponte. Hinc qui aiunt majorem esse artem in sæculo salvari: fateor, & ajo: maiorem esse fluvios rapidos natatu superare, deserans naves & pontem, maiorem esse sine lorica præliari, & sine gladio hoste armatum aggredi, sine cibo vivere &c. fecerint illi. 2. Sancto Anselmo ostensus totus mundus per modum fluvii fœtidi volventis sordes, quibus se homines ingurgitabant, volutabant, &c. 3. *Angusta porta cœli*; Ergo sarcinæ sumendæ. 4. *Nemo militans*

quia

manum mittens ad aratrum, & retro respiciens est aptus regno Dei 5. Quid-quid est in mundo, *aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Totus mundus *in maligno positus.* Ecce sæcularium laus, ecce tot boni. 6. Bernardo sic ostensus mundus, ait ille. *Vidi ego aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer. Primus, siquidem buccis tumentibus, marinam masticabat arenam. Secundus sulfureo adstans lacui, teterrimum fœdissimumque gestiebat haurire vaporem. Tertius fornaci incubans, vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipe e faucibus gestiebat. Quartus supra pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto trahebat ore, & si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ciebat, acsi totum speraret aerem deglutire. Quintus seorsim positus ridebat cæteros, & ipse proprias carnes sugere laborabat, nunc manus &c. causam quæsitus, quia ubique fames.*

PUNCTUM III.

Miseriæ sæcularium. 1. Perpetua sollicitudo de fortunæ conservanda. 2. Tot furtis famulorum impetitur, tot aliorum insidiis in vita & honore. 3. Non est ad manum, cui credat sicut sibi, quem consulat, a quo dirigatur, qui illi veritatem aperiat. 4. Venit punctum mortis, ad terrena tota cogitatio abducitur, & dolor *quæ collegisti cuius erunt hæc?* 5. Omnes spem vitæ longioris faciunt, & cogitationes æternitatis differunt, donec auferant. 6. Vix ad manum erit sacerdos. 7. Vxor fletu suo cor lancinat, & proles lamentis: Ecce talis commoditas de peccatis cogitandi, & dolorem serium excitandi. 8. Quisq; suum bonum considerat, quomodo se in testamentum imponat eoq; magis adulatur, & vel voluptates memorat præteritas &c. 9. Post mortem nullus est qui orat

ip-

ipsi testamentarij, in sæcula planè executiones differunt, Filij alias necessitates inveniunt, in quas magis se utiliter expendere pecunias, quàm pro anima tua fingant. 10 Planè videtur casu & fortunâ salvari sæcularem, non ex arte & proposito. 11 Examen Iudicis rigidum, ratio danda de se, uxore, filijs, familia, subditis, de minimo nummo acquisito & expenso, de consilijs, consessibus, colloquijs, de propria voluntate. De qua Bern. *Cesset propria voluntas, & infernus non erit*; an hoc benè factum, an potuerit melius, an aliquid aliud erat faciendum, an omittendum, an poterat sequi Christum, maluit mundum. 12. Hæc omnia cessant in Religioso, à quo non aliud, non melius Deus vult nisi quod iubetur. S. Greg. hom. 20. in Evang. *Iudicat eum, qui peccavit contra Christum, debere ingredi religionem.*

PUNCTUM IV.

SAcerdotum etiam sæcularium est status altior, habet tamen sua pericula. 1. Quia sæpe ex avaritia aut otii amore, eum statum arripiunt. Oseæ 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me Principes extiterunt, & non vocavi eos.* 2. Curatorum onus Bernard. explicat ad Oseæ 4. *Populi peccata comedes, sollicitus esto tanquam rationem redditurus pro eis, id est populo, gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus, alioquin tibi noveris ea imputanda, quæ male inter delicias comedis, & parvipendis, & dissimulas tanquam nihil attingentia tibi, audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixêre stipendiis, non diluêre peccata, quibus facti sunt duces cœci, fraudulenti mediatores.* 3. Affines & cognati veluti sangvisugæ se applicant, ut animam ejus exsugant & occidant. *Inimici hominis domestici ejus.* 4. Mirum est Iudæ oc-

cassio & causa sceleris ponitur. *Fur erat loculos habens*, etsi erat Sacerdos. Cypr. de Orat. Domin. *Non potest esse cum Christo, qui imitator esse maluit Iudæ, quàm Christi.* 5. Multis revelationibus, & sensu Patrum constat Religioso per ingressum dimitti omnia peccata prioris vitæ, veluti per Baptismum: quod non habet Clericatus. 6. Religiosus status æquiparatur martyrio, & gloriam eius obtinet. Ipse Christus ait, in die iudicij Religiosos non velut reos, sed veluti iudices alijs trementibus sessuros. 7. Terribile illud Bern. *Defuisti partibus tuis* (synodum alloquitur Sacerdotum) *pars tibi erit cum hæreticis, pars cum Ecclesiæ Tyrannis.* Gravius puniuntur ob sua peccata. Hieronymus. *Grandis est dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant.* Chrysost. hom. 15. in Matth. in medio. *Non de vestra tantummodo vita, sed de universo mundo ratio vobis reddenda est.* &c. ibid. Ne sus-

cur puteris ad levia vos esse ducendos cer-
tamina, neq; exiguarum rerum ineunda
vobis rationem, vos estis sal terræ. Cyp.
serm. de lapsis. *Sequi Christum non pos-
sunt qui Matrimonii vinculo detinentur.*
Quocirca idem de habit. Virgin.
*Quæcunq; terrena sunt in sæculo accepta,
& hic cum sæculo remansura, tam conte-
mni debent, quàm mundus ipse contem-
nitur, cuius pompis & deliciis iam tunc
renunciavimus cum meliore transgressu*
(per Baptismum) *ad Dominum veni-
mus.* Et serm. de Bapt. Christi. *Non
militant tibi* (Domine) *sæculi huius
negotiorum tractatores.* Et ibid. de lau.
de Martyr. *Nemini amabilis fuit mun-
dus, quem non ante damnaverit Dominus,
nec salute potuit frui æterna, qui mundi
gloriatur vita.* Chrysost. *Peccanti po-
pulo unusquisq; quidem pro suo malo pu-
nitur sacerdotes autem pro peccatis o-
mnium.* Quia ut Gregor. hom. 17. in
Evang. *Quanto immanius gladio feriatur
afficitis, quibus quotidie percussionis*

popu-

populus intereat, videris, cuius hoc nisi nostro Sacerdotum peccato agitur? Idem lib. 4. Ep. 3. 2. apud Baron. *Dum nos competentia nobis relinquimus, & nobis incompetentia cogitamus, peccata nostra barbaris viribus sociamus, & culpa nostra* (ô Sacerdote) *gladios hostium exacuit, qui vires Reip. gravat.* Id. hom. 11. in Ezech. *Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.* Ambr. *Qui debuerant esse Vicarii Apostolorum, & filii Petri, facti sunt socii Iudæ, & præambuli Antichristi.* 9. Iisdem ferè incommodis subiacent quibus homines alij sæculares.
10. Hic vices quid faciendum, unde cum adhuc Hieron. in Isai. 32. expende. *Vulgus indoctum in die iudicii tanquam Gith, & ciminum corripietur virgâ & baculo: Sacerdotes autem magnis suppliciis torquebuntur.* Chrys. hom. 3. in Act. Apost. *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed plures multo qui pereant,* hom

in Epist. Hebr. *Miror si potest aliquis salvari Ecclesiæ Rectorum.* 11. Sacerdos non excusatur à peccato per ignorantiam. Orig. hom. 2. in Levit. docet, & addit. *Neq; enim ignorantia cadere poterat in eum, qui ut cæteros doceret, constitutus est.* 12. Ratione scandali uno quovis peccato plures peccant. Greg. in Pastor. *Scire debent Prælati quod si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sint, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt.* Et Chrysost. l. 6. de Sacerd. *Accepto Sacerdotio, non solùm duplicatam aut triplicatam, sed toties auctam ultionem, quot fuerint illi, quos scandalizare possum,* (non solùm quos scandalizo) Id. ibid. *Offerre etiam Deus iubet sacrificium pro Sacerdotis errore tantum quantum pro totius populi delicto: quo nihil aliud indicatur, quàm quod maiore indigeant adiumento vulnera Sacerdotis, quantò simul universi populi multitudo: maiore autem non egerent, nisi graviora indicarē-*

tur. Graviora autem efficiuntur non conditione corporis, sed dignitate facientis. 1. 3. *Bonus Pastor ponit animam pro ovibus suis.* Itaq; laborandum circa peste infectos, corrigendos alios etiam cum vitæ tuæ periculo, &c. Et hoc ex iustitia, Si es curatus.

SOLILOQVIUM SEPTUAGESIMUM PRIMUM

Contemptus Divitiarum.

PUNCTUM I.

1. A Deo necessarius est ad salutem, ut solùm opes habere, & iis uti propter se, sit causa damnationis, ut patet in Epulone. Isai. 3. Severarum pœnarum non aliam causam statuit, quam opum usum. Et Cypr. Serm. de hab. Virg. *Serico & purpurâ induti, Christum induere non possunt.* 2. Ut Dives, si salvetur, maius fiat miraculum, quàm si camelus per foramen acus

transierit. 3. In scriptura passim pro eodem habetur, dives & damnatus. Sap. *Potentes potenter tormenta patientur. Væ vobis divitibus.* Chrysost. de Virgin. c. 21. *Væ, haud quaquam simplex verbum est, sed eo maximæ ruinæ continentur, nam eum nobis pœnam portendit, quæ neq; verbis explicari possit, neq; unquam remittenda sit, etenim hæc ipsa vox in divinis scripturis posita est contra eos, qui futuram pœnam iam evitare non poterunt.* 4. Christiana Sanctitas in abnegatione opum consistat, & ideo olim, quando quis baptisabatur, debuit prius omnibus renũciare: adeo, ut tempore Apostolorum, sicuti nunc Religiosi, *omnia habentes & nihil possidentes* de communi vixerint: & quia hoc non observavit Ananias, & Saphira, morte corporeâ imò fortè æterna à S. Petro puniti. 5. Christus amore paupertatis ex mente S. Bern. Ser. in vig. Nativit. venit. *Deerat hæc*, ait, *species in cœlo, Filius Dei de-*

Nn 2 *scendit*

scendit ad eum in terras, ideoq; & Matrem pauperrimam, & Nutricium, & discipulos elegit, & hanc conditionem posuit, si quis eum sequi vellet, omnia relinqueret, quæ habet. 6. Nullus evasit in magnũ Sanctum, nisi qui re, aut voto, omnia reliquit. 7. Ab omnibus Fundatoribus religionum, veluti lapis fundamentalis, votum paupertatis positum. 8. *Qui volunt fieri divites, incidunt in laqueos diaboli*, unde qui sunt divites, sunt in laqueis.

PUNCTUM II.

SI Christus est via cœli uti est, vultne, ut tu auro & rebus onustus per eum incedas: cum ille *provocans ad volandum pullos suos*, nudus è cruce ad Deum volavit: hæc est via non in terra jacens, sed ad Cœlum erecta, cuius verticem DEUS Pater tenet: basis eius ad lapidem durum consistit, & luctator Iacob eam spectat, quia soli qui certant per eam gradiuntur.

2. Aliud exemplar non possumus habere salutis, qui vult salvari, similis debet esse illi: Non est alius Magister, nisi hic, de quo DEUS Pater, *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* 3. Nulla scriptura vel uno verbo, nullus SS. Patrum dicit nobis quod salvabimur cum divitijs, etsi, ne desperationem injiciant, non dicant divites omnes damnari. Cypr. Serm. de habit. Virg. *Quanta animi dementia, id velle quod & nocuerit semper & noceat? vel putare, quod ipse inde non pereas, unde alios perisse cognoscas?* 4. Angusta cœli porta, ipsum corpus macerandum, ut illam intres: quid ergo vis saccis, & cistis, te cumulare? 5. Non agnoscet DEUS servos, si aliter induti fuerint quam ille, non agnoscet vestes, quas non dedit: dicet *nescio vos.* Diaboli hæc sunt inventa. 6. Amamus itaq; Deum, salutem curamus. Ille dixit. *Qui plus amat Patrem & Matrem, plus quam me, non est me*
 dignus,

dignus. Tu lutum, aurum enim est dic Betru. Fulvum lutum, metallum frustum terræ, plus amas. Ait ille *qui mittit manum ad aratrum & retrò respicit, non est aptus regno Dei*; tu verò non solùm respicis, sed & manus porrigis, & totus retrocedis. Si membra nos nostra iuberet amputare, oculos eruere &c. profectò deberemus, quia est dominus illorum: & fecerunt hæc Ethnici pro Dijs, & nos nec res parvas possumus propter illum contemnere? 7. Pauperum se & inopum curam habere in scriptura testatur, nullibi invenies quod divitú. Quia horum nec apud Deum cor, sed in thesauro eorum. Uti S. Antonius de Padua, cùm dives sepeliretur quidam, in eius concione funebri dixit: eius cor non esse in seius cadavere, sed in cista, domi, & ita repertum, nec anima etiam eorum erit in manibus Dei. 8. Ideoq; Sancti etiam Reges nati, cùm se abdicare divitias

as non potuerint, semper acres vis fi-
nimas habuerunt; ut de illis dicitur,
Post aurum non abiit.

PUNCTUM III.

Iam regredere anima ad te ipsam,
quomodo concernas? Parum re-
fert magnæ an parvæ rei adhæreas:
nisi eò stultior & damnabilior, quòd
parvam ob Deum deserere non pos-
sis. & satis aucupi dum per pedem,
etsi non toto corpore, hæserit in la-
queo avis, perinde erit præda, sed
ne & tu Dæmonis. 1. O miserum a-
morem tui erga Deum, acicula tua
movetur, cultellus, imaguncula ac-
cipitur, perit, & en ut irâ æstuas &
ferè Acheronta moves, & furias in-
ferni: Tam parvam in rem pro Deo
despicere non potes, tanti Deum,
tanti Cœlum facis? 2. Dices, hæc
sunt minima, maiora te pro Deo fa-
cturum. Vereor ne sit quod Ps. 77.
Et dixerunt in corde suo, & lingvâ suâ

mentiti sunt, cor autem eorum non erat rectum cum eo. Quis credat posse te mille librarum pondus ferre, si unius libræ non potes. 3. Si contemnis res, quid ita cùm aliquid perit solicitaris? utiq; cùm alteri perit, quia aliena non curas (quod minus est quàm contemnere) non angeris. 4. An in Deo, an in pecunia, an in reculis speras? Signum est, si accidat morbus, priusne de Deo an de medico, id est pecunia, quâ ipsi solvendum, & plus cogitas. In hoc magis speras. 5. Si ad te venirem quamcunq; rem tuam, si in ignem injicerem, turbarerisne? At contemnis omnia! damnum quidem requirere, sed sine solicitudine. 6. Esne paratus omnibus spoliari, & ad mendicandum redigi ne pecces; tamen taliter resolutus esse debes, alioqui non salvaberis, nam ubi occasio talis contigerit, potiùs peccabis. 7. Si lutum omnia res putas, in omnibus, sicut in luto ne

[illegible] cum solicitudine accedere
debes [illegible] cum honore ac
[illegible] tractare [illegible] magis [illegible]
[illegible] timare, quod [illegible]
[illegible] habere [illegible]
[illegible] In iudicio [illegible] comparebis.
Iudex [illegible] Apostoli
[illegible] hoc nos pactum cum
Christo in Baptismo initium violas-
ti. S. Cypr. Serm. de habitu Virg.
Quæcunq; terrena sunt in sæculo accepta, & hîc cum sæculo remansura tam contemni debent, quam Mundus ipse contemnitur: cuius pompis & deliciis iam tunc renunciavimus, cum meliore transgressu, (per Baptismum) ad Dominum venimus. Aspicies itaq; Christum sicut adultera maritum, cuius fidem violavit, sicut profugus Miles, ducem; qui ad hostem transfugit, è fuga retractus & coram eo ut Iudice constitutus. 1. Ioan. 2. *Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo.* Ibid. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambu-*

bulavit ambulare. Cypr. l. 2 c. 1 *Tunc re-spondet ad fidem nominis factator veritatis, & credenti præmium datur, si quod cre-ditur & geratur.* Idem Serm. de lapsis: *Pro hoste* (id est sicut hostis) *vitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio me-tuenda possidentibus & reddenda non.* Pſ. 49. *Ne timueris cùm dives factus fu-erit homo* (id non magnifac.) *& cùm magnificata fuerit gloria domûs eius. Quo-niam cum interierit, non sumet omnia, ne-que descendet cum eo gloria eius &c. In-troibit usq; in progenies Patrum suorum,* (profundè, ad Iudæos damnatos qui sunt progenies Patrum nostrorum Abraham Isaac &c.) *& usq; in ætẽr-num non videbit lumen* (in æternum in inferno manebit) 12. Sine pauper-tate hac, nec pacem internam ha-bere poteris, quia curis distraheris, nec consolationes cœlestes, nec re-solutam voluntatem omnia pro Deo patiendi, sic his rebus mundi ut me-dicinâ utaris, id est, necessitate coa-ctus.

ctura 13. S. Greg. 2. Epist. 6. *Plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt.* Cypr. de habitu Virg. *Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvare se posse sperat.* 14. Ais te retinere quidem divitias, non eis adhærere. At Cypr. de Sing. Cleric. *Habent multi divitias, quibus si nulla cupiditas inhæsisset, nec cupiditatis insignia possiderent: at verò quia cupiditate possessi perfruuntur animo, quod usu non tangunt.* Idem de Nativ. Christi. *Christus pauper, discipulos divites aspernatur.* 15. Si in nobis amor Dei non est, actum est de nobis. Sed Cyp. de Bapt. Christi. *Non amat te* (ait Domine) *qui pecuniam diligit, tibi & mammonæ nemo simul deservit.* 16. Idem de Cœna Domini. *Possidentes Christum, aliquam huius mundi possidere supellectilem dedignantur.* Quocirca ut Idẽ ser. de Resurrect. Christi. *Si sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.* At tu nihil, Deus omnia.

omnia. 65. Et si olim divites salvari facilius poterant, in novo testamento aliter agemus. Chrysost. de Virgin. c. 82. *Non eandem à nobis ac illis virtutis modum requiri; & Quæ fuerant tunc absoluta, Christus adventu suo imperfecta esse voluit.*

SOLILOQVIUM SEPTUAGESIMUM SECUNDUM.

Vita Christiana.

PUNCTUM I.

1. TOtum ferè Evangelium potest ad tria verba reduci, quæ etiam sæpius cæteris repetuntur, saltem sub æquivalentibus terminis, *Abnega teipsum. Odi animam tuam. Dilige Dominum Deum tuum*, quæ sunt summa perfectionis. Qui abnegat seipsum, ita se gerit secum, sicut Dominus si abneget famulum, vel Pater Filium.

2. Quidquid sibi accidat, nil sollici-

rnatur, quia non pertinet ad illum. 2. Gravè est illi etiam seipsum habere secum Ps. *Factus sum mihimetipsi gravis.* 3. Si malè comedat, vestiatur, dormiat, nil curat. 4. Qui abnegat seipsum, nec se vivere reputat: unde est coram se veluti cadaver, pones illum in terra, contentus: in fimo non recusat, pones in throno non superbit, laudabit aliquis, nil audit; vituperabit, non advertit. Talis etiam est in manibus eorum, quos loco Dei habet. 5. Abnegat divitias, ceu rem sibi non convenientem, & paupertatem amat. Quibus tegatur, non ornetur contentus. 6. Curam sui nullam habet nisi coactus, & jussu Dei: quia se abnegavit. 7. Nil sibi arrogat, quidquid boni fecerit; nil sibi fidit, quia nec se scientiam habere, nec virtutem, nec quidquam boni putat. Unde si boni quid agat, se ut purum instrumentum reputat, per quod Deus agit; sicut se-

curis sabri: & ideo totam fiduciam in Deo ponit. Alios libentiùs audit, eorum dictis obedit. Consulit, & prudentius locutos censet; gaudet si ab alijs regatur, tanquam nihil habens prudentiæ. 8. Nec rebus vult uti, nisi sicut alienis: quos integros Domino, veluti res pretiosas & fragiles reddere debet: unde nec aspicit nisi coactus necessitate, nec loquitur, nec olfacit, nec gustat. 9. Patrem, Matrem, Affines, &c. abnegat, ac solùm spiritualiter amat; quod plus illis ad serviendum obligatur, & exuit omnem affectum carnalem: quasi non esset filius eorum, sed datus specialiter à Deo illis ad serviendum, & orandum pro illis: unde illos, nihil sibi debere reputat, sed se solum illis. 10. Nil ad se bona spectare, & veluti aliena reputat, unde sicut de alienis sollicitus, & adhibita cura prudenti, etsi non succedat, contentus est, nec turbatur, quia fecit

quod facere potuit, idem de honore, famâ;

PUNCTUM II.

Oportet insuper odisse animam suam. 1. Nullum diem sinere, in quo excellenter, se non mortificaverit. 2. Nullum sensum, cui totum concedat, non oculus habeat oblectatia, ut flores æstate, campos, prata; non auditus, musicam, & raritates, & nova: non corpus, lectum molle, non somnum ultra necesse, non cibum, qui maximè sapit, non in sedendo, stando, quod maximè commodum. 3. Sicut in natura corrupta gaudemus, si hosti aliquid accidat, ita ille si sibi. Sic Apostoli *ibant gaudentes*, quia reputat se pro condigno tractari, unde summè delectatur, ac eo pascitur si illi detrahatur; si eo prætermisso, illis locus altior, officiũ, honor, inter homines mentio melior accidat; & si ipse laudetur, tristatur, fugit, indignè fert. 4. Imitatur

Christum, quomodo ille suam animā oderat. De decem Samaritanis, quos sanavit vix unus gratias egit, alii beneficia ejus carpserunt, dæmoniaca vi facta dixerunt; nullus ex omnibus quos vel ad vitam reduxit, vel docuit, vel visum dedit, pro illo verbum scribitur, unum locutus eum crucifigeretur: discipulus cui lavit pedes, fugit; alter vendidit. Sic ab se pro beneficiis suis, nil expectat, nisi convitia, detractiones? & sic beatitudines implet, ac omnia scelera hominum in se converti vellet. Solum unum illum affligit, ne se persequendo homines peccent, quod si sine peccato facerent, optat, unde eorum facta excusat à peccato, vel per ignorantiam. *Nesciunt quid faciunt*, vel per Dei permissionem, dispensationem, ut David. *Jussit Dominus maledicere Semei*, vel quod deceptus sit inimicus, sicut Saul persequens. Neminem autem accusat, de nul-

nullo queritur, imò nec causâ solatii ulli dicit, imò ne ipsi Deo in oratione. sicut nos non dicimus, quòd hodie dormiverimus, vel comederimus, quia quod naturæ erat, erat factum. 5. Seipsum contemnit plane ut S. Paulus: *Nos purgamenta mundi, peripsema*: 6. Si quid illi commodum obtingat, vestis, aut habitatio melior, horret, nec pati potest. 7. Inimicos amat, quòd persequantur se, & illis benefacit. 8. Nec solatia spiritualia, aut consolationes in oratione rrquirit. 9. Nec locum se dignū potest invenire, inde B. Borgias ad pedes Luciferi, alter ad Antichristi, &c. 10. Pro minimo beneficio Deo impensissimè gratias agit, quod sibi contulerit. *Vnde hoc mihi! quia respexit canem mortuum.*

PUNCTUM III.

TUm demùm ad maiorem amorem Dei purissimum enititur. 1.

Agit omnia pro Deo, laborat circa animas, etsi non succedat, orat etsi non sapiat, quia non suum, sed dilecti gustum quærit. 2. Nihil ob cœlum facit, aut ut infernum fugiat, nec vellet acceptare præmium, ut S. Franciscus Xaverius *satis est, satis est.* Nec ut malum effugiat orat, sed solùm ut Deus habeat gustum aliquē. 3. Totus sui obliviscitur, quia ex toto corde amat: sola sua commoda reputat, & fortunam, ubi Dei gloria: ubi tam libenter est in morbo, quàm in sanitate, tam, si multi convertantur labore ejus, ac nullus: tam si de illo bona fama quàm pessima: tam si affluant res temporales, atq; extrema inopia: quia solam Dei gloriam quærit, & id solùm illi placet, quodcunque Dei gloria: ut equus, non aurum, non gemmas, etsi apponantur, sed solam avenam petet, ita ille solam Dei gloriam: *meus cibus est facere voluntatem Patris.* 4. De casti no nil

cogitat de se, tantùm solùm, quomodo, quid Deo gratum possit facere. 5. Somnum, cibum, & cæteras commoditates, quia aliquantum illum à Deo distrahunt, horret: & ita Sancti hæc cum fletu sumebant, uti S. Bern. 6. Ex tota mente diligit, nihil potest æstimare aliud quàm quod redolet, sicut aliqui, qui unam rem depereunt, alia omnia vilipendunt. 7. Ex tota anima, ita ut vires omnes amittat ad alia, nil potest amare, nisi ob Deum; & si Deus in illa re reluceat, quæcunque sit, etiamsi hostis illius capitalis, summè amat: non potest aliud cogitare nisi Deum, aut eo solo illectus: sicut infans medicinam non sumeret, nisi saccaro esset condita; ita ille, nisi hoc esset propter Deum: ita Paulus nil scivit, *nisi Christum hunc crucifixum*. 8. Ad alia acsi non haberet cor, sic non potest amare; acsi manus non habeat, sic non potest facere, ideo nec ludos,

nec recreationes, nec jocos patitur, nisi credit Deum id velle; quia ex totis viribus Deum amat, in ejus gloria totas potentias suas exhaurit. 9. Etiam quasi nolens de Deo cogitat, nec ab eo avelli potest, sicut qui aliquem deperit. 10. In summo rerum successu, si alio vocetur & advertat id Deo placiturum, libenter abit. Ita S. Xaverius ex Indiis abiturus. 11. Si pati, si mori contingat, lucrum se accepisse arbitratur: ut S. Paulus. 12. Sicut aliquis furiosus amator, nil audit, si dissvadeas, si vituperes, si retrahas, dum suo fine potiatur. 13. Quasi stultus evadit ob Christum. Sic Paulus, *nos stulti*, impossibilia attentat & obliviscitur suæ conditionis: sic Petrus in aqua ambulat, alii siccas arbores rigant, Apostoli orbem convertunt. 13. Sui obliviscitur, nec cibus, nec potus in mentem venit. 14. Sibi perit, hinc langvet, extra se rapitur in extases, cor mutat cum Chri-

sto ut Catharina. Paulus optat esse anathema. 15. Omnes proximos summè amat, quia in eis Deum videt. 16 Omnia illi vilia videntur, displicent præ Deo, dum non potitur Deo: *omnia arbitratus sum ut stercora. mihi mundus crucifixus, terra sordet cùm cœlum aspicio.* 17. Etsi sit illi grave vivere sine Deo, & velut infernum unum patitur: *cupio dissolvi &c.* tamē vivere non recusat ob Deum. 18 De nulla alia re potest loqui, aut audire, imò nec scit, ut Paulus solum crucifixum: *tantùm in te Deus.* 19. Quod re non potest, affectibus supplet. Aug. *Si possem esse Deus, mallem te esse Deum &c.* alii. 20. Res Dei summè æstimat, ut sacras cæremonias, bona Ecclesiæ, religionis, cum reverentia tractat. Psalm. *Zelus domûs tuæ comedit me.* 21. Mallet esse cœcus, surdus, &c. ut sibi magis periret, nisi hæc juvarent ad Deum amandum &c. 22. In omnibus non

quàm

quàm sint ex se miseri, sed quàm ex
Deo boni, cogitat, & ita in omnibus
rebus. (sic amavit intimè Onesimū
mancipium & furem S. Paulus tota
epistolâ ad Philemonem, sic perdi-
cem S. Joannes, & Agnum S. Fran-
ciscus) nec ex ulla re potest scandali-
sari, temerariè nil judicare. 13. Si
ipsi diceretur, non in mortali, sed e-
tiam veniali peccato, plus terreretur
quàm si diceretur ad patibulum du-
ceris, unde totâ vitâ si semel incide-
rit, satis deplorare non potest, ut Pe-
trus cui canaliculi facti sub oculis
præ fletu, 24. Et quia solum Deum
quærit, æquè gaudet sive per se, sive
per alium honor Dei augeatur, sive
alius convertat sive ipse, sive alius
melius concionetur, sit doctior, me-
lius ingenium, &c. habeat Per-
quemcunque, dum Deo gustus hat.
25. Hæc charitas 1. Cor. 13. *Patiens est,
benigna est. charitas non æmulatur, non*
agit

agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non quæ it malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. 26. Non potest oratione satiari cum dilecto, etiam abscondente faciem, colloquio, licet nulla lumina, nulla solatia: Et ideò eremum, angulos, quærit. 27. Per omnia vult assimilari dilecto, quia videt illum passum, & ille ait: ut Teresia, *aut mori aut pati, nolo esse sine vulnere.* 27. Sine timore nullo. *Quis me separabit à charitate Christi, non gladius, non persecutio, &c, certus sum.* 29. In dilectum commutatur: *vivo ego iam non ego,* Anselm. in 2. ad Galat: *quod ego vivo Christus est, non habeo vitam, nisi Christum, Dilectus meus mihi, & ego illi,* Ecce talis est qui diligit Deum ex toto corde, & tota anima, ex tota mente, viribus, &c. Et hæc est perfectio Christiana, *ista*

perfe-

perfecti: sicut Pater vester, sicut ego & Pater unum sumus, ita unum erunt.

PRAXES.

Electio statûs vitæ.

PRAXIS I.

ELectio debet fieri juxta vocationem. Vocatio in duobus consistit; in intellectu, quòd judicet homo optimè hunc sibi statum convenire, & in eo salvandum; in voluntate, quòd hic status ei maximè placeat. Item est vocatio, dum quis legitimè ad aliquod officium eligitur, vel jure hæreditatis succedat. Diversis temporibus Deus diversos vocat, aliquos statim ab infantia, alios in alia ætate. Aliquæ sunt vocationes quasi permissivæ ut infimum statum v. g. Matrimonii sibi eligat, etsi bono fine. Aliquæ temporariæ, v. g. vocat aliquem ad Matrimonium, ut in eo miserias

expertus, ac pertæsus deinde religionem eligat: Aliquos ad Religionem vocat, ut docet Bernardin. Soc. Iesu Instit. ut in ea cõdiscant virtuosè vivere, & deinde in sæculo utiliùs vivant. Aliquos vocat v. g. ad religionem, non ut eam ingrediantur, quia sunt inepti, sed ut se Deo offerendo, patendo admitti, mereantur.

1. Ab electione statûs vitæ. Tota felicitas in hoc mundo, & in futuro vita æterna dependet, ut sit planè impossibile aliter salvari. Greg. Magnus lib. 2. Ep. 61. *Multi sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere, & plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt.* Greg. Nazian. orat. 23. docet esse rem tanti momẽti, ut totius vitæ vel rectæ vel malæ traducendæ, sit fundamentum. 2. Deus, facienti quod ex se est, non deest. Sed oportet sedulò facere, quod ex se est. 3 Statim à juventute tanquam

quam de re maximi momenti, de hac electione status cogitandum? ut possis ad illam, studia tua & labores ordinare. 4. Aliquos Deus non curantes, imò quasi nolentes in optimo, & illis utilissimo statu ponit, aliis eam gratiam pro majori vel minori labore impertitur. Hæc omnia certissima. Licet quis vocationi in deligendo statu pareat, non ideo certissimò salvabitur: ut Iudas, Saul, Udo: Si tamen non pareat, certissimò damnabitur. 5. Non est vocatio, si solùm apprehendas hunc esse bonum statum: Sed si hunc tibi esse bonum, est vocatio. Non opus est, ut sentias sensibilem affectionem ad illum: sed satis quod voluntatis impulsum. v. g. pro Religioso statu sentire in se amorem Castitatis, Paupertatis, Obedientiæ, & judicare sibi id esse expediens. Non est signum certum, si ex lectione spirituali in te ardores, impetus, sentias, vel si sim-

inductus ab aliquo. Non est à Deo vocatio, si ad statum impellaris, pro quo talenta & vires non habes. Si ex curiositate, amore personarum aliquarum, in eo statu. Si ob finem, qui ab eo statu alienus. Si nolis consultare cum quibus debes, sed solus unicus, impetu quodam ruas, hoc ordine procedit vocatio, seu instinctus, seu ejus potiùs signa. 1. Timor oritur ne à Deo puniaris, nisi id quod suggeritur, feceris. 2. Conscientiæ quidam inquietudo, & reprehensio, quòd id non facias. 3. Tristitia, quòd instinctui resistas, & interea in peccata labaris. 4. Si dum cogitas de iis, qui in eo statu sunt, ad quem vocaris, gaudium quoddam oritur, & complacentia: potissimùm ex eo, quòd in illo statu rarissimè peccent. 5. Displicentia statûs præsentis. 6. Spes & desiderium vitæ melioris. 7. Si his affectibus aliquoties resistas, sentias in te fiduciæ erga Deum, defectum,

amarorem animæ, & turbationem. Si sequaris, omnia contraria.

2. Qui deliberant de statu suo, *aut habent* ad aliquod certum vitæ genus propensionem seu vocationem, *aut non*, vel certè ad plura propendent, *vel ad* unum quidem solùm, sed dubitant, an sit verè vocatio divina; vel denique & unum statum determinatè appetunt, & de vocatione non dubitant, sed solùm de tempore, quo ille status inchoandus. Deliberationi non sunt apti, qui non possunt habere alium statum, ut mancipia, item pueri, stulti, ægri perpetuò, vel qui nimis in unam partem propendent: unde omni modo avelle affectum, & te pone quodammodò in indifferenti ad omnes status, ut deliberare possis.

Qui habent propensionem ad certum statum, & solùm de vocatione, an sit Divina dubitāt.

12.
3. Sic eam cognoscent; si v. g. ad religionem vocantur, seu quod idem est inclinationem habent. 1. Si bono fine & studio salutis tuæ; certus esto à Deo te vocari, dæmon te taliter vocare non potest, nec quidem intendere, te bono quidem nunc fine attrahere, ut tamen te postea extrahat, & in pejora deducat: quia hoc illi incertum est, an te ex religione extrahet: certior est, si in sæculo manseris te in plura peccata lapsurũ: Imò demus, quòd diaboli sit iste instinctus, nihilominus à Deo erit: sicuti si aliquem diabolus veram fidẽ doceret, & ad veram contritionẽ adduceret, etsi ideò ut postea perverteretur, quia id coactus à Deo faceret. Si verò quis vult ingredi ut bene habeat, doctior evadat, aut Prælatus; ut commoditates, honores, & similia obtineat; hæc in nullo statu à Deo est vocatio, sed vel à mundo, vel à carne: Hoc modo discurre de

militia, de matrimonii statu, si non principaliter intendat quis suam salutem.

Quanquam potest hoc fieri, & sæpe fit, ut malo fine ingressi v. g. Religionem, postea intentionem mutent, & tunc primum incipiet esse vocatio; Vel certè bono fine ad aliu statum vocatione sentinet. Egrediatur itaq; v. g. ex militia, ad alium se statum, ad quem vocatur, transferat. Hoc etiam signum Divinæ vocationis. Deus cùm sit perfectus, excellens &c. ad summa vocat: caro, ad mollia, diabolus ad infima vilia.

Qui habet Vocationem ad Religionem, sed non potest dignoscere, ad quamnam.

4. De hac re, cum tribus consultet, secum, cum Deo, cum viro prudente. 1. *Secum.* *Singulas religiones*, ad quas propendet expendendo,

dō scribat per columnas, quoad hæc puncta, subscribat, quæ officia, cantus, habitum, mortificationes internas, & externas, cibos, vigilias, labores, itinera, difficultates habeat: Et videat an ejus corpus, ingenium, memoria, lingva, vires, natura, ad hoc sufficiat; Si non sufficit; certus esto te ad illam non vocari. Vide ubi meliora hæc etiam. Socii, directio, pauciores peccandi occasiones, perturbationes. Scias verò, non omnia quæ perfectissima, ea tibi convenientissima. Videas etiam, an Religio illa sit in flore, & vigore: nam certò non eris melior aliis, si inter discolos veneris, & si pereundum est in religione, non est cur appetatur. Vigor autem religionis, ex his cognoscetur. Si servantur vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; scandala pauciora, regula exactè servatur, si pacem domi, ordinem bonũ, concordiam retineant: si honores

non appetant. Insuper vide, quæ religio magis est similis vitæ Christi.

2. *Cum viro prudente:* sed qui sit eius status peritus (nemo enim Pistorem de architectura consulit) qui tamen nolit te, ad suum vitæ statum pertrahere, qui pius sit, & amans tuæ salutis, quia nec tuæ providebit, qui suam negligit: Qui perspecta tua talenta, & tuum animum habeat: Qui non sit tetricus, qui non voluptatibus carnis, & potûs, deditus: Talem elige, & cum illo tuum negotium confer, ac consiliis acquiesce. 3. *Cum Deo.* Crebrò confitendo, communicando, orando. Fiet enim, ut vel tuum affectum vagum, Deus ad unum certum statum determinet; vel per aliquam occasionem, ita provideat: ut v. g. vel in concione, vel in pio colloquio, vel libro spirituali, vel alio casu determineris.

Religio S. N. hæc requirit, an habeam eas aptitudines? valeo.

Vocē pro cā ut. Pro. ab	valeo	Mortificationes haſce	
ſtinentia à carnibus vi	non valeo	Diſcipli-nas	poſſum.
tes. Pro Cō. cinādo. &c.	valeo	Ieiunia &c.	non poſſum.

Religio S. N.

EOdem modo in columnas diſtribuas, In 1. ponendo onera, quæ habet. In 2. Labores. In 3. Modum vivendi. In 4. pericula, & incommoda, & ad ſingula adſcribe, quæ potes, & quibus es impar. Eodem modo reliquis religionibus. Tū cuique adſcribe, an ſit in flore? & reliqua puncta. In 5. Columna, tua talenta: & quo ex illis uti poteris in ea religione, quo non. Confer deinde, in qua magis talentis tuis uti poteris, pauciora tibi onerosa, plura accommoda, eam elige. Et hunc mo-

dum accommodas, si ad nullum statum
propendeas, scribendo hoc modo:
pro militia, Matrimonio &c. rati-
ones pro & contra.

Qui ad nullum statum propensi-
onem habet.

I. UT divinam in hac re voluntatem
explores, eodem modo cum tri-
bus consilium inibis. *secum, cum Deo,*
cum viro prudenti. I. *secum*, benè il-
lud meditando. *Quid prodest homini si*
universum mundum lucretur, animæ verò
suæ detrimentum patiatur? Si omnes
voluptates, & honores in mundo ha-
beat, & in æternum in inferno arde-
at. Nunquam autem exspectet à Deo
visiones, aut miracula, aut revela-
tiones circa se: quia non est hic mo-
dus agendi Dei nobiscum ordinarius,
sed rarissimè contingit, & deceptio-
ni dæmonis magis obnoxius. Certior
est hic quem tradimus. Deus enim
humano modo prudenter non vult

agere

agere, & ad hoc nobis intellectum dedit, ut illo utamur: & si ut par est usi fuerimus, certissimò nobiscum concurret, & errare non permittet. Sic etsi sit summi momenti ad fidem Iudæum, aut Hæreticum converti, nō per visiones, revelationes, Deus cum illo agit: sed ut ille humana media, & prudentiam adhibeat: idem de pœnitentia &c. hic enim est ordo Providentiæ Divinæ. Considera itaq; finem, ob quem creatus es, non ut edas, bibas, sed ut in cœlo sis. Ista omnia quæ in mundo sunt, cor nostrũ non explent; nec sunt finis noster, sed media ad illũ. Hæc perpendēdo, reduc te ad quandam indifferentiam, paratum te exhibendo Deo, eius vocē sequi, quocunq; vocaverit, & in quocunq; loco te posuerit: sive duxerit per honorem, sive per infamiam, sive per sanitatem, sive per morbos, sive per Matrimonium, sive Religionem, sive militiam velit salvare.

Nam multos plus juvat morbus, quã sanitas. Unde cùm nescias quid tibi conducibilius, fac te indifferentem. 2. Ex omnibus statibus aliquos, qui magis tibi idonei, elige: v. g. Mercaturam, Militiam, statum Ecclesiasticum, Religionem, Matrimonium: Et hos tibi v. g. scribe unum quemq; in alia charta seorsim, per columnas, ut supra ostensum. 3. Quemlibet seorsim expende, quas habet difficultates ad salutem, quos labores, quæ adjumenta, ex quo plus redundat in Dei gloriam, & ad quem tua natura habet sufficientiam maiorem: hæc sub singulis adnota. 4. Eum elige, qui plura adiumenta ad salutẽ, pauciora impedimenta pro tua natura habet: & ex quo plùs gloriæ in Deũ redundat: Ad hunc certissimus esto te vocari, & eum securus arripe: sed tamen priùs de eo, cum DEO, & viro prudenti conferas, ne non omnia in eo adverteris, & æstu quo-

statum ad eum abreptus fueris. Alio modo sic *tecum consulta*: cogita si tibi Christus visibiliter, vel beata Virgo appareret, quem tibi, ex his statibus eligendum suaderet: Vel, imaginare te mori, ad Divinum iudiciũ esse adductum, & cogita quale tunc statum à te electum fuisse velles, eum nunc elige. 1. Quis DEO status ex his magis placet. 2. Quis tibi securior. 3. De quo meliorem DEO reddes rationem. 4. In quo meliùs corporis & animæ talenta impendes. 5. In quo sanctius perseverabis. 6. Nec satis est cogitare, quòd in hoc statu salvari potero, sed ubi certiùs. Similes etiam spirituales considerationes adhibere poteris, sed non perfunctoriè, seria enim res agitur, ideò opus est, ut pro aliquot diebus ab omni humano consortio secedas, ab omnibus alijs cogitationibus sis liber: & tum certus esto de misericordia Dei, quòd tibi datura sit aliquem in-

sin existimaris: *Cum viro prudente*, tali, qualem superius descripsimus, consultavi. 3. *Cum* DEO, eo modo, quo supra.

Qui solùm de tempore status inchoandi dubius hæret.

6. HAnc dubitationem solùm de statu religioso oriri verisimile, ideoq; de eo solo agendum. Certum est, meliùs esse religionem à iuventute ingredi: partim ut puram, te hostiam DEO offeras, partim ut statim virtutem cum annis, sine sensu combibas, & austeritatibus assvescas: partim antequam malas consvetudines contrahas, cum quibus deinde non minùs laboris erit, quàm cum natura.

Causæ differendi ingressum hæ possunt esse: 1. *Studia*, sed etiam in religione studere potes. 2. *Parentum preces*: sed hoc est commune malum: nunquam illi rogare desistent; vide

quid

quid hic egerint SS. Alexius, Bernardus, Thomas Aquin. &c. & certum est quod bene egerint. 3. *Debilitas* & teneritudo: sed si sufficit mediocriter ad onera religionis, Deus in reliquo erit. 4. *Vt experiaris* an sit vera vocatio. Sed hæc est usitata decipula dæmonis: ut tibi interim vocationem furetur, rebus sæculi intricet, voluptatibus inescet. Si semel prudenter conclusisti, non est opus ampliore consultatione: quia imprudenter ages; nec te Deus tenebitur iuvare, insuper in sæculo, religionis onera experiri non potes. 5. *Metus* non perseverandi: sed sic nunquam ad militiam esset eundum, quia multi profugiunt; nunquam ad mare, quia multi merguntur; uxor nulli ducenda, quia multis mala obtigit, ut secum cohabitare non potuerint; nemo Sacerdos fieri deberet: quia multi in castitate non perseverarunt. A diabolo iste metus est, quem tibi

hic specialiter inculcat. 6. *Parentum* inopia: si eos iuvare potes, habes iustam causam differendi. 7. *Si sis* mancipium, vel rationes reddere debeas, donec satisfeceris, differas. 8. *Morbus*: qui si impedit functiones religionis, & non est curabilis, non est vera vocatio tua: si curabilis est, & in religione æquè curari potest, ideò non differ. Eligenda itaq; pars, pro qua plures rationes, & meliores, etiamsi & opposita sit probabilis. Item illa. 2. Quæ fini, quem intendis, magis competens. 3. Cave ne dum deliberas in unum magis propendeas. 4. Ne in gratiam Parentum vel Amicorum aliquid ultimè facias. 5. Ne cùm es in consolationibus, vel desolationibus spiritualibus, aliquid ultimò statuas. 6. Cave, votum facias. 7. Vide quid alteri tali, qualis tu es, svaderes. Hoc elige. 8. Nota tibi rationes, quæ te impulerunt, ad hoc genus vitæ quod elegisti, v. g. ad

Matrimonium, ut hæc peccata evades v. g. &c. ut postea hæc relegas tibi, & in statu exequaris. Ante ingressum tamen status, omnia cum bono viro confer. 9. Cave ut pestem, ne, tu occultes coram eo, qui consulere potest, & non subdolè te illi explices. 10. Nugæ sunt timere. Quid dicent de me? 11. Stultitia etiam est velle ut DEUS circa te disponat, & ipse nihil agas. Opus est conari, & se determinare. 12. Vocationes subitæ, impetuosæ, cum fuga à Parentibus, vel ad Matrimonium cum amore insano, & ultrà honestum, non sunt stabiles.

Via Spiritualis.

PRAXIS SECUNDA.

I.

Etsi rarò pecces mortaliter, si tamen adhuc pecces, nondum es in via spirituali, quocirca primus labor sit, à mortali cavere, & quam

rarissimè veniale admittere scienter. Labor, 2. Principia malorum hæc tria sunt, quæ ad omne malũ ducunt, & à bono inhibent. Concupiscentia carnis, oculorum, superbia vitæ, seu luxuria, avaritia, superbia, propter hæc irascimur, detrahimus, murmuramus &c. Unde hæc vincenda primùm. 3. Minimis attendere ut exactè faciamus. 4. Virtutes inserere. 5. Deo uniri.

II.

Mortale evitabitur, frequenter actus doloris eliciendo per diem: confitendo statim ac lapsus es, & communicando, orando, meditando sæpe de malitia, ac periculo peccati in communi, non semper in particulari. 2. Veniale, non contemnendo, etsi leve videatur, meditando de pœna, & malitia illius, occupando te, ut nihil otij supperat, examen particulare, quoties ex contemptu venialis deliquisti. 3. Luxuria, ora-

ctione, crebra communione, aperiendo omnia Confessario eidē etiam minima, quæ hanc materiam, vel à longe concernunt; nullum, ei quocunq; modo dando locum, temperantiam in cibo, & potu servando, & ut totus sis occupatus, ac lassus ad somnum, atq; necessitate coactus accedas, statimq; ac evigilasti surgas: nec unquam etiam de virtute opposita loquere: etiamsi experiaris tibi non nocere. Nec cessa orare, etsi sis extra tentationem. Initijs obsiste minimis, conversationem personarum vita, quæ te accendere possent. 4. Avaritia, meditando de rerum vilitate mundi, legendo de fine hominis, novissimis quatuor, vilia appetendo, & semper quàm paucissima, eaq; vilia habendo, quia cresceret amor sensim opum. 5. Superbia, meditatione tuæ vilitatis ex natura, peccato, turpitudine huius vitij; actus humilitatis sæpe eliciēdo, orando eam dari.

III.

Attendere ut omnia opera ordinaria nostra exactè faciamus, v. g. oratio sine distractione, studiũ cum intentione. Singulis totius diei actionibus præscribere modum, quomodo instituendæ, & observandæ. Juvabit meditari de venialibus peccatis, crebrò confiteri, & relegere quomodo singula opera facere proposuimus. Nec omnia velle simul facere, & ex uno in aliud saltare. Nec varios libros, aut P. P. spirituales sequaris.

IV.

Virtutes inserere. Ut illas inseras, duo cura: 1. Ut ubiq; contra tuam voluntatem agas, & contra iudiciũ, non contradicendo alijs, confessarium in omnibus etsi minùs prudenter videatur loqui audiendo. 2. Pacem internam quærendo, quod fit, in omnibus conformando nos divinæ voluntati. Omnia in rebus viliora eligen-

gendo, ut vestem, locum &c. Quæ ad hos non spectant non attingendo, ut facta, dicta aliorum: non inquirendo, judicando, nec labores, sine quibus esse possumus, accipiendo. 3. Virtutem unam assumas, & eidem actus disponas, ut unam intra dies 100 alteram intra tot, obtineas: tum ad aliam progrediaris. 4. Omnia tua examina singulis hebdomadis, quid in lingva, oculis, quid ad mores, modestiam, auribus, manibus, cogitationibus desit, aut superfluum sit; & adnota. Item quid in rebus ad corpus, quid ad animam, seu actiones spirituales; an melius possint fieri, adnota; tum ad iram, audaciam, timorem, amorem, cui rei adhæret, ut possit corrigi. 5. Minimos actus virtutum, sed sæpissimè eliciendo. 6. Non differendo in aliud tempus.

V.

Vivi D. & O. 1. Crebrò passionis Christi recordando, ut praxibus se-

quen.

quentibus ad singulas actiones, ostendemus. 2. Ad minimas actiones, a Rum intentiones altissimas, frequentissimè habendo. 3. Quamlibet rem cũ Deo conferendo. v. g. *florem* vides, dic: Quantò illo pulchrior Deus meus! &c. *Marum*. O fortitudo mea! deinde dabit Deus gustum, ut in longis orationibus hærere possis, & alia lumina inspirabit, quid pro illo faciendum erit, dummodo constanter agas.

VI.

Cavenda interim. 1. Ne de diuturnitate laboris in virtute cogites, ne tædio corripiaris. 2. Ne variorum consiliis regaris, sed unum prudentem elige. 3. Ne etiamsi non sapiat, aliquâ die omittas cursum teram, quia rursus ac si de novo, erit difficilis. 4. Ne axiomata sæcularia sequaris. 5. Ne quidvis quod in libro spirituali invenis velis facere, sed solum quod tuo proposito servit. 6. Ne aliquid celes tuum Confessarium

aut diversos adeas, 7. Ne nimis una die exterius mortifices, aut jejunes. 8. Ne ab una re facilè ad aliam transeas. 9. Ne tristitiæ te permittas. 10. Ne si in peccatum incidas, differas confessionem. 11. Ne alii sciant tua bona opera, præter Confessarium. 12. Ne nimiam confidentiam, aut familiaritatem cum ullo contrahas.

VII.

Sic autem incipe.

Ante omnia puritatem conscientiæ per confessionem, devotionem acquires, meditando quotidie. 2. Curare eradicare mala. 3. Satisfacere pro peccatis. Sic autem incipies. 1. Adnota defectus in quos laberis. 2. Compone tibi modos quamvis actionem optimè expediendi. 3. Fac tibi distributionem, ut fieri potest, temporis. 4. Desiderium efficiendi proposita, per lectionem spiritualem, inflamma. 5. Ora, à Deo auxilium. 6. Propo-

Propositum habe, omnia tibi contraria faciendi. 7. Confice tibi actus virtutum, & ab una incipe v. g. humilitate, ejus singulos actus, singulis septimanis per examen particulare, acquirendo: maximè tendendo, ut cognoscas, quam tu sis vilis, & quam Deus excellens, in ordine ad hoc, quantùm illi à te serviri par sit, recogitando beneficia ejus. 8. Ut non turberis, conformitatem cum voluntate Dei cura, quod fiet, si te resolvas ad famam, infamiam, sanitatem, morbos, &c. Siquidem hæc sunt media, ad finem per quorum alia, alios ad se ducit, non per alia. unde lætatur talis homo, etiamsi adversa accidant, partim quia Deus, qui est tibi amantissimus ea immittit, & non potest malo fine. Hinc homo eligit vitæ statum, qui sit conformis voluntati Divinæ, & sæpè ad hoc se offert Deo. 9. Nec quidem spiritualibus rebus co[...]ectatur, quatenus sibi

um bonum sunt, sibi sapiunt, sed ut ad Deum ducunt. Unde æquè omnia in ariditate facit, sine lumine. Imò consolationes non vult; quia amoris proprii aliquid afferunt, & in hoc summè se fundat. 10. Non immoretur multùm luminibus à Deo datis ob periculum superbiæ, illusionum; nec pergat per discursum in iis, cum magis augebuntur, idq; ad practica attendat, etsi non cum tanta voluptate. 11. Purissimam propter Deũ, & non se, habeat intentionem. 12. Omnes respectus humanos frangat, v. g. *qui videbunt*. 13. Nihil ordinariarum actionum propter devotiones suas omittat, quia hoc esset magis suam voluntatem, quàm Dei facere. 14. Eligat inter duas res, eam, quæ plùs sibi est contraria. 15. Plùs potiendum in iis actionibus, quæ cum difficultate exercentur, quia & magis meritoriæ, & habitus inducunt, quia sine consolatione Deus pro nobis agit,

sicut in recenter conversis Novitiis, sed hi posteriores actus parum virtutis habent. 16. Si nihil possit agere, actus conformitatis cum voluntate Dei eliciat, & agnoscat se esse indignum, ut Deus det illi vires, & tempus ad aliquid boni agendum. 17. Nulla vi ab actibus virtutum consuetis, nulloq; disgustu &c. permittat se abripi.

VIII.

1. Singulis mensibus fac reflexionem supra tua proposita, regulas, sensus, actiones. 2. Singulis septimanis unam facias meditationem de fine creationis, & vocationis. 3. Singulis mẽsibus revide, si quid est in rebus tuis, quod si periret, te turbaret: illud subijce Patri Spirituali. 4. Examen particulare perficias bis in die. 5. In singulas hebd. die Dominico praescribe tibi mortificationes. 6. Aliquid contrarium voluntati fac quotidie, in sabbato per quadrantem se-

gita, quid te maximè posset affligere, si accideret, ad illud te resolve, & hos actus tota septimanâ cum conformatione ad Dei voluntatem fac, & quod tibi difficillimum factu, fac. 7. Vitas SS. lege. 8. Ex quavis confessione accipe unum peccatū, quod specialiter caveas. 9. In omnibus actionibus excogites, quas mortificationes adhibere possis. 10. Unam actionem singulis septimanis nobilissime facias. 11. Gratias frequens age pro vocatione ad tuum statum. 12. Si quis te offendat, ora pro eo. 13. Eundo cubitum, cogita quid pro cælo hac die fecisti, & quo devenires, si morereris. 14. Actus tibi virtutū conficias. 15. Quid grave factu est, hoc sæpe fac. 16. Omnia facta aliena excuses. 17. Non cures multa conscribere spiritualia, sed agas. 18. Statim incipias. 19. Aliqui impotentes animo, & non domitarum passionum, corpore alterantur, su-

dant, tremunt, desiderio profectus, & interim minima occasione in ea &c. cadunt: hoc est passionem, non voluntatis motum habere, & sæpe etsi est à Deo hæc sensualitas, sine efficaci voluntate est; quia habet se per modum auxilii excitantis voluntatem. Oportet autem habere verū desiderium efficax, etsi sine his corporis alterationibus, ut habet operarius conductus, laborandi. Deus in quiete operatur, dæmon cum turbis. Hoc benè nota.

Causa, Signa, Remedia Tepiditatis.

PRAXIS TERTIA.

I.

1. SPiritus, est quædam alacritas ad spiritualiter agendum: *Tepiditas*, est ignavia quædam. Causæ hujus. 1 Nimia cum hominibus conversatio propter otium terendum, &

& fugam disciplinæ. 2. Neglectus meditationis. 3. Et examinis tam generalis, quàm particularis, per quod dum quis non intuetur sua vulnera, ea non curat. 6. Satietas, & tædium rerum spiritualium, cum desiderio aliarum novarum. 7. Superiorum qui curam nostri habent, negligentia, & nimia dissimulatio; debet enim esse materna cura sine imperio, sed cum lenitate, & provisione temporalium, aliàs nec eorum dicta curabuntur.

II.

Signa in communi, 1. Rarò & cum tædio orare. 2. Perfunctorium examen. 3. Agere, quia talis consvetudo. 4. Contemptus venialium, & casisticus modus agendi, hoc non est mortale. Ergo faciam. 5. Aversio à superioribus, & disciplina, per consequens; nam hæc conjuncta in fervente, 6. In oculis superiorum modestiam simulare, & coram similibus

sui esse dissolutum. 7. Ea, ad quæ ex regulas, vel mandato superiorum te- netur, negligere: quæ ipse constituit, ferventer agere, & in hoc scrupulis agi, & non in illo, quod est idolum propriæ voluntatis, regulam emen- dare.

Signa in incipientibus. 1. Non desi- derare puritatem animæ. 2. Venia- lia non æstimare. 3. Non mortifica- re passiones, & externas mortificati- ones negligere. 4. Præfidere in ten- tatione, nec occasiones fugere. 5. In- stinctus & monita differre, vilipen- dere. 6. Effundi in actiones externas, otium amare, vix se colligere. 7. Lo- cari, & alienos mores liberè taxare, colloquia spiritualia contemnere. 8. Recreationes, cibum, potum, appe- tere. 9. Examina leviter facere, 10. Confiteri ex usu.

In illuminativa via signa. 1. Medi- ocri virtute esse contentum. 2. Non elicere frequenter actus internos. 3.

Et externos actus virtutum sine intentione. 4. Non contendere ad perfectam observationem regularũ, & votorum. 5. Non optare purissimam intentionem. 6. Non appetere officia vilia. 7. Otium amare, labores fugere. 8. Otiosè tempus perdere. 9. Non esse indifferentem. 10. Examen particulare non seriò instituere.

In unitiva via. 1. Communionem Sacramentalem aut spiritualem languidè obire. 2. Librum spiritualem aut omittere, aut leviter legere, spiritualia colloquia non quærere. 3. Rarò se supra actiones suas reflectere, raræ jaculatoriæ, & memoria præsentiæ Dei. 4. Actus internos, potissimum amoris Dei, & proximi frigidè instituere. 5. Actus externos virtutum sine devotione. 6. Purissimam intentionem non habere. 7. Zelum animarum relinquere, saltem exemplo, oratione, monitis. 8. Lan-

vere in affectu erga B. V. Crucifixum, Sacramentum. Velle mediocriter esse perfectum.

III.

Radices horum. 1. Neglectus mortificandi passiones. 2. Timor laborum pro perfectione. 3. Præsumptio de suis viribus. 4. Appetitus vanæ gloriæ. 5. Indulgere sibi in cibo, potu, recreatione. 6. Negligenter ordinarias actiones facere. 7. Diffidentia cum superiore, & Patre Spirituali. 8. Diffidentia, & in providentiam Dei non projectio. 9. Non reflectere se supra suas actiones. 10. Sollicitudo de futuris, vel præsentibus. 11. Ingratitudo præsertim pro vocatione.

IV.

Remedia. 1. Silentium. 2. Cave temeraria judicia, & taxationes aliorum. 3. Solitudo. 4. Contemptus respectuum humanorum, & oblocutionum, imò appetitus earum. 5.

Minima curare, quæ Deo placent, & venialium fuga. 6. Constantia in bono. 7. Custodia sensuum, & passionum repressio. 8. Meditatio divinorum, & præsentiæ Dei. 9. Spiritualia colloquia in recreatione. 10. Reflexio frequens supra actiones. 11. Præscriptio ordinis, & modus eas peragendi describatur, ut fiat intentio, defectuum in ea evitatio, virtutum exercitium, mortificatio: proponere sibi ad imitandum Christum, aut aliquem è SS. Examen de his ipsis punctis. 12. Non imitari alios quomodo vivant, sed quomodo debent.

V.

Motiva hæc? *Quæ Soliloq.* Quare non sum sanctior.

VI. *Fiat*

Renovatio annua. Menstrua. Hebdomadaria. Diurna. *Annua.* 1. Quomodo te geris respectu Dei? id est in oratione, precibus, sacro, Confess, Commun. 2. Quomodo respectu

Superiorum, quæ reverentia, obedientia. Erga *pares*, charitasne carnalis, aut humana; potiùs erga hunc, quàm illum. 4. Erga *subditos*: an æqualis cura, lenitas, provisio. 5. *Erga te quoad* corpus, & animam: sensus, passiones, commoditates, virtutes. 6. Vota. 7. Regulas, consuetudines, & officium. 8. Ordinem domesticum, temporis distributionē, examina. 9. Mores externi, an non singulares, aliorum offensivi. 10. Internæ actiones. 11. Externæ ut in jis non nimis effundaris, & an omitti non possint. 12. Passiones, habitus, labor circa virtutes. Hæc notanda scripto: hæc in examinibus, & in meditatione corrigenda. In hoc summa est, ut potiùs reformentur actiones quotidianæ, quàm ita, ut multùm oretur.

Menstrua. 1. *Fundamentum* est, imitatio Christi, gratitudo pro vocatione, regularum revisio, confirmi-

tas cum voluntate Dei quoad superiores, iussa, loca. 2. Examina propensionis, Mortificatio qualis, habitus, occasiones peccatorum, tentationes, persvasiones circa te tuæ. 3. Interna Oratio, Sacrum, Communio &c. 4. Externa modestia, conversatio, somnus, recreatio, labor, imperia.

Hebdomadaria. Hæc examina. 1. Meditationes quo fructu. 2. Usus Iaculatoriarum. 3. Elevatio mentis. 4. An te reflectas ad actiones. 5. Quas regulas sæpiùs violes, ritus, consvetudines. 6. Examina. 7. Modus agendi cum superioribus, & externis. 8. Materia colloquiorum. 9. Mortificationes. 10. Lectio libri spiritualis. 11. Actus interni. 12. Officium.

Diurna. Manè fiat, intentionem elice ad omnes actiones, & quòd nil velis contra gloriam Dei, fortè est hæc ultima dies: commenda te Deo in venerabili Sacramento: & opem

implora. Fieri etiam potest renovatio in festis celebrioribus, & in anniversario tuæ vocationis.

V.

Hæc proposita faciat. 1. Nunquam voluntariè deliberatè peccare. 2. Etiam indeliberatè quàm rarissimè. 3. Nil admittere defectus in rebus cultûs Dei. 4. Nullam regulam transgredi. 5. Colloquia spiritualia deinceps facere. 6. Cautè vitare eos, qui inducunt ad defectus. 7. Quotidianas actiones meliùs facere. 8. Clamores, & risum cavere. 9. Cum magis spiritualibus agere. 10. De nulla re queri. 11. Omnia meliùs explicare, nil damnare 12. Omnia iussa exequi sine excusatione. 13. Non eligere nisi quod obedientia vult. 14. Non quærere promoveri ad officia. 15. Post Communionem saltem media hora orare, deinde librum spiritualem legere. 16 Quidquid temporis vacui in devotionem vertere.

17. Singulas actiones Deo offerre. 18. Appetere, & amare adversa. 19. Ob sermones humanos nil omittere. 20. Sæpe reflecti supra actiones.

Hæc verò cavenda. 1. Quærere officia altiora. 2. Habitationem commodiorem. 3. Gratiam eorum, qui possunt promovere. 4. Fugere devotiones. 5. Otiosa quærere colloquia. 6. Patronos quærere, ut tuum desiderium fiet. 7. Murmurare contra ordinationes, quæ non placent. 8. Commoditatem in cibo, potu, somno appetere. 9. Plùs dormire, quā opus. 10. Alios arguere, perstringere. 11. Taxare. 12. Rixari. 13. Exprobrare.

VI.

Emendanda interiùs. 1. Memoria, si sæpius de alijs cogitet quàm de Deo. 2. Si non sæpe memorat beneficia Dei cum gratibus. 3. Peccata sine nausea recolit, in vanitatibus præteritis complacet. 4. Si est benefacto-

rum

rum oblivio. 5. Injuriarum. 6. Vel sæcularium inutilium recordatio.

Intellectus. 1. Si nescit, quæ tenetur scire. 2. Si temerariè inconsideratè agit. 3. Suspicatur, judicat, cogitat lubricè de fide, castitate, proximis, vocatione. 4. An axiomata sæcularia resient, & respectus humani. 5. Si non pluris æstimat spiritualia, quàm temporalia. 6. Pertinax, & suo judicio, & sibi confidens. 7. Inconstans in proposito. 8. Voluntas inobediens DEO, Confessario, Parentibus. 9. Si non soli DEO quærit placere. 10. Item vide quid amat aut fugit.

Externa emendanda. Oculi. 1. modesti. 2. Non sistentes in objectis periculosis. 3. An mortificentur.

Aures. Si amantes scurrilia, detractiones. 2. Vanam laudem propriam. 3. Oderunt alios laudari. 4. Spiritualia. 5. monita. Nasus, odores quærit non necessarios. Tactus

Gu-

Gustus, curiosos cibos, ante tempus, ultra opus.

Lingua. Si murmurans. 2. Detrahens. 3. Pungens. 4. Mendax. 5. Iurans. 6. Scurrilis. 7. Verba otiosa, aut iocos lubricos profert. 8. Laudem propriam. 6. Adulatoria. 10. Excusans se. 11. Silens ubi opus loqui.

Imaginatio. 1. Si indecora. 2. Scurrilia. 3. Fœda. 4. Vindictam. 5. Inutilia si verset.

Iram. 1. Si levi causâ. 2. Si citò. 3. Si non moderaris.

Actiones. 1. Si sine peccato. 2. Intentione sublimi. 3. Tempus implent. 4. Suo tempore. 5. Cùm fervore. 6. Reflexio sit supra illas.

VIII.

Vitia periculosiora. 1. Iudicia, detractio. 2. Mora in cogitatione turpi. 3. Consortium eorum, qui ad defectus ducunt. 4. Defigere intuitum in aliquo. 5. Volens, & deliberatus lapsus in veniale. Itē,

Item. Non libenter ad superiorē, aut Confessarium deferri. 2. Scandalosas actiones proximi, cùm possis, non corrigere. 3. Subdolè cum Superiore aut Confessario agere. 4. Eos contemnere, qui nomine Superioris iubent. 5. Mentiri volens. 6. Alienas actiones carpere. 7. Murmurare contra Superiores, & eorum ordinationes. 8. Et ne serventur, alios incitare. 9. Rixari. 10. Facere conventicula. 11. Libros lubricos legere, audire. 12. Iram non tenere.

VIII.

Colloquiorum spiritualium materiem tibi compara. 1. v. g. Quid lectum ad mensam, si legi solet. 2. Quid heri in libro spirituali legisti. 3. Quærere, quomodo hæc vel illa virtus acquirenda. 4. Vitas SS. 5. Aliquem locum scripturæ quomodo intelligendus. 6. De titulis B. V. & Christi in Litanijs descriptis. 7. De Cæremonijs Sacramentorum, Breviarii,

arij, festorum. 8. De initijs tui ordinis. 9. Quomodo fides, & Ecclesia crevit. 10. De Sanctis tui ordinis. 11. De vocatione, regulis. 12. Novissimis. 13. Iudicijs occultis, 14. Miserijs sæcularium. 15. Bono religiosorum.

IX.

Notas Viri Spiritualis acquirere.

Erga DEUM hæ sunt Notæ,

1. Fugit omnia, quæ *Deo displicent*, ut peccata, defectus. 2. Perfectè agit actiones ordinarias. 3. Patitur amori proprio contraria, ut iniurias, pœnas, monita, falsas delationes, negationes facultatum, ad abiecta officia ordinationem. 4. Perfectiora, seu magis confusiva eligit.

Erga Superiores. 1. Nullum officium petit. 2. Nunquam eorum acta culpat. 3. Non se excusat accusatus, nisi agatur de Dei gloria, vel illi imperent. 4. A nullo labore se excusat.

Erga Domesticos. 1. Nequaquam verbo, aut mente aliena damnat. 2. Nihil dicit de ullo, nisi quod de amicissimo diceret. 3. Neminem offendit. 4. Nil negat rogatus, quod faceret, & dare posset.

Erga externos. 1. Nil dicit coram illis, cujus eum poeniteret, si illi fierent hostes. 2. Non famulum, aut uxorem alicui conquirit. 3. Nil quod umbra sit scandali agit. 4. Nulla obsequia promittit, quæ putat Superioribus displicitura.

Erga se. 1. Ita ubique agit, ut si deprehenderetur non erubesceret. 2. Sic vivit, ut mori subitò non timeat. 3. Singulis diebus in eo apparet profectus. 4. Totum tempus meritoriè expendit.

X.

Inchoare. 1. Fac distributionem temporis. 2. Defectus externos, maximè, pro examine particulari conscribe. Eos hic sume ex numero secundo.

cundo. 3. Lectionem libri spiritualis cura. 4. Conscribe devotiones, ut quid sit nimis, 5. Item mortificationes pro integra septimana. 6. Modos, quamvis actionem expediendi. 7. Hæc subjice Patri Spirituali. 8. Hæc relege, & forma singulis mensibus, & ita operari incipe. 9. Singulis septimanis singulorum Patri Spirituali reddas rationem. 10. Forma practica proposita. Tum principia aliqua apprehende v. g. solum peccare est malum, alia omnia possum facere. Sic confundi non est peccatum, humiliari, convitianti non respondere &c.

Diurna Memoria Passionis Dominicæ.

PRAXIS QUARTA.

SUrgendo. Per surrectionem tuam Domine I. C. quando dixisti in horto, *surgite eamus*: da mihi virtu-

tem N. & præserva me à vitio N. hanc actionem meam veluti Christi tui, suscipe Deus Pater in unione illius similis actionis.

Indusium assumendo, aspiciendo, tangendo. Per vestem illam albam, qua es indutus apud Herodem, Domine I. C. da mihi virtutem N. & *ut priùs*.

Thoracem. Per chlamydem, quâ es à militibus in prætorio indutus, Domine I. C. da mihi &c.

Caligas. Per velum quo es in cruce velatus Domine I. C. da mihi &c.

Tibialia vel quid simile. Per crura tua non fracta in Cruce, Domine I. C. da mihi &c.

Calceos. Per fixuram pedum tuorum, Domine I. C. da &c.

Pileum. Per spineam coronam tuam Domine I. C. &c.

Pallium. Per vestem tuam, quæ nō est scissa à militibus, Domine I. C. da mihi.

Lavando te. Per contemptum tuũ quem habuisti, quando Pilatus manus abluit, Domine I. C. &c.

Orando. Per orationem tuam in horto. &c.

Scribendo. Per inscriptionem illius tituli in Cruce, *IESVS Nazarenus &c.* Domine I. C. &c.

Legendo. Per confusionem, quam habuisti, quando legebant inscriptionem Crucis tuæ, Domine I. C. &c.

Audiendo alios loquentes. Per afflictionem tuam, quam habuisti, quando clamabatur *Crucifige &c.*

Colloquendo. Per coloquium tuum, quod habuisti de Cruce cum Matre, &c.

Videndo fœminas. Per illam vocem tuam, quâ dixisti mulieribus: *Nolite flere super me, sed super filios vestros &c.*

Videndo viros. Per illum aspectum, quô aspexisti Iudices tuos &c.

Eundo per plateam. Per bajulationẽ Crucis tuæ, &c.

Ad mensam eundo. Per ultimam cœnam tuam, &c.

Comedendo. Per SS.ni Sacramenti in ultima cœna institutionem. &c.

Bibendo. Per fel & acetum, tibi in Cruce propinatum. &c.

Sedendo. Per Consilium illud, quod impii Judices de te fecerunt. &c.

Ludendo. Per contemptum illum, quem habuisti, quando milites in tuam vestem aleas miserunt. &c.

Ad templum eundo. Per illam calumniam, quam passus es, cum diceris templum diruturus, & in triduo reædificaturus. &c.

Campanam audiendo. Per illud signum, quod datum est militibus, ut in Crucem rapereris. &c.

Solem aspiciendo. Per mortem tuam, quando sol obscuratus. &c.

In lecto jacendo. Per mortem, & sepulturam tuam, &c.

Chirothecas. Per transfixionem manuum tuarum.

Arbores. Per lignum Crucis tuæ. &c.

Aquam. Per lacrymas tuas, & Matris tuæ &c. Et lateris aquam.

Atramentum. Per illud lutum, in quo te volutarunt, trahendo ad judices.

Librum. Per decretum, quod est in te latum mortis &c.

Ambulando. Per viam tuam, quam habuisti ad Crucem &c.

Sudando. Per sangvineum tuum sudorem in horto &c.

Sitiendo. Per sitim tuam in Cruce, &c.

Lapides. Per scissuram petrarum in morte tua &c.

Strophiolum. Per velum illud Veronicæ, in quo faciem tuam expressisti, bajulando Crucem, &c.

Domos. Per afflictionem tuam, quã habuisti in domo Caiphæ, &c.

Loca fœtentia. Per carcerem tuum fœtidum, in quo positus eras per noctem apud Annam, &c.

Schola. Per calumniam, quam passus es, quando de falsa doctrina accusabaris, &c.

Socii. Per fugam omnium discipulorum à te in horto, &c.

Sacerdotes. Per ea, quæ passus es in domo Sacerdotum, &c.

Turris. Per Curiam Ierosolymitanam, in qua es condemnatus, &c.

Mons. Per montem Calvariæ, in quo es crucifixus, &c.

Detractiones audiendo. Per tribulationem quam habuisti, dum diceretur: *Si Filius Dei est, descendat de Cruce, &c.*

Laudes. Per Mariæ Magdalenæ, & B. Virginis perseverãtiam sub Cruce.

Cantus. Per militum blasphemias, quas in te effuderunt.

Cogitatio turpis. Per flagellationem tuam in medio foro urbis maximæ Ierosolymorum.

Vestes exuendo. Per spoliationem tuarum vestium, quando ad Crucem affigebaris, &c.

Horologium audiendo. Per horam sextam, quâ mortuus es, clamando: *Eloi Eloi lammasabbathani, &c.*

Pons. Per viam, quam habuisti per torrentem cedron, &c.

Porta. Per occursum tuum Iudæ, &c.

Inimici. Per affectum tuum, quo dixisti Iudæ, *Amice, &c.*

Amici. Per desertionem tuam ab Apostolis, &c.

Hos vel alios affectus similes elicere, v. g. Gratiarum actionis, compassionis, &c. Idem est de memoria nocturna.

Imitatio Passionis Christi, quæ etiam noctu fieri potest.

PRAXIS QUINTA.

1. Liga manus, ad memoriam vinculorum Christi.

2. Liga oculos, ad memoriam Caiphæ domûs, in qua, hæc facta cum Christo.

3. Aliquâ re asperiore caput religas, memoria sit coronæ.
4. Liga pedes sorsim, & manus singulas, memoria clavorum.
5. Medium te liga, memoria ligati Domini.
6. Crucem habe, & eam pectori superpone, Crucifixionis erit memoria.
7. Disciplinam tecum in lecto dormiturus pone, flagellationis.
8. Tabula te contegas, Memoria sepulchri.
9. Ad latus aliquid durius applica. Memoria Lanceæ.
10. Collum fune præcinge, Comprehensionis in horto.
11. Decussatim per humeros te præcinge. Bajulationis Crucis.
12. Librum capiti suppone. Memoria damnationis ad mortem.
13. Utrinque in lecto circa te pone ligna. In medio latronum pependit.

14. Charta, pulvillum in quo jaces tege, ut aliquomodo strepat, Clamatum contra Christum: *Crucifige.*

15. Ad pedes in lecto ponas lapidem, quem ubi contigeris, recordaberis scissionis petrarum in morte Christi.

16. Rosarium habe è collo. Oratio in horto aut in cruce, *Deus Deus meus, cur me dereliquisti?*

17. Strophiolum pone penes caput in cervical. Memoria faciei velo Veronicæ impressæ.

18. Strophiolum humefactum itidem ad caput pone. Et recordaberis lacrymarum, & compassionis B. Virginis.

19. Aliquid gravius tegumento, quo tegeris, superpone. Recordaberis bajulationis Crucis.

20. Aliquo panno aut telâ asperiore te contege. Recordaberis spoliationis vestium sub Cruce: ubi cum

carne, & pelle quibus adhæserant, sunt detractæ.

21. Cum ligno jace in memoriâ columnæ.

PRAXIS SEXTA.

Alia Imitatio Passionis Christi.

1. Flagellis te cæde. Ille flagellatus.

2. Humi dormi. Ille in carcere Caiphæ pernoctavit.

3. Si quis tibi quidquid asperi hodie dixerit, perfer, illi clamatum: *Crucifige.*

4. Flecte v. g. scribendo &c, quasi commoditatis gratiâ: ille in horto flexit.

5. Aliquantùm pronus extensis in crucem brachiis in terra jace. Cecidit ille faciem in horto.

6. In mensa, ab eo, quod maximè te oblectaret, abstine. Ille nullo cibo refocillatus ad mortem ductus.

7. Cibo aliquando plus salis, absynthii, &c. ut suavitatem corrumpas, adde. Ille felle saturatus.

8. Toto sacro in templo in nullam partem oculos move, quæcunq; causa invitet. Illi oculi à militibus ligati.

9. Eleemosynam da ex iis, pro quibus tibi aliqua esculenta suaviora comparares. Ille ultimam guttam sanguinis, corde aperto largitur.

10. Quæ contingent etsi innocenti, patere. Tulit ille mortem.

11. In angulum aliquem te recipe, maximè dum alii ludunt: & ora per aliquod tempus. Ille in Cruce oravit.

12. Abstine à recreatione, & suavi colloquio. Illius tristis anima fuit ad mortem.

13. Sile per aliquod tempus. Ille siluit apud Herodem.

14. Designa tibi, ut v. g. decies in die mentem in Deum eleves: Fecit

illi. *Deus meus ut quid me dereliquisti?* In Cruce.

15. Sub paupere jacente in publicò stramen putri collige, novum saltem illi affer. Ille militibus suas vestes dedit.

16. Templum, aut locum sacrum aut tuum cubiculum verre. Ille nos abluit sanguine.

17. A mensa ita surgas, ut esurias. Sic ille cœnam ultimam edit.

18. Muscas & pulices te infestantes non abige. Sustinuit ille carnifices.

19. Aliquid durius in lectulo sub linteamen pone. Ille in Cruce obdormivit.

20. Sedendo, tergum non acclina. Ille in Cruce non habuit, ubi caput reclinaret.

21. Sedendo, crus cruri non superpone. Illius pedes in clavis pependerunt.

22. Sta ad molestiam v. g. studendo. Stetit ille coram Herode.

23. Oculos aliquo tempore demissos habe. Clausit ille in Cruce.

24. Ipse tibi vestes munda, etsi habeas famulum. Lavit ille pedes Discipulis.

25. Intentionem fac, ut cuiq; adperi præmittas. Ita ille; *Non meâ voluntas fiat*, orabat.

26. Altero loquente non interrumpe ejus sermonem. Ille falsis testibus nih respondit.

27. Sitim, extra mensam non bibendo, feras. Ille dixit *sitio*.

28. Cilicium porta. Illi vestis plagis applicata, pro cilicio fuit.

29. Sedendo, potes aliquos globulos aut lapillos supponere: memor qualem ille quietem habuit in domo Caiphæ.

30. Cùm prurit caro non frica. Illi manus affixæ, ne sua vulnera tactu posset lenire.

31. Noctem aliquam sedendo trãsfige, ille noctes duras egit.

32. Iacens manum non expone, nec crura eleva, etsi calor urgeat. Ita ille in sepulchro.

33. Chirothecis non utere. Nudæ illius manus in Cruce.

34. Deambulando viam, elige peiorem v. g. per lutosa, lapides, ita ille ex horto ductus.

35. Ambulando, ita incede, ne ullus strepitus audiatur, illius pedes affixi.

36. Non aspice res oblectantes, Ille in horrido loco Calvariæ mortuus.

37. Non egredere cubiculo sine magna necessitate. Ille manibus & pedibus affixus.

38. Somnum à meridie vince. Ille noctem passionis insomnem egit.

39. Etsi caleas, caput ob æstum non detege. Ille spinis coronatus.

40. Manus expansas in altum tene, Illius manus crucifixæ.

41. Odorem nullum adhibe. Fœtidus erat locus Calvariæ.

42. Nullius alterius manus aut corpus attinge. Affixæ illius manus.

43. In te induendo aut exuendo, ita agas, ut nulla pars corporis tui nuda videri possit. Ille nudus in Cruce.

44. Non contende etiam in veris, Ille siluit cùm calumniaretur.

45. Sputa quæ offendis in via pede obtere. Ille per plateas & lutum raptatus.

46. Stando nulli rei innitere. Solùm ille clavis innixus.

47. Literæ, si tibi à charis reddantur, eas non statim lege. Exspectavit ille decretum mortis.

48. Caput non frica, nec os manu attinge, sine necessitate, aut aliquid tale, cui assuevisti. Ille in passione suam voluntatem non fecit.

49. Moderatum frigus patere: Tulit ille in Cruce nudus.

50. Lapillos aut pisum calceo impone, Ille in clavis stetit.

Manus aculeatis armillis præcinge. Ligatæ illius funibus.

52. Vulsionem capillorum adhibe. Illi evulsi &c.

53. In bacillo, quem causa otii manu gestas, modicam cruculam habe impressam, ut æmuleris Crucem bajulantem.

54. Crucifixi imaginem in sutam habe vesti prope cor. Ille totâ vitâ in corde passionem suam gessit.

55. Supra limen portæ icunculam pinge, & cogita quomodo exaltatus ad montem Calvariæ.

56. Quamcunque crucem videris adora. Ille desiderio desiderabat Crucem.

57. Signa frequenter pectus cruce: & ille antequam ei affigeretur, si non corpore, mente eam amplexus.

58. Cùm bibis, signa signo Crucis potum, & non totam sitim exple: sicut ille in cruce gustavit vinum myrrhatum.

59. Ambulando te defatiga, ſicut ille de paſſionis die;

60. Occultè ſacculo veſtium impone aliquod pondus, & defer ad imitationem bajulationis Crucis.

61. Si contingat aliquod membrū dolore affici, imaginare aut cruci cum Chriſto confixum, aut flagellari, aut ſpinis pungi.

62. Re aliquâ aſperâ pedes & manus præcinge, ſveluti cruci eſſes confixus.

63. Res, quas ex ciſta poſſes ſimul accipere, non accipe, ut frequentiùs adeas, teq; fatiges, veluti ſepulchrum Chriſti viſitando, & in illud ſi non te totum, ſaltem manus ponendo.

64. Pſalmum 21. *Deus meus*, frequẽta; quia hunc oráſſe in Cruce Chriſtus dicitur.

65. Rem chariſſimam ſine qua eſſe potes, abaliena. Quia ille nudus pependit.

66. Si curioſitas impellat, ut ali-

quid

quid videas, lustres, te cohibe, quia Dominus tuus affixus est ligno.

67. Sæpè actus fac condonationis iniuriarum, orans cum Christo, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, etiam imaginando tibi offensas possibiles.

68. Si eas per plateam, & videas pauperes, misericordiâ moveare, sicut ille è Cruce motus super Matre viduâ, & Ioanne.

69. Eundo ad recreationem vias duriores elige: per tales ille ducebatur ex horto ad Iudices.

70. Aliquam plumam & maculam vesti dum publicè compares, inhærere sine, ille sanguine suam cruentavit.

71. Si contingat labi verbo & errare, te non excusa; nam ille pro stulto habitus ab Herode siluit.

72. Aliquam literam nomini tuo adjice, proponendo velut alterius nominis significativam, vel quasi per

tersorem immiscendo! ex illis quæ Cruci fuerunt inscripta.

73. Cùm nova narrantur aut aliqua quæ libenter audires, abi. Ille nihil audivit solatii, in passione.

74. Cùm nova feruntur à carissimis, non statim eas lege. Sic ille noluit loqui Herodi, ut solatium ex eo acciperes.

75. Cùm quid ingeniosum dicendum occurrerit, silentio preme. Sic ille apud Herodem siluit.

76. Visita eos, ad quos via difficilior & magis horres. Ivit ille ad Herodem & Pilatum.

77. Rebus etiam devotionis carissimis te exspolia: imò alterius arbitrio cui velit ille distribuendas, committes curiosas, pulchras, pretiosas nón patere. Ille etiam vestibus & discipulis spoliatus.

78. Intra pileum habe ex pilis sericeis corollam, quæ tibi in mentem coronam spineam reducat.

79. Non queri de ordinationibus nobis adversis.

80. Actus charitatis exhibere aliis laboriosos.

81. Non adire eos, qui te promovere possint.

82. Non loqui de rebus, quas optas tibi evenire.

83. Fructus novos non tangere.

84. Nullum flosculum decerpere gratiâ odoris.

85. Disciplinam facere, etsi ut audiaris ab aliis.

86 A nulla te occupatione excusare.

87. Vim facere intellectui ut evidenter mala facta proximi optimè explicet. Similia enim in Christo passo elucent.

Modi colendi Christum passum.

PRAXIS SEPTIMA.

1. HAbe eleganter sculptam ejus imaginem, & ei officia boni

aulici exhibent, salutando, genuflectendo, caput aperiendo &c.

2. Constitue te coram illo nudis pedibus, de collo funis pendeat, & te illi in mancipium consecra: & de illius licentia pedes ejus osculare.

3 Praxes colendi B. Virginem huc accomodari aliquæ possunt.

4 Depone in terra Crucifixum cum candelis duabus accensis, & eas adorationes ei exhibe quas solet Ecclesia die parasceves.

5 Crucifixi membra singula, tuis applica, ut ea consecret, obsignet.

6 Peccata tua appende pedibus eius, ut ea expiet.

7. Necessitates tuas eius pedibus appende, ut sic saltem in scripto ores sine cessatione:

8 Sub Crucifixo sede, ad pedes eius te projiciendo: veluti Magdalena.

9 Canes, Lazari ulcera lingebant, tu sæpe velut catellus vulnera Christi deosculare.

10. Eundo cubitum, examinando te, et bona opera, veluti flores affer, proponendo postera die plures ei te allaturum.

11 Si munusculum aliquod tibi detur, illi integrè redde, depone.

12 Muta subinde cum illo coronã: illi impone floream, tibi accipe spineam illius, & eã die ?te in aliquo mortifica.

13 Cùm transis imaginem ejus reflexam exhibe reverentiam.

14 Habe instrumenta passionis ejus, & iam hoc, iam illud tecum defer.

15 Dum hora sonat: per aliquod vulnus ora, [&] passionem per horas dispone, additis actibus timoris, amoris, fiduciæ, humilitatis.

16 Singulis diebus aliquod membrum Passionis recogita. v. g. nunc septem effusiones sangvinis, nunc clavos & lanceam, nunc septẽ verba in cruce prolata, nunc 30. argenteos,

do, nunc instrumēta passionis, nunc stationes, nunc horas, quibus passus, nunc aculeos spinarum, nunc membra in quibus maximè passus, & singula saluta &c. &c.

17 Litanias dolorum eius confice, & dic.

18 Examen conscientiæ fac per vulnera Christi, ad caput lumen pete, ad dextram pro beneficijs gratias age, &c.

19 Missam audi, in singulis actionibus sacerdotis, mysteria recogitando.

20 Orationem dominicam, passione Christi adorna. Ut. *Fiat voluntas tua &c.* Sicut orâsti in horto. *Adveniat regnum*, per spineam coronam, dum regnum tuum illusum, *sanctificetur nomen* per Crucifixionem &c. *Panem* per Eucharistiam. &c.

21 Septem locos in quibus passus est, in domo tua disigna; & eos subinde adi; & imaginibus quæ passus referentibus, instrue &c.

22 Habe prope ianuam Crucifixum, eum osculare, quoties intras.

23 In communione imaginare te latus Christi sugere.

24 Numisma ad Rosarium, vel icunculam habe Passionis Christi.

25 Coronam vulnerum eius recitare, id est vel 5. Pater, Ave, vel quinquies quinq; Pater, Ave, vel quinquies Pater Ave, in honore vulnerum eius.

26 Feriâ 6. curare sacrum fieri de Passione Christi.

27 Die Dominicâ caput, die 2. pedis dextri vulnus. Feriâ 3. sinistri, Feriâ 4. lateris. 5. Manûs dextræ, 6. Manûs sinistræ. Sabbato reliqua omnia colere. Omnes eò actiones dirigendo.

28 Meditari, Quis? à quibus? pro quibus? Quid? Quantùm? quomodo? ubi? quando? Cur? patiatur. In fama, corpore &c.

29 Vulnera depicta per domum dispo-

discipulo cum lemmate Amoris.

30. Tot actus elicere, quot guttas lachrymarum suâ vitâ profudit: id est 62. millia & 200. Quot guttas sudoris in horto id est 97. millia 305. millia. Quot plagas ad columnam; id est 6666. Quoties caput eius spinis læsum, id est 1000. vel vulneribus 300. à spinis 72. decies refixis. Guttas fudit è vulneribus 1200. Suspiria 900. Gemitus lethales 19. Terrores mortiferos 162. dolores mortis 6666. internos dolores 7. In collo ictus 120. In facie 110. ad os 30. In dorso 80. in pectore 43. in capite 80. in lateribus 38. in humeris 62. in lumbis 28. in brachijs 40.

31. Vias eius cum cruce deambulare, singulos passus osculando, sunt autem ad calvariam à Prætorio passus cruenti 1321. Prostratus in terram 13. conculcatus 170. crinibus tractus 350. per barbam 58.

32. Præcinge, te per humerum re aspe-

ſperâ in memoriam crucis, quæ 15. longa pedes, pondo 200. continebat.

33 Gratias age pro ſingulis annis ab initio mundi, id eſt 4086. quòd illum tot non expectâris, uti SS. Patres, vel B. V. annos recolere per tot Ave Maria 47. qui ad paſſioné Chriſti, fuerunt.

34 Varios affectus elicere. Admirationis de te, & illo. Compaſſionis, doloris de peccatis. Compenſationis. Propoſiti. Gratitudinis, & gratiarum actionis, Conformitatis cum voluntate Dei, Amoris Dei & proximi.

35 Cogita te ire per Choros Angelorum, Apoſtolorum, Pontificum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Patrum, Doctorum compatientium Chriſto.

36 Certis diebus inducere aliquem ad cultum Paſſionis Dominicæ, vel in honorem eius ad abſtinendum à peccato.

37 Cruculam gerere cum quinque clavicul is acutis, quæ te pungat.

38 Orationes certas, uti Litanias, Officia de S. Cruce. Quinq. Ps. in memoriam vulnerum sumptos ex Breviario Feriæ 6. dicere potes.

39 In honorem 5. effusionum lachrymarum orare. In Cunis, Circucisione, excitatione Lazari, super Ierusalem; in horto, vel de 4. clavis & lancea. Vel de 30. argenteis, vel de instrumentis Passionis, meditari.

40 Stationes 18. habuit Christus has facere potes.

41 Vias eius deambulare dolorosas ad singulos passus dicendo aliquam iaculatoriam. A loco agoniæ ad locum captivitatis 40. hinc ad Annæ domum 2360. hinc ad Caipham 330. hinc ad Pilatum 1000. hinc ad Herodem 350. deinde rursus ad Pilatum per aliam viam 600. Cruentæ autem viæ, à domo Pilati ad locum impositæ Crucis 26. hinc ad locum ubi sub

Cruce lapsus 80 hinc ad locum ubi ei Mater occurrit 64. & pes 1. hinc ad locum ubi angariatus Cyreneus 71. pes 1. & dim. hinc ad portam judiciariam, ubi secundo lapsus 191. pes 1. & dimid. hinc ad locum ubi mulieres allocutus 348. pes 1. & dimid. hinc ad radicem montis Calvariæ ubi tertio cecidit, 161. & dimid. Hinc ad locum ubi vestibus spoliatus 181. Hinc ad locum ubi Cruci affigitur 12. hinc ad locum in quo cruce figitur 14. A loco Crucis ad sepulchrum 108. Universi passus duorum pedum & medij 5756. pes 1. & dimid.

42. In memoriam temporis, quod exegit horis in domo Caiphæ circiter 4. in Prætorio 4. in monte Calvariæ ferè 7. In cruce vivens ultra 4. In cruce mortuus circiter 2. In sepulchro 33. horas.

43. Expansis brachijs stare ad fatigationem.

44. Titulos, forma Christo passo,

v. 18. Incentivum amoris &c.

45. Vel fac aliquid in honorem 12. præcipuorum dolorum in corpore.

46. Verba recole una die, quæ locutus Patri. Secunda Matri. 3. Discipulis. 4. Iudæ. 5. Militibus. 6. Petro. 7. Caiphæ. 8. Annæ. 9. Pilato. 10. Mulieribus. 11. Latroni.

47. Institue devotionem in honorem specialium despectuum. Qualis, 1. venditio 2. Deductio in urbem 3. alapæ. 4. sputa. 5. Negatio Petri. 6. Flagra. 7. Spinæ. 8. Purpura. 9. Arundo. 10. Clamores, *Tolle, tolle.* 11. Prælatio Barabbæ. 12. Damnatio. 13. Baiulatio Crucis. 14. Fellis & aceti propinatio. 15. Blasphemia populi & latronis. 16. Suspensio inter latrones. 17. Lateris apertio.

48. Titulos dignitatis conscribere quos sibi promeruit, ut *Pater futuri seculi &c. Primus prædestinatorum.*

49. Historias & exempla devotorum erga Passionem, legere, narrare.

50 Petere eas virtutes quas in quavis passione fecit.

51 Anthithetha formare. Ut Immortalis moritur, Iustissimus damnatur, fortissimus succumbit, &c.

52 Instrumenta Passionis Dominicæ, nunc unum, nunc aliud deferre.

53 Figuras Passionis Dominicæ colligere, ex illis, Litanias facere: ut de Isaac. &c.

54 Figuras crucis ex scripturas ut serpentem æneum &c.

55 Ex symbolis, ut Agnus occisus ab initio mundi &c. Sumere iaculatoriam, & eam iuxta globulos Rosarij, locò *Ave Maria* decurrere.

Modi colendi B. Virginem.

PRAXIS VIII.

1. Cùm orare ad eam incipis, prius dic. *Dignare me laudare &c.*

2 Postquam desivisti orare, roga ut Angeli suppleant.

3 Lam-

3 Lampas ante eius imaginē vel suffitus sit.

4 Cantiones de ea cura cantari compone, conquire.

5 Nomen eius cum reverentia nomina, pinge, sculpe.

6 Imagines eius decentissimo loco pone.

7 Quoties imagines transis, venerare.

8 Ad ianuam imaginem habe, ut quoties exis & redis, osculeris.

9 Tecum, imaginem eius defer in pectore.

10 Floribus corona, diademate, illius imagines.

11 Cultum eius apud alios procura.

12 Cum imagine illius te cubitum pone.

13 Peregrinationem ad eius sacra loca instítue.

14 Dimetire tibi vias, quibus se- quebatur Christum in passione usque ad calvariae

15 Coram altari eius sæpius oratione sacrum fieri cura.

16 Officium Immacul. Concep. Rosarium recita.

17 Cùm is ad templum, invita secum Sanctos, qui eam specialiter coluerunt, ut S. Ildefonsus, Anselmus, Bernardus. &c.

18 Cùm is ambulatum, eam imaginare Christum cum S. Iosepho ducentem.

19 Sanctis eius affinibus devotus esto, ut S. Annæ, Ioachimo. &c. posui in libello de S. Anna.

20 Ad templum vade, ut mancipium ad Dominam, ut peregrinus ad portum, ut reus ad Asylum, ut discipulus ad Magistram, ut filius prodigus ad Matrem, Sponsus ad Sponsam, ad Medicam infirmus.

21 Hymnos qui incipiunt à literis nominis, dic, ut Magnificat, Ave Maris Stella, Regina Cœli &c. Alma Redemp.

22 In honorem mensium 9. quibus in utero gessit, novies dic Ave &c.

23 In domûs tuæ angulis, dispone varios locos eius cultu celebres, hîc Lauretum, hîc Czestochoviam &c. Adiectis imaginibus, & in singulis orabis veluti peregrinareris.

24 Manè 5. genu flecte ob 5. mysteria gaudiosa, meridie ob dolorosa, vespere ob gloriosa, addito Salve.

25 Terram osculare, ut eius mancipium.

26 Ave 12 in honorem 12 prærogativarum.

27 Ave 24. pro singulis horis diei & noctis.

28 Ter Pater gratias agendo SS. Trinitati pro donis, quæ ei contulit.

29 Quidquid petat quis in honorem eius, largire.

30 Singulis diebus in honorem eius, saltem uno vitio abstine.

31 Singulis diebus unam virtutem fac.

32 Singulis, unam actionem fac perfectè.

33 Ei tua proposita consecra.

34 Meditare certis diebus de eius excellentia.

35 Libellos de ea scriptos lege.

36 Sacella illi dedicata verre.

37 Diebus Sabbathi eliges ieiunare, & aliquid pij facere.

38 Iaculatorias ad eam frequenter dicere, ut *Tota pulchra es &c.*

39 Ora pro illis, qui colunt B. V.

40 Benedic Deo pro creaturis, quæ cultum B. Virgini, ut candelæ, quæ ante eius imagines ardent, promovent &c.

41 Tot Ave, quot annis vivis, recita in gratiarum actionem.

42 Siste te sub Cruce cū illa, ecce Filius tuus, audi quòd te, illi, ut Ioanni, commendet Christus.

43 Supple eorum vitia, qui eam non colunt, dic Salve,

44 Imaginare iam te esse inter choros cœli cum ea lætantium, iam inter eos qui in purgatorio. Nunc ut infans ante Matrem, ut indigens necessitates numerans, ut infans patiens famem, profugus ab hostibus, ut agonizans, ut errans in via.

45 Quoties hora sonat, toties dic *Ave*, & actum amoris elice. Est indulg. dier. 1000 pro dicentibus *Ave Maria*.

46 De ea honorificè loqui, titulos formando, miracula referendo, debes.

47 Tua bona eius tutelæ dedica.

48 Animas è purgatorio plurimas libera, ut pro te in cœlo ferventiùs B. Virginem colant.

49 Surgendo, prima cogitatio, sit de B. Virgine, noctu ultima.

50 Nullum negotium incipias, nisi prius illi commendes.

51 Sodalitates illius ini & Confraternitates.

52 Hortare alios ut coronam eius dicant.
53 Cum tibi aliquid bene succedit illi age grates.
54 Benedictiones eius forma v. g. *Benedicite eam centies millies Angeli, vicies millies Archangeli,* id per choros Angelorum, vel Sanctorum, fac.
55 Rosarium illius in pretiosiore cista serva.
56 Ave inscriptum tabella è collo suspensum habe, & illud rebus quas servari velis immisce.
57 In honorem festorum eius quæ celebrantur, dic toties *Ave.*
58 In honorem effusionum lachrymarum quas effudit, ad singulas effusiones sangvinis Christi. Orationes fac.
59 Solare B. V. septem dolores.
60 Offer cultus Religionum variarum per ordinem, qui eam colunt, & inter singulos tuum *Ave.*
61 Tuas actiones in unione actio-

tum B. V. offer, & eas imitari conare.

62 Desponde te B. V. per annulũ ei consecratum.

63 In signum mancipij pedicas è collo gesta.

64 Sacrũ sic audi. Introibo, quòd reclinavit in præsepio. Epist. Circumcidendum obtulit. Evangel. Valedixit ei Christus eundo ad passionem. Offert. cum Mulieribus flevit. Elev. obtulit eius sangvinem. Communio. In sepulchrum deposuit.

65 Eundo cubitum, de collo Rosarium suspende: profitendo te in eius laudibus obdormire, & etiam orare velle si posses &c.

66 Supra ianuam domûs tuæ habe eius imaginem.

67 Sunt indulg. plen. cum liberatione animæ ex purgatorio, si ad pulsum manè, meridie, vespere, dicas *Angelus Domini. Ave Maria. Ecce Ancilla, Ave. Et verbum, Ave. Gratiam tuam &c.*

68 Idq; potes facere, etiamsi in pluribus templis pulsetur, plures in compésationem eorum qui eam non salutant.

69 Votum facere Immac: Concept. defendendæ modo debito.

70 Recitare rosaria, ex iaculatoriis de illa dispone, cùm deambulas, donec ad certum terminum veneris, has iaculatorias; donec ad illum, alias.

71 Rosarium orando privatim, ad singula nomina, flecte genu, prosunde.

72 In honorem earum imaginum & locorum, quæ eius sunt miraculis clara (uti Lauretum, Czestochovia) ora.

73 Amorem illius, à DEO & Sanctis pete Illum crebrò desidera, frequenta.

74 Ad illam in negotijs, difficultatibus tuis, & alienis recurre. Illi ægros, Milites bellantes, peccatores commenda.

75 Benedictionem ab illa pete.

76 Beneficia per illam præstita Tibi, nota.

77 Gratulare sæpiùs eius gloriæ.

PRAXIS NONA.

Dies spiritualis.

SUrgendo statim signo accepto, te proripe ex obed, si es Religiosus. Ecce surgo ad amandum te Deus meus.

2 Excitanti te non obmurmura.

3 Ita te indue ut nullam partem tui corporis nudam videas.

4 Adora Eucharistiam, versus illã flectendo, ubi in proximo templo asservatur.

5 Intentionem pro tota die fac.

6 In unione surrectionis Christi in horto quando dixit, *Surgite eamus.* Hanc exercere actionem.

7 Cum desiderio optimè faciendi, Sine defectu ullo, omnia illâ die.

8 Auxilium Divinum invoca.

9 Fac sine strepitu omnia.

10 In aliquo te mortifica.

11. Desidera primus venire ad Eucharistiam adorandam,

12 Lectum bene compone.

13 Vestes sume, considerando Passionem Christi.

14 Cor Christo consecrato.

15 Flexis genibus. Dic orationem. *Adoro te Sancta Trinitas.* In qua sunt omnes virtutum actus. Deinde. *O Domina mea Sancta,* Demum, formulã votorum aut Sodalitatis.

16 Puncta meditationis prævideto.

17 Eundo ad visitandum V. S. dic 9. Ave, in honorem 9. mensium, quibus in utero gestavit Filium: in honorem S. Angeli Custodis *Pater noster*: ut te custodiat.

Praxis: Exprimens supradicta iuxta numerum.

1. O Mi amor! ecce surgo: sonet vox tua in auribus meis.

2 Adoro te mi DEus adoratione latriæ & me offero ad sanctissimum tuum beneplacitum in me perficiendum. 3 Tibi vivere, tibi mori, ut faciam gustum tibi, quem aliquis Sanctus fecit, aut facere potest. 4 Surgo in unione surrectionis Christi in horto, quando dixit, *surgite eamus.* 5 Volo propter te, non propter me perfectissime hodie agere, & hoc ad imitationem Christi. 6 Tu iuva, sine quo sum nihil, nisi malum & peccatum. (*Possunt hæc puncta interrumpi, nec simul omnia dici, sed tamen cum reflexione supra singula, ut corde eos actus elicias quos continent.*) Ad singulas vestes, ut hîc in Praxi memoriæ Passionis Christi vide.

15 Tum flexis genibus *adoratio.* Adoro te SS. Trinitas Pater Fili & Spi-

Spiritus S. Deus meus & omnia. *Gratiarum actio.* Gratias ago tibi pro creatione, redemptione, conservatione, Sanctissimis Sacramentis, vocatione ad hunc statum, *vestem osculare.* Et pro omnibus innumerisq; beneficijs mihi & toti mundo concessis. *Oblatio.* En Domine mi, me totum, & quidquid intra me, ac extra me est, cogitationes, verba, & opera totius vitæ meæ, ac potissimum huius diei in sacratissimo sanguine Filij tui involutum, in tui amorem, ac proximorum salutem tibi offero, dico, consecro. *Propositum non peccandi.* Aufer à me quidquid displicet in me, & da mihi quidquid tibi placet. Dirige me iugiter secundùm sanctissimum tuum beneplacitum, & da per viscera B. V. ut nunquam te offendam, sed semper tuam faciam voluntatem. Perfectionem in spiritu status mei, tribue mihi, ut ex me solatium cor tuum Divinum accipiat, reple me sancto desi-

desiderio, ut te ubiq; quæram & ubiq; inveniam. *Actus alii.* Credo, spero, amo, doleo ô bonum, solum, & unicum meum. Sit, quod agam propter omnes intentiones quas adnotavi. O Domina Sancta Maria. *Formula votorum, aut sodalitatis.* 14. *Cordi manu appositâ sic illud consecrabo.* Dilectissime Domine, inscribo tibi hospitiũ cordis & animæ & corporis mei. *Signa cor.* Hæc est domus dilecti mei, IESU Nazareni Regis Iudæorum. Ne deseras illam IESU. Adesto Maria. Laudate Dominum omnes gentes. Deinde *Pr. Ave Credo.* Teipsum & Amicos & benefactores tuos Deo commendando. Deniq; examina an hæc omnia impleveris.

Lotio faciei & manuum.

Doctrina.

1. SIt sine strepitu. 2. Non quærendo corporis cultum, sed quia Deo id placet. 3. Intentio. 4. In unione

nione actionis similis Christi. 5. Cum desiderio optimè faciendi ad imitationem Christi. 6. Auxilii Divini invocatio. 7. In aliquo te mortifica. Et si aqua desit pro aliis, affunde.

Praxis.

1. LAvabo me, quia placet tibi Domine. 2. Ego enim nullo cultu dignus sum. 3. Propter te solum facio. 4. In unione illius lotionis, quando Apostolis abluisti pedes. 5. Utinam hic nihil sit, nisi quod tibi placet, idq; eo modo, quo Christi tui actiones placuerunt, quas & imitari volo. 6. Adesto mi Domine non quia ego merear, sed quia tu dignus es, ut te in omnibus colam, & sine te non possum.

Visitatio V. Sacramenti.

1. DOlor excitetur de peccatis. 2. Intentio. 3. Unio cum actione Christi simili. 4. Desiderium optime

mè

me faciendi. 5. Mortificatio aliqua sui. 6. Gratiarum actio pro beneficiis. 7. Proposita hodierna, & diem commenda. 8. Et benefactores. 9. Communica spiritualiter ut in auditione sacri dicetur.

Praxis.

1. Eundo ad templum, vel, *Ave maris stella*, vel Ps. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* vel 9. *Ave Maria*, in honorem 9. mensium quibus in utero portavit B. V. Christum. Et unum pro ijs, qui promovent cultum B. V. Ter *Ave* in honorem Angeli Custodis. Et si omnia dici nequeant, horum aliqua in reditu dicenda, v. g. hoc modo.

1. Credo, spero, amo, doleo. Protestor me millies mori velle, quam te vel levissimè offendere. Deus meus & omnia mea, sine quo nihil possum. 7. Tibi consecro, tibi omnia mea dedico, & specialiter quod in e-

xamine

xamine particulari quæro. Da humilitatem, da obedientiam, da castitatem, da patientiam, da perseverantiam. Hæc ante te positus mendico. Fiat voluntas tua in omnibus circa me.

2. Adoro te propter te solum, nolens à te ullum commodum meum nisi gloriam tuam. 3. Et hoc, uniendo meam hanc adorationem cum genuflexione Christi in horto. 6. Sis benedictus pro omnibus quæ mihi, amicis, & inimicis meis præstitisti. Parce illis Domine, imò da illis gratiam, quia me hostem tuum persequuntur. Tibi vivam, tibi moriar. Angeli colite hunc Dominum & pro me. Dic ter *Pater. & Ave*, in gratiarum actionem, quod hoc Sacramentum Christus instituerit. Et B. V. quod hunc genuit Institutorem.

Meditatio: *Doctrina.*

1. INtentio. 2. Dolor de peccatis. 3. In unione similis actionis

Christi in horto. 4. Et ad ejus imitationem. 5. Invocatio fiat auxilii. 6. Si cum aliis sis, nulla suspiria fac aut motus. 7. Ex obedientia statim incipe. 8. Velis sine distractione. 9. Prævide tibi quid velis in ea meditatione quærere: id est, quam virtutem implantare, aut vitium impugnare. v.g. legendo puncta, statim adverte, quò punctum illud collimat, v. g. ut sis patiens. Tum vide, quæ ad hoc media, sive motiva proponit, ea expende & plura collige, tunc vide in quibus occasionibus sis impatiens, ac propone. Semper autem finis sit practicus. Lacrymas noli conari exprimere, quia sic fieri posset, ut tibi caput læderes, nec etiam nimias imaginationes, sed ut convincas intellectum tuum labora, ut v. g. apprehendat id honestum; utile, necessarium esse pati: hinc fiet voluntas ut desideret. 10. Flecte sine fulcro, si corpus permittit, aliàs in sel-

la humili confidere poteris. 11. Si non succedit aliquid, ex illis assume, quæ pro vacuo tempore hic ponimus.

Recollectio post Meditationem solet esse. 1. An proficias deficiasve in oratione. 2. An præparationem præmiseris & quantam? 3. An per intellectum, an verò imaginationem, plùs laboraris. 4. An cum labore & violentia, an verò cum facilitate egeris. 5. An uni materiæ constanter inhæseris. 6. An sine interruptione & imaginationis evagatione. 7. An habueris imaginem vel aliquid exterius, quod te permoverit? 8. An potiùs ad affectus actusq; virtutum, quàm ad alia attenderis. 9. An discursu te occupaveris. 10. An cum fide viva petieris. 11. An possis ordinariè eundem modum servare, an cogaris variare.

Praxis.

1. Dic initiò, propter te adorare volo te. 2. Credo, spero, amo,

doleo! 3. Et hoc in unione Orationis Christi in horto, quem mihi ut Exemplar ad imitandum propono. 4. *Domine lab. a mea aperies &c. Deus in adiutorium meum intende.* 5. De te solo & unico volo cogitare, tu cor meum omnibus aliis occlude.

Adoratio Christi in Eucharistia.

1. ADoro te colendissime DEUS. 2. *Invocatio.* Adesto miserabili creaturæ tuæ, ut videat dona tua: 3. *In fine* vide, quomodo præludia & puncta percurreris. 4. Si aliqua veritas tibi clara innotuit, quæ te magis movere possit, eam adnota: ut postea eam legendo te excitare possis, & sæpius de die volvas, poterisq; ex ea jaculatoriam formare. 5. Adnota propositum quale fecisti, dum non sit exoticum. Deniq; in fine fac Recollectionem, dicto modo.

Sacrum.

Doctrina.

1. IMaginare te sub Cruce stare cũ Magdalena, & tibi dicere Christum. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* 2. Velis optimè audire, & ad honorem Christi, & imitationem. 3. Per singulas partes ad mysteria passionis meditando attende. 4. Desiderium Spiritualis Communionis in te excita. 5. In aliquo te mortifica, v.g. non respiciendo quidquam. 6. Offer Sanguinem Christi ad eam intentionem, ad quam ipse obtulit. 7. Protestare de castitate. 8. Desiderium habe, quod velles interesse omnibus, quæ in mundo aguntur. 9. Hoc sacrificium habet quatuor. Cultum, Propitiationem, Impetrationem, Gratiarum actionem; hæc exprime. 10. Attende, ne clariùs orando, alios impedias. 11. In fine, an hæc serva-

veris,

veris, te examina. 12. Indulgentias velis si quæ sunt, consequi. Et ut hæc actio sit dispositio ad illud Sacramentum, quod ante mortem ultimum accipies.

Praxis.

1. EN sto sub Cruce IESU mi, & oras pro me, te offendente. Dimitte illis, nesciunt quid faciunt. 2. Volo huic interesse sacrificio, in unione tuæ Divinæ intentionis, quâ illud peregisti, idq; ad imitationem tui. 3. Utinam omnibus sacrificiis quæ toto orbe peraguntur, interesse possem, sed & hæc tibi affectu omni possibili offero. 4. Et sanguinem tuum, qui in illis funditur, ad illam intentionem, ad quam ipse obtulisti. 5. Volo impetrare ne in peccatum mortale aut aliquod aliud illabar, ut obedientiam, perfectionem, amorem inimicorum, patientiam, castitatem, ardorem salutis proximorum [illegible]

res ad tuum obsequium, voluntatis meæ ad tuam conformationem, & animas Parentum & fratrum &c. è purgatorio liberem. Et memoriam Passionis Dominicæ, & Compassionis B. V. obtineam, ac, ut ei plures compatiantur impetrem: ut gloria Dei quibuscunq; modis augeatur, & id obtineam, quod Deus maximè appetit: ut ab eo orem, ut contritionē in morte habeam. Ad eam intentionem id ipsum facio, quam unquam tibi gratissimam aliquis Sacerdos celebrans habuit, aut habere potest, & quam Christi humanitas, & B. V. in his circumstantiis haberet; ut donū orationis consequar, & illis qui pro me orant gratiæ dentur, & prudentiam, & inoffensum cum hominibus agendi modum habeam. & hoc audire sacrum volo in honorem S. N. N. & illius Sancti, cujus die moriturus sum. Ut hæc oratio & actio mea, sit dispositio ad ultimum Sacramentum,

quod suscepturus sum. Et omnes intentiones colligo omni modo possibili, quas fecisset aliquis Cherubin, aut humanitas Christi, aut ulla alia, quam sibi gratissimam facere potest Omnipotentia Dei, creatura. In honorem ejus Angeli, qui ejus cubiculi, in quo moriar, curam habebit, in honorem ejus Sancti, in quo sibi maximè Deus complacet, & quem hoc momento vult coli ab aliquo homine, & in honorem ejus, qui mihi plures gratias impetravit, aut impetraturus est.

In satisfactionem pro peccatis meis, & defunctorum parentum, fratris, &c, & quibus detraxi, aut damna aliqua intuli, & qui mihi benè fecerũt, & qui malè; & ut compensem cultum, quo Deus à peccatoribus privatur.

In gratiarum actionem pro creatione, redemptione, vocatione, & sanitate, perseverantia, quòd non sim

permissus toties mori, in tot pericu-
lis, quòd his modis à Deo ductus, fide-
afflictus; quòd profecerim, inspira-
tiones habuerim, confusus fuerim, &
quædam non adverterim, pro ijs do-
nis quæ mihi cum speciali voluntate
Deus dedit, & quæ sunt effectus meæ
prædestinationis, quæ dedit ad inter-
cessionem B. V. & S. N. pro eo, pro
quo gratissimus ero, si fuero in cœlo;
pro eo, quod sum reprobatus ob mea
scelera, si sum talis; quia tu in hoc es
Deus justus, & iam tibi gratias ago,
quòd ex decreto tuo sim arsurus in æ-
ternum; pro eo, pro quo ut gratias
agerem maximas, in cœlo instigaret
me aliquis amicissimus Sanctus: pro
omni eo, pro quo gratias acceptissi-
mas Deo aliqua creatura ageret, &
pro quo si agerentur, gratissimum
esset Deo. Illa ego hic facio omnia,
& corrigo, si erro; quæ Christ[illegible]
[illegible] quæ B. V. quæ S. N. ad-
[illegible], [illegible]
agunt

agenda, inspirasset Deus quàm infinito amore amâsset, quæ lachrymæ Christi, & B. V. merentur, ut fiant, & tali modo, qui, alicui creaturæ, Eremitæ, Martyri, Doctori, occurrit, aut possibile est eum occurrere aut infundi. Quod ego cogitare non possum, nec mihi occurrit; & tali actu volo, qui compensaret omnem gloriam quæ surripitur Deo, per tot peccata, damnatos, & Angelos malos. Sed neq; hæc ô mi amor, ô amor mi, qui sum extremum malum, summè amas, sunt enim hæc extrinseca bona tua, sed id ego volo, quod tu ipse scis, & quod si esset, gustum tibi faceret, qualem nulla creatura facere potest, & quod tu tibi optares, si posses optare, fieri, & quod decet tuam sanctitatem, ut optares. Et quod si essem Deus, & tantùm amarem Deum, ut seipsum amat, possem excogitare & velle, in omnibus circumstantiis, accidentibus, & sub-

ſtantiâ, & ampliùs, quòd tum co-
gnoſcerem.

Dum introitus fit, cogita Orationem Christi in Horto.

Dum Epiſtola, flagellationem.

Dum Evangelium, ſpineam coronam.

Dum Sanctus, Crucis baiulationē & affixionem ad crucem.

Cum memento. Ad caput Christi commenda Eccleſiam, Regnum. Ad manum dextram amicos, benefactores, parentes. In mortuorum memento, eodem modo mortuos.

Ad ſiniſtram. Inimicos etiam illos, qui ſunt futuri tales.

Ad pedem dextrum, qui ſe tuis orationibus commendârunt.

Ad ſiniſtrum. Qui maximè egent, & nullus pro ijs orat.

Ad latus, teipſum. Dicendo o Domina mea. Vel ſimile quid.

In Elevatione. Crucifixionem. Reſpice Pater in vulnera Filij, reſpice

Fili in lachrymas Matris, scis quibus egeo, per utraq; precor. Tum aliquas alias Orationes v. g. Pia Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo validè, &c.

Fractio Hostiæ Mortem Christi Domini tibi commemorabit. *Communio.* Eius sepulturam. Et simul communica spiritualiter. Dicendo cum dolore de peccatis. 1. *Agnus Dei qui tollis.* Deinde 2. *Domine non sum dignus.* 3. *Invita illum.* O mi IESU dulcissime, spes suspirantis animæ, te quærunt piæ lachrymæ: te clamor mentis intimæ: qui te gustant, esuriunt, qui bibunt, adhuc sitiunt. 4. *Actus alios.* Credo, spero, amo, doleo. Tibi vivam tibi moriar. IESUS & Maria mei dulcissimi amores, patiar ego &c. 5. *Gratias age* atq; si recepisses, unde hoc mihi, ut Dominus meus sit paratus ad me venire. 6. Ita te gere totâ die, ac si communicâsses verè sacramentaliter, & hoc fiat, ut ad Sacramē-

rum te disponas. *Post Sacrum.* Te Deum Laudamus, & examina an hæc puncta impleveris. Et hoc ex templo redeundo facere poteris.

Manibus laborando.

Doctrina.

1. INtentio, aut plures ex alibi scriptis. 2. Ea magis facienda cum vacat, in quibus plus exercetur humilitas, & charitas. &c. 3. In unione actionis similis Christi, & ad imitationem illius quomodo ille se, quoad oculos, manus, pedes, affectum, gessit. 4. Auxilium invoca. 5. Plurimas iaculatorias, aut eandem sæpius elice. v. g. Amo te. Propter te. Tibi honor mihi cõfusio. Amo te, & da ut amplius amem. 6. Aliquid fac quo mortificeris, ut quod leviore brachio posses, facias plenius. 7. Attende ut sine clamore, denudatione corporis non necessaria, levitate &c. facias. 8. Quia propter Deum agis, eadem dili-

diligentiâ agas, si nullus spectet, atq; si plures.

Praxis.

1. PRopter te DEus volo hoc facere; qui nihil sum dignus propter te agere, & hoc in actionis Christi unione similis, quam & imitari hîc propono, dummodo me qui nihil ex me possum iuves. Iaculatoriæ repetantur. Postea examina, an hæc feceris, si non fecisti, dole, & propone in alijs actionibus diligentiam.

Libri spiritualis lectio.

Doctrina.

1. EUm elige, qui non tam rara, subtilia, sed affectum moventia contineat, quales sunt vitæ SS. & alij affectuosi libri, hanc lectionem quotidie saltem mediá horâ legas. Sine hoc nec fervor, nec oratio, nec meditatio, procedet. 2. Accedas cùm desiderio magno audiendi

quid Deus loquitur. 3. Invoca illius auxilium. 4. Gratiam pete, te humiliandi, 5. In unione actionis similis Christi, & ad eius imitationem. 6. Desidera quam optimè agere. Lentè legas, recogitando. 7. Mortifica te, vel stando lege, vel sine reclinatione &c. 8. Ora, ut Deus acceptet hanc lectionem: per modum dispositionis ad Sacramenta: quæ ultima accepturus es, imò & ad proxima. Ideoque potes adorare SS. Eucharistiã à longinquo. 9. Sæpe iaculatorias repete invocando lumen divinum, & omnes alias cogitationes exclude. Oculorum modestiam, strictum silentium serva, nugas, iocos, relinque. 10. Recollige quid didiceris.

Praxis.

1. Illumina Domine his, qui in tenebris & umbra mortis. 2. Sine tuo lumine nihil est in homine. 3. Revela oculos meos ne unquam obdormiam in

am in morte : lucerna pedibus meis, verbum tuum. 4. Quid est enim homo quod memor es eius? 5. Unio hanc lectionem meam cum Christi lectione, quem mihi proponendo ad imitandum, volo id, ad quam maximam gloriam tuam peragere. 6. Moriar o DEus mi, nescio quando, da ut dignè ultimum Sacramentum accipiam. Post, examina te de his.

Colloquendo cum aliijs.

Doctrina.

1. OMnibus convenientem reverentiam exhibe. 2. Eos loquẽtes non corrige, nec, dum loquuntur interrumpe. 3. In nullius vultum oculos defigas, sed inferiùs. 4. Cum iunioribus rarò, & graviter, breviter, suaviter ; age. 5. Nullius manus ex levitate, nec vestes attinge. 6. In angulos, ad colloquendum non confuge: nec eos sectare socios, qui sunt

leves, dissoluti, conqueruntur de rebus domesticis, omnium facta ca- rpant, obmurmurant, ad violationẽ legum inducunt. 7. Omnia quantùm possibile, etiam dum alij carpunt, excusa, maximè sui statûs, quia per hoc charitas noscitur. Nova non appete scire. 8. Cave, spiritualiores & ferventiùs Deo servientes irrideas, permitte, omnis Spiritus laudet Deum. 9. Accessurus ad colloquium, prævideas quid spirituale ad loquendum possis inducere, nõ minùs enim hoc est utile, ac Meditatio. 10. Non quæras magis iocosos, risum movẽtes. 11. Erga omnes, signa optimi affectûs ostende. Ludos inusitatos non induc. 12. Nec ad confidentias, quæ reverentiam tollunt descende, ut sequantur leves compellationes, cognomina, tactus liberi. 13. Sis lætus, sed cùm modestia. 14. Non contende, etsi tibi res contraria videatur certa. 15. De te nil loquaris bene,

te; aut malè, nec quid aliquando passus fueris, nec etiam de alijs quos hi qui adsunt nôrunt. 16. Non compara alios cum alijs maximè superiores; nec sputa projice, nec manus hucapsa tene, nec pedem pedi superpone sedendo, aut eos inquietos tene. 17. Nec clamosiùs loquendum, quàm ut is audiat cui loqueris. 18. Mortifica te agendo cum alijs, qui te offenderunt, vel à quibus tua natura abhorret. 19. Intentio. 20. In unione actionis Christi, dum post ultimam cœnam cum suis colloqueretur, ad eiusdem imitationem. 21. Roga DEUM, ut non labaris in lingva tua. 22. Et hoc repete sæpius. 23. Iaculatorias frequenter intermisce.

Praxis.

19. PRopter te DEUS, ut tibi gustum faciam, hanc miserrimam creaturam tuam, quæ sum ego in colloquium immittendo, quæ nec digna

est ut ab hominibus nominetur, re-
spiciatur, imò quam nec ipsi dæmo-
nes dignentur alloqui. 20 Et hoc in
unione illius colloquij, quod Christus
habuit cum suis, post ultimam cœnā.
21. Pone ostium circumstantiæ labijs
meis, ut non delinquā in lingva meā.
Post colloquium, te examina, propo-
ne, dole. Hoc, in reditu à colloquio
fieri poterit.

Examen Particulare.

Doctrina.

1. CONscribe tibi defectus in quos
frequentius laberis, & fac li-
neas in hunc modum. Prior pars pro
matutino, altera pro pomeridiano
tempore. Et quavis linea pro una
die septimanæ ea nota, quoties dcli-
quisti, & sic vitia exstirpabis, virtu-
tes acquires, toties pectus percute,
aut actum doloris elice. 2. Attende
ad numerum defectuum exactè. 3.
Defectus primò debent externi sumi

& qui oculos incurrunt aliorum, deinde virtus illis contraria.

Praxis.

1. PRopter te, ut summè te recreem Deus perfectissimè. Volo perfectionem meam curare, & omnem intentionem colligo, quam aliquis Sanctus, tibi gratam habuit, aut habere potuit: & hoc in unione examinis, quod fecisset Christus, ut illum imiter, ideoq; perfectissimè volo. Per eiusdem merita his tenebris affulge. In fine dic peccavi. Haccine decent Filium tanti Patris, haccine debuit pro sua excellentia & beneficijs à me expectare tantus Pater? Sed non erit hoc ampliùs. Adesto B.V. adesto Angele, incipio, dixi nunc cœpi.

Accipienda autem vitia in quæ sæpius incurris, aut virtutes quarum frequentior occasio, & ad idem meditationes & preces converte, quo

ma

magis voluntatem tuam promoveas, & libros de ea virtute, lege. Et ut magis recorderis, signum tibi aliquod constitue in eo loco, in quo frequentius agis.

Examen Generale.

Doctrina.

HÆc puncta contineat, 1. Lauda. 2. Ora. 3. Memora. 4. Luge. 5. Propone. 6. Satisfac. Et hoc ad 5. vulnera Christi. *Lauda.* Ad Caput &c. 7. Intentionem fac, & propone te ad imitationem Christi velle facere, & in unione actionis illius. 8. Mortificationem tibi impone, pro pœnitentia. 9. Examina te, an hoc diarium servaveris. Deinde per horas singulas ab examine præterito, quid in illis deliqueris: verbo, cogitatione, opere, omissione, circa Deum, proximum, teipsum, circa quinque sensus, circa mortificationes huius diei, propositum in meditatione,

cae, examine particulari factum. Orationes ex devotione. Desidera confiteri, & actum contritionis elice, ac conatum tuum DEO offer. Atq; pœnitentiam iniunge.

Praxis.

1. CONstitue te coram Crucifixo, & audi vocem illius. *Popule meus, nunquid reddidi malum pro bono? diiudica me, quid amplius debui facere vineæ meæ & non feci?* Tum ad caput eius gratias age pro beneficijs naturæ, gratiæ, gloriæ. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, Nomini Sancto eius.*

2. Illumina oculos meos o lux tenebrarum mearum, emitte lucem tuam, & veritatem tuam &c. In unione mi IESU tui possibilis examinis, quia meum nihil est, ut sic saltem de tuo aliquid gratissimum faciam DEO, ideoq; volo optimè,

ad imitationem tui. Tum te examina. Vel, si placet ad 5. vulnera Crucifixi Examen facere. Lauda ad caput. Ora ad dextram. Mem: ad sinistram. Luge ad pedem dextrum. Propone ad sinistrum. Satisfac ad latus. 10. Hæc ego tibi, qui pro me es crucifixus, & propter hanc tam ingratam Creaturam es crucifixus: Pater peccavi in cœlum & terram, & non sum dignus vocari coram te filius. Peccavi Domine, peccavi, & iniquitates meas agnosco, ne damnes me in infima terræ loca, quia tu es DEUS, DEUS pœnitentium. Laudate Dominum omnes gentes. Laudate Dominum de Cœlis. Amore tui supra omnia doleo, & te amo super omnia. O ita fiat, ita decerno, ita statuo.

Examen

Examen Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

O IESU mi! qualis fuit mea prima cogitatio, quam ego habui in hac die? Doleo, quia de te non fuit, sed timui, ne esset hora tarda ad vocandas tuas creaturas, ad te laudandum, nec fuit ad offerendum me tibi, nec ad honorandum. Deinde O IESU mi! contuli me ad chorũ, ut me tibi offerrem, sed non remisi me in toto & per totum, in voluntatem tuam. O Benignissime IESU, & quam misericordiam à te potero ego recipere? quia non religavi me totam in te: fac mecum misericordiam Domine mi, etsi eam non merear, sed potiùs mille infernos. Postea quando ivi ad laudes tuas, majorem molestiam percepi ex ijs, quas vidi delinquere in aliqua ceremonia facienda, quàm habuerim curam honorandi & offerendi laudes

meas in unione illarum, quæ sunt in beatis spiritibus, bene possum à te petere misericordiam, o Magne Deus, quia in eo quod ad te pertinet, quod est laus tua, commisi tantas imperfectiones. Deinde quando ivi ad recipiendum corpus, & sanguinẽ tuum, quæ debebam venire cum omni affectu possibili, doleo quod nõ habuerim intentionem faciendi hoc in memoriam tuæ Passionis, sicut dixisti: imò nec quidem cogitavi animam meam unire tecum, sed cogitavi, quomodo possem quietum reddere cor meum. Quando ivi ad recipiendum sangvinem tuum in Sacramento pœnitentiæ, magis consideravi quid debeam dicere tuo Christo, (id est Confessario) ad quietandum cor meum; quàm beneficium quod mihi facis lavando animam meam in sanguine tuo. & non confidi in te, quod mihi esses daturus auxilium, & acquietandi cordis mei gratiam.

O Deus

O Deus meus! & qualia fuerunt verba mea prima, quæ protuli? Fuerunt reprehensiones, & mea locutio parùm mansveta, causa fuit, ut cor meũ inquietaretur: sed quod fuit pejus, defeci in charitate, quia quando vidi cor ejus inquietum, non curavi illud acquietare. En mi Deus quid ago ex tanta tua unione, & ex lumine quod mihi das? quod si dares alteri creaturæ, magis erga te esset grata. Et ego misera & infelix non percipio ullum fructum, quia deficio in charitate erga creaturas tuas, parce mihi per tuam passionem. Deinde quando ivi ad alloquendum creaturas tuas, doleo quòd magnam hypocrisim admiserim, faciendo, ut pluris æstimer, quàm sim. Quamvis annuerim creaturis tuis, tamen non sum merita, ut illæ me intelligerent, ostendi me habere animam tibi unitam, & tamen non sum merita, ut illæ me intelligerent (hæc dixit ista

Sancta,

Sancta in extasi) tu scis quia ego sum, peto à te Deus meus misericordiam, ob hanc magnam hypocrisim, & tibi offero sanguinem tuum pro me effusum, cum tanto amore. Si me millies ad infernum Deus meus, ut mereor, justè me poteris mittere infra Judam, quia te adeò offendi. Ivi postea ad dandum necessarium cibum corpori meo, sed quam intentionem habui honorandi te? Quia non sum recordata offerre tibi tot & tot pauperculas, qui fortè diu pulsant fores, ut invenirent unum bolum panis, & fortè eis datus non fuit. Ecce mihi miserabili, sine aliquo meo labore, & quod pejus est sine ullo merito meo: provisum est in Religione, sed quando debeo sustentare corpus meum, & non tantùm, sic te offendi, sed præterea, quia causa fui, ut illa sponsa tua tot verba proferret, cùm tamen scirem non licere loqui in tali loco. Ecce Domine mi, in omnibus

operationibus meis invenio, quod
offenderim te, quomodo ergo pote-
ro apparere ante te, ad petenda à te
dona, & gratias & commendare tibi
creaturas tuas, quandoquidem te a-
deò offendi, ut non mereat, ut facias
mihi misericordiam. Sed ille amor,
qui te movit ad veniendum in terrã,
& ad spargendum sangvinem tuum,
ille te molliat, ut miserearis animæ
meæ. Deinde quando non ivi ad
laudandum te, simul cum aliis spon-
sis tuis, fuit tantum mea culpa, quia
quando illa anima dixit ne irem,
subitò consensi ne irem. O IESU
mi, si me rogasset, ut facerem ali-
quam charitatem, non ita citò di-
xissem me facturam. O Deus meus
quomodo ego possum sperare, ut ad
te eò veniam, ubi te semper sim lau-
datura cum spiritibus beatis, siquidẽ
defeci in laudando te, simul cum so-
roribus meis. Offero tibi sangvi-
nem tuum, quo mediante facias mi-

hæ misericordiam. Et in illo opere quod ego feci, quam intentionem habui honorandi te? O Deus meus siquidem magis dolui de tempore, quod tu donando mihi offers, quam doluerim quod omisi, offerre animam meam tibi, annui quidem vi gunculis tuis, ut servarent silentium, sed non consideravi quantopere obligarer ad tuendam animam tibi obligatam & unitam. Deinde quando debui invocare spiritum S. eram adeo mente remota à te, ut mihi non veniret in memoriam modus, quem debebam tenere, adeò ut illæ, quæ minore tempore sunt in Religione, fuerint me prudentiores. Ecce Deus in omnibus meis occupationibus defeci, quomodo ergo potero apparere ante bonitatem tuam, cum te adeò offenderim? Denuò tibi offero sangvinem tuum, quo solo mediante spero veniam. Et quantum deliqui ô Deus meus! quando debui facere aliud

aliud opus, ne sentirem parùm laboris, in amovendis passionibus deliqui inquam in eo, quod tenebar facere, rogavi alias ut mihi exhiberent charitatem, & interim omisi illam exhibere animæ meæ. majorem curam habui, ne parum laborarem, quàm ne tu à me elongareris. In omnibus operibus meis invenio defectus. ô Deus meus! quid ergo debeo facere? O Deus meus! Si te offendi adeò, hoc die, nolo offendere ultra ultimo, quod esset, si non considerem in te, & in misericordia, scio bone Domine, me non mereri veniam, sed sanguis, quem aspersisti pro me faciet sperare in te, quod mihi sis condonaturus.

Dum Hora sonat, Doctrina. & Praxis.

FAc istam brevem recollectionem. 1. Consisto ante tuum tribunal ô Deus! 2. Ratio tibi reddenda. 3.

Ergo sum nihil aliud nisi peccatum, & carbo inferni. Ah utinam agnoscerem meum officium, uti Christus agnoscebat, quem imitari volo. Volo sequentem horum melius expendere, nec tua abuti patientia. Examina te breviter. 6. Dic Ave Maria, &c. IESUS & MARIA dilectissimi amores. Gratias ago tibi pro vocatione, &c. peto conservationem ejusdem. 7. O panis æterne exspecto te! O mi Angele! O mea Mater! Ex te, in te, per te. Deus meus, omnia. Oro te mi Iesu, per Matris tuæ ubera. Oro te ô Mater per Filii tui vulnera, facite mecum unde Deus delectetur. Benedico, credo, spero, amo, doleo. Requiem æternam dona eis Domine.

Mensa Doctrinæ.

1. COgita te forsan inter Sanctos in cœna ultima Christi considere. Et humilia v. g. te, a. Morti-

fica te in sapidiore bolo, aut aliter. Nunquam autem tantum comedas ut ineptus ad orandum, & negotia, reddaris. Nec ullum disgustum osten- de, si ad te non spectas: si malè para- tus sit cibus: nec ad partes, quid ali- is appositum, prospice nec, si strepi- tus accidat. 3. Intentionem forma. 4. In unione ultimæ cœnæ Christi offer, & ad imitationem illius come- dentis. 5. Assiduè intentionem re- nova, & cum bibis Christo sitienti & felle potato propina, cùm edis, Eu- charistiam cogita; ad omnes bolos, in mente dic, *propter te Deus*, subin- telligendo aliquas intentiones. Le- ctioni, si est, attende: aut dictis alio- rum. 6. Cave, ne comedendo, in bo- nos mores pecces. 7. In benedictio- ne & gratiarum actione, sta, veluti mendicus à Domino refectus.

Praxis.

ME qui indignus sum, ut mere-

ra portet, ad suam mensam veluti sponsam dilectam vocat Christus. O Domine! unde hoc mihi, unde hoc cibi? indignus sum omni bono; propter te itaque solum, huic indignissimo homini dabo cibum, &c. Idque in unione ultimæ cœnæ suæ, & te in omni motu linguarum, oculorum cordis, imitari volo.

Post mensam dic Te Deum laudamus, vel aliquid simile. Et supra hæc puncta te restricte, & visita Venerabile Sacramentum, aut à longè quod adora. Pro benefactoribus addere convenies aliquam brevem orationem.

Scribendo ea servanda, quæ supra de operibus manualibus diximus.

Potes tamen cogitare, quantam amaritudinem habuit Christus Dominus, quando scribebatur decretum ejus mortis.

Doctrina.

n. INtentio. 2. Desiderium remissionis peccatorum. 3. Humilitatis. 4. Potes petere, ut omnia opera ad sequentem confessionem imponantur, tibi in pœnitentiam. sic erunt pars Sacramenti. 5. Unum vitium accipe, à quo singulariter cavere statue ad sequentem confessionem. 6. In unione illius Christi humiliationis: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu tuo semper.* 7. Plures actus contritionis ex variis libris lege. 8. Actus humiliationis. 9. Spei. 10. Et alios elice. 11. Quæ te magis confundunt, ea primò dicas. 12. Ora ut hæc actio sit dispositio ad ultimum Sacramentum, quod in fine vitæ es suscepturus. 13. Ut Indulgentias consequaris, si quæ sint, labora. Remedia sunt hæc peccatorum; frequenter renovare desiderium vitandi hoc & hoc peccatū. 2. Mane surgendo, actum protesta-

tionis quod nolis peccare, eligere. 3. Ante opera intentionem præmittere. 4. Attende illi soli rei, quæ est præ manibus, & aliarum omnium pro tunc obliviscere. 5. Cogitare quod te spectet Deus. 6. Christum sibi ut exemplar agendi, proponere, quod facit, ut sit actio religiosa Christiana. 7. Recolligere se singulis horis. 8. Nunquam otiari. 9. Cum te tentari advertis, protestari coram Deo: *Domine vim patior, responde pro me.* 10. Summè desiderare proficere. 11. Quodvis opus expressè velle bene peragere. 12. Præcogitare, an velit Deus hoc à me fieri, & qualiter?

Praxis.

1. ACcedo totus nudus miser, miserabilis, ut me dites & induas veste gratiæ, non propter me, sed ut tu ex hoc solatium habeas, quia hoc tu summè diligis. Et hoc ita appeto, qualiter tu es dignus, ut tibi aliquod

gratum à creatura appetatur, & minus me decet appetere, & in omni possibili tibi placere intentione. 2. Parce Pater, etiam catelli edunt micas, quæ cadunt de mensis dominorum suorũ. Ego dignum me omni damnatione judico, sed quæ tibi utilitas in sanguine meo? & nunquid, qui descẽdunt in infernum, laudabunt te. Da Pater, ut ad te accedam, ut conculcato damnabili pudore, omnia quæ meretur hoc Sacramentum, impleam. 3. Ad nihilum redactus sum & nescivi, humiliata est in pulvere anima mea, exsurge Deus, adjuva me: ab occultis meis munda me: & ab alienis parce servo tuo. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? 8. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. 9. Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi

tempus, in quo recorderis mei. Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Verum etsi me occideris, in te sperabo, in te speravi non confundar in æternum. Spera anima mea in Deo, quoniam adhuc confitebor illi &c. Heu mihi, quia peccavi, pœnam non recuso, dum parcas.

Deinde confitere.

Post Confessionem. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem. Non est similis tui Deus in cœlo desuper, & super terram deorsum. Tu es, qui facis mirabilia. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Suavis Dominus universis, & miserationes ejus, super omnia opera ejus. Ecce tu es pulcher dilecte mi & de-

rus. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum, quoniam eripiet me à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

Fiat Examen, quomodo peregisti hæc.

Rosarium B. Virginis.

Doctrina.

1. IMaginare tibi quasi visibiliter appareret B. V. & te eam alloqui. 2. Fiat intentio. 3. In unione Orationis Christi, quam habuit è Cruce ad Deum. 4. Desiderium optimè faciendi ad imitationem Christi hic Orationem, sine distractione. 5. Dolor sit de peccatis, ut tua sit gratior Oratio, si sustuleris peccata, quibus teneris. 6. Mortificatio aliqua. 7. Ne sibiles, aut clamosè ores, aut alios turbes. 8. Si solus, sis ad Sanctissima Nomina IESUS *Maria* genuflectere

pore. Aut caput specialiter incli-
nare. 9. Ora ut hæc oratio sit dispo-
sitio ad ultimum Sacramentum, quod
es accepturus. 10. Ut indulgentias
consequaris. 11. Aut ad verba atten-
de, aut ad sensum, aut ad personam,
quam alloqueris, aut mysterium co-
gita. 12. Ad singulas decades potes
invitare Sanctos, ut tecum B. Virgi-
nem colant, & in fine eos roga, ut te
desinente, eam non desinant etiam
nomine tuo laudare, eiq; necessita-
tes tuas, & animas in purgatorio,
commendare. Invita, ut gratulentur
ei bona v. g.

Ad 1. Decadem, novem Choros
Angelorum, præcipuè S. Gabrielem,
& tuum Angelum custodem.

Ad Decadem 2. SS. Patriarchas,
Prophetas, & Reges, præsertim SS.
Ioachim, Annam, Ioseph.

Ad 3. Apostolos, & Discipulos
Domini, & Doctores.

Ad 4. SS. Martyres, & Eremitas,
Con-

Ad 5. SS. Confessores & Religiosum Fundatores, ac alios Religiosos.

Ad 6. Virgines, & viduas. Deinde juxta per mysteria recita coronã & in nullius gratiam facilè interrumpe, nisi ejus cui obedire teneris. Deinde examina te, an hæc observâris. Si non, dole.

Oratio vocalis, eodem modo fiet.

Breviarium, eodem modo.

Præter hæc.

Ad Matutinum.

1. Cùm dicitur Venite. Alacritatẽ cogita, cum quâ ibat Christus ad mortem. Et cogita quod inter Angelos positus sis, & quasi cum illo, qui in horto confirmabat Christũ. 2. Intentiones renova ad singulos Psalmos, &c. Et alia observa quæ posuimus, dum ageremus de Rosario.

Concionem audiendo.

Doctrina.

1. **A**Udi Christum è Cathedra crucis docentem, & velis ad imitationem ejus audire, quomodo ille Patrem suum audiebat, & cum quo desiderio, mandata & consilia, executus. Pete auxilium & lumen, dic *Veni S. Spiritus.* 2. Quæ dicuntur, tibi non aliis applica, & affectus similes Concionatoris in te excita. 3. Nulla est tam mala concio, ex qua fructum capere non possis, si velis, & illa recole Christi verba. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit,* nunquam itaq; irride, aut tibi displicere ostende, aut aliis displicentiam ostendentibus te socia. 4. Sæpius renova Iaculatorias. 5. In fine quomodo hæc servaris te examina. 6. Etiam hic adhibere potes, praxim quã in lectione libri spiritualis posuimus.

Oratio publica.

Doctrina.

1. **O**Mnia ut supra de Oratione vocali. Insuper, initio, flectendo adora Eucharistiam, & ad singulas invocationes expresse Deum, & Sanctos adora. Cum in Litaniis dicis: *Ora pro nobis* intellige, ut hanc virtutem assequamur, vel hoc vitium vitemus. Ad *Agnus Dei*, elice actus doloris.

Flagellationem, aut Mortificationes faciendo.

Doctrina.

1. **I**N unione illius flagellationis Christi ad Columnam. Ut ego magis humilier, Deus glorificetur. 2. Ad imitationem Christi, amore confusionis. 3. Hanc intentionem sæpius itera. 4. Dolorem de peccatis excita sæpè. 5. Roga ut hæc actio acceptetur, tanquam dispositio ad ultimum

timum Sacramentum, quod es susce- ptūrus, & pro animabus in purgato- rio. Gratias age Deo, quod tibi tem- pus concedit, quo possis pro tuis pec- catis satisfacere.

Praxis.

1. OFfero tibi, optime Deus, pro meis & alienis peccatis, omnes illos intensissimos compunctionis, Contritionis, ac detestationis affectus, quos unquam Christus elicuit, aliena deflens peccata, & quos alii verè pœ- nitentes de suis habuerunt, vel alie- nis. Quos omnes, si ego solus pos- sem, & alios omnes possibiles, el cere desidero, ut sit tibi ex his major glo- ria. 2. Volo ô odor suavitatis, & cupio, unde unde possum gustum tibi sapere, etiamsi me scirem damnandū. Video quàm sim miser, suscipe hoc. 3. Meam pœnam in unione illius, quam passus Christus. 4. Doleo ab summè doleo, quod te offenderim, & per-

& perhorresco quod adhuc offendere possim, ah non permittas, contere corpus meum prius. *Examen, an hæc omnia puncta impleveris.*

Communio.

Doctrina.

IMaginare, quòd veluti ad ubera ad sugendum, te latus suum Christus ex summo amore admovet. Tum intentiones eas renova quas *in sacri auditione*, habes. 2. Pro præparatione, offer duas dies ante, & pro gratiarum actione post, etiam ipsam præcedentem Communionem, & sequentem. 3. Accede, funem velut in collo gerendo. Veluti miserrimus. 4 Pridie cubitum eundo in desideriis huius cibi obdormi dicendo, *Quemadmodum desiderat cervus &c. Desidero te millies, mi IESV quando venies, ut* me de te ut saties. 5. Tum actus humilitatis elice & aliarum virtutum.

6. Pro-

6. Protestationem de Castitate servanda, & non peccando. 7. Angelum Custodem roga, ut in tuo corde, huic Domino paret locum. 8. Formulam votorum tuorum renova. 9. Memoriam passionis excita, 10. Dic Laudetur SS. Sacramentum aliquoties, & alia propter consequendas Indulgentias. 11. Offer in gratiarum actionem pro gratijs quas B. Virgini, & alijs Sanctis, maximè tuis Patronis, largitus est Deus. 12. Post Communionem saltem per horam sile. 13. Velis optimo modo peragere omnia, in unione eius communionis B. Virginis, quam roga, ut tibi concedat Filium. 14. Hos actus sæpissimè elice. *Credo, spero, amo, doleo, nihil sum.* Tum alias orationes legas. 15. Si os exsiccetur ne hostiam statim deglutire possis eò diutiùs te cum illa occupa, ac etiam in tuum cubiculum in ore ut illud consecres inferre poteris; ne tamen in ore non deglutita evanescat,

 nescat,

nescat, quia sic non communicares.
19. Ea die tota in actibus gratiarum, laudationis Dei &c. te occupa. Insi. nitè dic. *Te Deum laudamus*, & aud. sus eadem repeti possunt, quæ ante dicta.

Praxis.

QUis sum ego ô magne DEUS, quod tu ad me venias. Ego miserrimum nihil, imò nihilum nihili, ob peccata mea quibus te magnum DEUM & incomprehensibilem, tam nefarie, offendere ausus sum. Ego peior omnibus hominibus, peior ipsis diabolis, non tantùm existentibus, sed & possibilibus omnibus, ego indignus qui aliorum pedes aut vestigia osculer, ut me terra ferat, & de aliqua creatura cogitem. Indignissimus omni tuo etiam minimo beneficio. Tu tamen tam bonus es mi DEUS, ut ad me divertere, & in me manere velis. *Dolor.* O Domine ex toto corde doleo, quod unquam

te offenderim. O si possem commissa mea revocare, quàm vellem malè facta, nunc denuò optimo modo facere, & ea in virtutes præstantissimas, & hoc propter te solum, transmutare. Execror, abominor, omnia peccata, defectus, & imperfectiones meas, omni quo possum modo. Detestor iterum peccata mea eo modo quo tuus Petrus pœnitens, quo Magdalena, quo Augustinus, quo alij. Pœnitet me propter te, ô magne Deus, propter te, non propter me: quòd ego per ea demeritus sim cœlum; & merear infernum; sed quia te tam bonum Deum meum offendi. O si possem sangvineis lachrymis deflere peccata mea! absit, mi Deus, absit; ut imposterum aliquid faciam, quod offendat te. Omnes defectus volo ita cavere, idq; cum gratia tua (quâ sine nihil possum) ut in nullo unquam impingam, & offendam te. O si possem te, Do-

mine mi cum omni possibili fervore, devotione, amore, reverentia, puritate, in cor meum suscipere. Si id possem, vellem, Domine. O si te possem amare amore Angelorum bonorum, amore omnium Sanctorum totum. Amo Deus mi, amo te cum omnibus Sanctis Angelis tuis, & cum omnibus Sanctis tuis; Amo te cum unigenito Filio tuo. Et quidquid ego præstare tibi non possem pro me, tibi præstat Filius tuus dilectus, Dominus meus, Redemptor meus. Cujus tibi cor, suavissimis virtutum aromatibus conditum, ad debitam præparationem porrigo, & offero. Præsento tibi etiam thymiama suavissimi odoris, quem spirant divinæ ejus violæ profundissimæ humilitatis. Volo Domine, volo, & te æternum amare desidero. Et quia tu, ex tuo erga me indignissimum amore ineffabili, nunc unus mecum fieri vis; volo & ego me tibi obligare, & tibi unire

totam voluntatem meam. Itaq; Domine, propono servaturum me exactissimam obedientiam omnibus meis superioribus, ita, ut nunquam iis obluctari in ullo velim, nisi aperte sciam imperatum mihi contra tuam esse voluntatem. Judicium meum judicio illorum, totum subjicere volo. Et imprimis propono obedientiam Directoribus conscientiæ meæ. Propono, quod non velim desiderare ullos honores, ullas divitias; contentus iis, quæ mihi à te, Deus mi, concedetur, Et hoc tibi hospiti meo, ô dulcissime IESU, pro optimo fereculo dono. Accepto à te, piissime Domine omnem crucem, quam in me unquam immisisti, aut immittere potes, immittere vis, aut immittes, Gratias tibi ex corde ago, pro omni ea &c. Et præsero tibi ad debita gratiarum actionem omnes tuos dolores, sanguinem & mortem tuam, cum omnibus tuis meritis. Accepto

omnes

Omnes contemptus, irrisiones, iniurias, oblocutiones, & quidquid simile est. Pareo, & ignosco Domine, omnibus, qui me quocunq; unquã modo offenderunt; iniurias condono omnes mihi illatas ab ijs; idq; purè propter te, amantissime IESU. Ex osculor omnium eorum pedes, & vestigia. Excipio omnes in spiritu tanquam meos optimos amicos: etsi possem opere aliquid ijs boni præstare ex corde, libenter id facere volo. Tu Domine, da illis benedictionem tuam in omnibus, tam ad corpus, quàm ad animam pertinentibus. Tu fac ex omnibus maximos Sanctos. Rogo te etiam, Domine per quidquid rogari vis, da mihi ut plura patiar, & tam multa, quàm multa me tu pati ad maiorem tuam gloriam vis. Domine, offero tibi etiam omnia merita tua. 1. Pro animabus in purgatorio detentis. 2. Pro agonizantibus. 3. Pro afflictis. 4. Pro benefactoribus, quibus tuis meritis. Accepto

bus. 5. Pro amicis. 6. Pro communitate, in qua versor. 7. Pro omnibus Principibus Christianis, & Ecclesia Catholica. 8. Pro Iudæis, Gentibus, Ethnicis & Hæreticis. 9. Pro omnibus, pro quibus me orare decet, aut qui preces meas desiderant. 10. Pro NN. *In ipsa Communione.* Domine, amo te per teipsum. Patrem cœlestem, & Spiritum Sanctum, Amo te per Sanctos Angelos tuos, Cherubinos & Seraphinos. Amo te per omnes Sanctos tuos. Et quod ego non possum, id pro me præsta dilectissime IESU. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, Nomini Sancto eius. O amantissime IESU ama te, lauda te, benedic teipsum pro me. Ama & benedic tuum Patrem æternum pro me. Ama & benedic Spiritum Sanctum pro me. Ama deniq; & benedic omnes Sanctos tuos. *Post Communionem.* Quis ego sum, *ut supra ante Communionem.*

onem. Vide ô IESU, ego sum æger, & tu medicus, sana me. Amo te cum Angelis & cum Sanctis tuis, & cum unigenito Filio tuo, amo te per ipsũ, & eius tibi cor præsento. Amo te per te ipsum. O Domine IESU, tu mihi iam hic es præsens, cui meâ tepiditate sangvinem in Circumcisione expressi, ac flere feci. Ades, quem impuris cogitationibus, verbis, factisq; flagellavi. Ades, quem spinis meâ inobedientiâ coronavi. Quem irâ meâ ac invidiâ crucifixi. Cui latus corq; sacrum odio transfixi. O DEus ignosce mihi, ablue sangvine tuo sordes meas, propter te, ut tibi receptaculum aptum efficiar. Tu es Filius Dei vivi. Ego N. coram castissima Virgine M. & Angelo Custode, & tota cœlesti curia, tibi DEus cordis mei, quem hic præsentem habeo, & sanctè veneror, me sisto, ac protestor, me nolle ulli unquam peccato consentire, tũ maximè huic

N. non

N. non modò facinori faciendo, sed ne cogitando quidem quantumvis adversarij vim inferant. Malo dehiscat terra, quàm consentiam. Rogo te IESU per gratiam, quæ omni humiliter petenti cõmunicatur, confirma hoc propositum meum.

Amoris Actus.

AMo te, & nihil mihi pero, nisi propter te, mihi enim confundi & durè tractari bonum est. Ideò Beatitudinem quàm me sperare iubes, ideò tantum spero, & volo, quia tibi placet, & tu vis, etsi in donis, quæ mihi daturus esses, alius magis te glorificaret, & exhilararet, malo, ut is, ea potiùs habeat, quàm ego; quia nihil cupio ut mihi sit meliùs, sed ut tu inde gustum capias. Totum tibi detur, cui debetur totum. Et propter hoc solùm, quod tibi placeat, abjicio me infra homines omnes, & peccatores totius mundi, & hoc facerem, etiamsi essem tam Sanctus, ac Humanitas Christi.

Resignatio.

RESigno tibi, Pure propter te, corpus & animam meã, ad omnes casus, eventus. Volo quod vis, nolo quod non vis, nec peto à te quidquam, nisi quod est pro maiore gloria, & gustu tuo, nec à tentatione volo liberari, dum te non offendam, si tu scis illam prodesse ad gloriam tuam.

Actus amoris proximi.

AMo mi IESU proximum meum quàm possum ordinarissimè, & quia tu me amas, ut quod tibi rependere non possum, quia te nulla indiges, illi invicem rependam, & quia tu sic illum amas, & quia illum à me amari vis, & propter te amo tenerrimè omnes, qui me iniuria affecerut, vel persequuntur. Si possem Domine adducere aliquem ex inimicis meis ad maximam sanctitatem, ut ille plurima, & gratissima tibi obsequia

præstaret, & ut ille tibi gustum exhiberet, quàm hoc vellem! utinam possem præstare quàm plurima, ut etiam quamdiu durabit mundus tu à pluribus glorificeris & ameris.

Actus Benedictionis.

SIs ab æterno, & in æternum Deus, quia non est quod melius tibi velle possim. Gaudeo Domine toto corde quod quidquid omnes creaturæ tibi obsequij ex tui amore præstare conantur, id omne licet tibi longè sit impar, volo. Volo tibi servire, volo, quidquid possum, propter te agere: non mercedis aut pœnæ intuitu, quod servile est: neq; id eò solum, quia dignus es, aut solum ideo ut tibi placeam, vel etiam quia tibi placet, ut hoc agam: cùm hæc singula sine purissimo tui amore videant fieri posse; sed quia tu mihi summè places, & quia ob id te sincerè amo, ex hoc tui amore, & id, quòd tu es dignus, & id quòd tibi placet, agere inten-

intendo. Et quidquid in libris continetur, aut ullus intellectus tibi gratum excogitare, aut voluntas velle potest, omni perfectissimo modo: imò quidquid tu scis tibi fieri posse acceptum, & volo id, & cum gratia tua perficere cupio. Quæso te non patiare quidquam in me, quod non usquequaq; sit tuum, & divinum. Tolle à me omnia, amorem tui da, & nihil ampliùs rogo. Domine sicut formasti tibi Sanctos tuos pro tuo gustu & oblectatione, quæ mirabilior est formatio quàm totius universi ita potes & in me. O mi Deus rogo te per bonitatem & deitatem tuam, ut id facias, & rogo non ob ullum meum commodum, sed ob tuum gustũ & gloriam. Ecce ego in manu tua, sicut lutum in manu figuli.

PRAXIS DECIMA.

Tempus vacuum benè implendi.

1. DEambulando, passionem Christi meditare ex omnibus rebus visis, ut in praxi passionis.

2. Vias Passionis Dominicæ tibi dimetire, & eas perambula, & in singulis aliquid ora.

3. Imagines & loca miraculosa in variis locis tuarum ædium, tibi designa, & illas visita.

4. Lege Decalogum, & pro singulis præceptis, si ea observasti, dic Pater & Ave. Si non, etiam dic.

5. Conscribe tibi quid possis agere per otium.

6. Revide tuas res, an aliquid sit in iis, quæ si auferetur te turbaret, vel minus est Sancta.

7. Coronam recita, loco Ave Maria, solos affectus v.g. *Amo te*, vel alias jaculatorias.

8. Scripta spiritualia revide. Et tua proposita, lumina. 9. Cor-

9. Cogita Nosocomia, quot sint ibi miseri, & pro iis ora. Item Bella, pestes, in locis singulis; & pro afflictis precare.

10. Cogita, quanta in cœlo gaudia & cum singulis choris Sanctorum lauda Deum, vel ab iis ut mendicus pete aliquid.

11. Aliqua servilia fac opera, sancto modo.

12. Vitas SS. lege, & pro singulis Sanctis gratias age, ut etiam Deus sibi concedat eadem, pete. Dic *Ave Maria*. Et observa, quomodo illi tempora vacua impleverint. Compati, gratulari sancto, etiam erit sancta occupatio. Si nihil horum succedit, tum vel opera manualia exerce, faciendo aliquid, quod cedat pauperibus: vel spirituale cum aliquo institue colloquium, aut cantum, &c.

Eundo cubitum.

Doctrina.

1. JAculatorias tibi prævide. Iis quoties evigilaveris, eas itera. Dole, quòd ob somnum debeas cessare à laude Dei. Obdormi in præmeditatione meditationis crastinæ.

2. Utere praxi 6.

3. Cogita quòd cum Christo in sepulchrum ponaris, ad singula indumenta passionem Christi, ut supra. Lectus est sepulchrum, pulvinaria linteamina quibus involutus. Crucifixum tecum pone, ut cum eo obdormias, idq; supra cor, vel signum crucis supra cor. Quod etiam signa, per Imm. Concept. B. V. puritatem rogando, tum per confusionem ejus nuditate in Passione Christi.

4. Corpus modestè exue ut præsente quovis, & modestè in latus dextrum manibus per modum Crucis compositis decumbe, & cor, ut in-

surrectione diximus, Deo consecra.

5. Intentionem elice, quod ob solum gustum Dei, somnum velis, & in unione depositionis Christi in sepulchrum, & ad imitationem illius somni, modo perfectissimo. Fiat etiam animus.

6. Ante ingressum lecti versus Sanctissimum Eucharistiam adora.

7. Devotiones tuas aliquas ora, ac pro defunctis.

8. Ingrediendo lectum dic. *En vige inventus, & æternæ salutis, intro sepulchrum. Vellem te nunquam offendissem, doleo ex animo Redemptor mi, & propono sinceram emendationem, & diem crastinum ferventiorem. O Pater æterne, offero tibi tuum Filium cum omnibus doloribus, & vulneribus, & Matris eius lacrymis, pro omnibus peccatis, & negligentiis meis. O B. V. adiuva me, O vos omnes Sancti suscipite me! Angele mi, custodi me ab omni malo: millies mori eligo, quam in minimum peccatū consentire. Vestra.*

spiritualis desiderii; gustum ejus suavitatis, quem elegisti.

In latus denique te Christi infringe, ac dic: *in hac fossa me recondo, in foraminibus petræ, ubi latens incolumis & in pace conquiescam, nec ullum unquam timeam.*

Propositum. Utinam, quoties spiro, actum Cherubin amoris elicerem! & jam id constituo.

Confessio.

PRAXIS UNDECIMA.

Præter dicta superius hæc circa Confessionem expende.

1. QUi malè cõfitetur peccat graviter contra DEUM, illudendo illi: Sicut si aliquem velis deprecari, & alapam illi impingas. Sicut si hostis cùm se vult dedere, & interea insidiatur. Sicut si quis sæpiùs tibi infidelis tum proponat sincerè se tecũ acturum, & tamen fallat, ita Con-

fessio vitiosa gravis est, est sacrilegium, quia destruitur Sacramentum, sicut si bestia baptizetur. 2. Gravis injuria fit Christo, quia ejus meritis abuteris. 4. Quia eius locum tenentem, ac legatum turpiter decipis Sacerdotem, quæ gravissima est injuria Regibus. 5. Recordare illius in Evangelio, quomodo nequam spiritus assumit septem se nequiores. 6. Deus commisit te tibi, ut te diiudices: si te benè iudicaveris, ipse non damnaturus, tu tanti momenti negotium proditoriè agis. 7. Quid lucraris per hoc? nunc siles, deinde totus orbis in judicio extremo sciet. Subita mors, eos sæpè qui differunt, invadit.

De Confessione Generali.

Confessio generalis. 1. Auget meritum. 2. Tollit pœnas. 3. Compensat defectus aliarum confessionū. 4. Dat sui cognitionem, Ducit ad humiliationem. 5. Quietem animæ

concilat quoad dubia de integritate, 6. Auxilia gratiæ auget. 7. Emendationem promovet.

2. Siste te Sacerdoti ut Lazarum, ut filium prodigum, ut à latronibus relictum, implorantem opem Samaritani. &c.

3. Opus clarè dicere non palliando peccata, & fines peccatorum quare hoc fecisti, locum, si facer, personas cum quibus, numerum quot scandala, vel damna. Nemo proprio nomine indicetur, nec in alium culpa cojiciatur. 2. Venialia non requirunt numerum. Idem est de illis, quæ quis jam confessus.

Praxis.

1. COnsidera, quot annos vitæ habes, sint v. g. 20.

2. Septimum annum v. g. à quo ratione uti cœpisti, accipe, in quo loco, eo anno fuisti, cum quibus, ante in vijs, an in loco indulgentiaru

an in

an in castris, an in scholis, an pago, an in civitate, an domi, an extra; & multa tibi occurrent peccata quæ adnota. Eodem modo annum octavum, tum nonum, & sic sequentes revolve. In quolibet autem anno inspicienda erunt peccata infra posita, quibus habitis, circa singula peccata hæc inspice.

1. Qua intentione fecisti? nam furari, ut inebrieris, vel ut librũ obscœnum emas, aliud est, quam simpliciter furari, & sic de alijs peccatis.

2. Illud ipsum peccatum an coram alijs, an quot feceris, ita ut ipsis fueris exemplo idem faciendi, vel irridendo bonos, & sic à bono avocando.

3. An iusseris hoc ipsum aliquem facere, vel svaseris, protexeris, laudaveris.

4. An non impedieris si potuisti, cooperatus, iuvisti.

5. An hoc, cùm ab alio fieri vidisti, apud te laudaris, & apud alios,

6. An non detuleris alicui, qui poterat impedire, cùm poteras, & debebas?

7. An ita fueris affectus, ut factum tuus fuisses de ipsa, quod tantùm cogitasti, si potuisses? An verò solùm in mente diu retinuisti, an verò insuper cum voluptate recogitabas?

8. An illud paratus eras etiam in loco sacro facere.

9. Cui damnum fecisti, fuitne pauper? nam grossum pauperi furari, est subinde peccatum mortale. Item irrisisti, detraxisti, fueritne vir pro bono habitus, & coram quot.

10. Cum quibus egisti hoc peccatum, tunc illius causa fuisti? & quot induxisti? & quales personas?

11. In cogitationibus turpibus, quas tibi interim personas repraesentabas, sacras, profanas, viros, pueros, animalia?

12. Quomodo fueris antea confessus; an extenuandi, quia si hoc notabiliter fecisti invalida fuit confessio, ac notandum quoties postea confessus es & communicâsti, cor erunt peccata mortalia nova, & confessiones repetendæ. Et idem est, si ex alia causa, culpâ tuâ, fuit Confessio invalida.

13. An hoc ipsum peccatum ab alio exquisieris, suspicatus de alijs sis illos fecisse, vel iudicâsti, vel dixisti, & de qualibus, & coram quot?

14. An dubitando sitne peccatum mortale an veniale, illud omiseris confiteri, & quoties postea confessus, & communicasti? Item si accedens ad confessionem decrevisti aliquid tacere ex pudore, vel undecunq; etsi id postea es confessus?

15. An subaudisti alios confitêtes, vel secreta illorum rimatus, vel audita alijs patefecisti?

16 An de hoc ipso peccato fueris monitus ab aliquo, punitus, &c. & contempsisti?

17 An pœnitentiam magnam & quantam distulisti, omisisti?

18 An circa tale peccatum non sis mentitus aliquid in confessione, vel de eo gloriatus?

19 An audiendo aliena peccata habebas actus similia faciendi si posses. v. g. si essem judex acciperem munera, si miles raperem &c. si in hoc vel illo statu &c.

20 An ex manifesto contemptu, an ex malitia, &c.

21 An si non esset infernus esses commissurus, & tales actus habuisti, utinam DEUS non puniret peccare? &c. quoties &c.

22 An confessarium fallere decrevisti, Pœnitentiam pro gravibus non implere. Non restituere? Non valebat Confessio.

23 An aliquem idem docueris?

24 An doluerit, quia illud confessus, quia de illo doluit.

Puncta singulis annis examinanda.

VIsus, circa te & alios. Tactus similiter. Auditus. Gustus quoad cibum & potum. Verba. Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, Acedia. Timor. Vindicta. Percussiones. Ampr. Imprecatio. Vulnera. Fuga. Irrisio.

Decalogus per singula præcepta eundo.

Quinque præcepta Ecclesiæ, ut Missa, Confessio Paschalis &c.

FIdes, hîc circa imagines, reliquias, Simulatio, hæresis. Spes, desperatio, Votum, Ieiunium. Charitas, quando venit ad usum rationis.

Orationes, ex obligatione, vel consvetudine.

Superstitiones, Somnia, Divinatio, sortes, observatio.

Magici Characteres, Maleficia tam ex odio, quàm amore.

Confessiones, si defuit examen, dolor, veritas, numerus, propositum, mala excusatio.

Communio, sine præparatione, cũ peccato.

Blasphemia, irrisio sanctorum, aut indecorus sermo.

Iuramenta falsa, & sine necessitate.

Promissa, mendacia, deceptiones, vexationes.

Irritatio alicuius ad iram. Restitutio.

Diffamatio, in veris, vel falsis, infectio in morbo.

Missa, an colloquendo, an distractus, an integra, fuit?

Labor die festo.

Honor Parentum, Magistrorum, Præfectorum, Seniorum.

Obedientia iisdem, odium, contemptus, illusio.
Fratres, sorores, propinqui, famuli, carcer.
Periculum subire, se mutilare, vulnerare, vel alium.
Duellum, concertatio, studia, temporis iactura.
Stipendia, artifici solutio, famulo. Impeditio solutionis.
Cogitatio impudica, sine vel cum consensu, cum masculo, fœmina, bestia, sacra persona, seipso.
Item, oscula, literæ, verba, communis lectus, aspectus, lectio, spectatio, expressio, gestus, choreæ, picturæ, permissio tactuum, promissio matrimonij, munera, raptus, alienæ uxoris cogitatio, dona, affines, inordinatio, mollities, aspectus bestiarum, & tactus. Distillatio, somnus, causa eius, oblectatio, confabulatio.
Furtum, ludi, fraus in ludis, rerũ in alium finem datarum abusus. Filius

lius apud Parentes, apud Dominum conservatio. Participatio de furto. Piscatio in alieno; Cæsura lignoru. Impeditio alterius in re consequenda, venatio in alieno, militaris gesum destructio, profusio, fraus in vendendo, emendo.
Pascua aliena, segetes, ligna, fictio paupertatis.
Famæ alienæ diminutio, silentium de illa.
Venenum, apostasia, debita credita.
Literæ apertæ, falsificata sigilla, fictio manûs.
Donatio, mutuum, legata dilata, testamentum.
Homicidium, depositum, morbus, usura, telonium.
Mercatores, Iudæi, Notarii, auriga, incendium.
Rei alienæ retentio; Ignorantia rerum necessariarum.
Suspicio, iudicium temerarium, scrupuli, dubium.

Jejunium, vigiliæ, quantitas, qualitas.

Religionis, castitatis votum, eleemosyna.

Beneficium Ecclesiasticum, Ordines, Breviarium.

Sacerdotes, Religiosi, Concionator; Senes.

Mendacium grave, perniciosum, malitiosum, accusatio.

Testimonium, Secretum, Ambitio, vana gloria.

Laus falsa alterius, sui, vituperatio, hypocrisis.

Prodigalitas, solicitudo, Fraus, violentia.

Proditio, tristitia de bono alterius, ebrietas, scurrilitas, cantiones facta in ebrietate prævisa.

Contumelia, convitium, maledictio, concitatio unius in alium, imaginis conculcatio, laceratio, rixæ, distractio.

Missa falsa celebratio, susceptio

con-

confessionis, aut alterius Sacramenti in peccato. Patrini.

Contemptus aquæ lustralis, ciborum benedictorum, benedictionum.

Communio à non ieiuno, vomitus.

Numerus peccatorum in confessione; circumstantiæ, submissa locutio, certa pro dubijs, narratio eorum cum damno quæ à Confessario audivit, peccatum falsum dormienti.

Indulgentiæ, ob recidivationem ad alium itus. Pasquilli, oratio, noctes, cibi quo fine, quanti. An contra remorsum conscientiæ egerit, & ea quæ putavit peccatum.

Ex præteritis cōfessionibus, dubia, remorsus, periculum peccandi.

Officium proprium & obligatio. Lectio librorum Hæreticorum, donatio, in fide dubitatio, aliarum Sectarum laudatio. Tentationes.

Patientia, humilitas, murmuratio

tio contra Superiores, Proposita mala, appetitus ad vestitum. laudatio sui, adulatio noxia occasiones peccandi non vitatæ. Instinctus Dei, consilia maiorum, Confessarij Parentum, Discordiarum seminatio.

Conturbatio alicuius, nullum velle audire.

Convivia, Pædagogus, Condiscipuli, Sacerdos.

Impeditio aliorum in bono. Propositum in confessione.

An contempsit excommunicationes, interdicta & pœnas Ecclesiæ, vel si prohibitus fuisset.

Accedens ad Confessionem.

1. HAbet dolorem universalem, etiam de ijs quorum oblitus, de ignoratis, &c. & in alijs confessionibus dictis.

2. Propositum, nihil omnino reticendi, aut palliandi, neminem traducendi.

3. Dimittendi omnibus inimicis, etiam illis qui eum ad peccandū induxerunt, & eos non diffamandi.

4. Propositum obediendi confessario in omnibus, faciendi quæ suaserit, restituendi quibus iudicaverit, fugiendi occasiones, quas vetuerit.

5. Propositum de cætero non peccandi, præscindendo (si licebit) ab eo quid sit futurum.

6. Dubia pro dubijs, certa pro certis dicendi.

7. Ne respondeat ad aliquid subitò, ne mentiatur.

8. In quibus confessionibus non doluit, vel tacuit aliquid, vel palliavit, vel dormienti confessus, vel fuit nimis rudis sacerdos de industria quæsitus, omnes repetendæ: item si potestatem non habuit absolvendi.

9. An pœnitentias iniunctas impleverit.

10. Quam pridem confessus sit? An restitutionem impositam expleverit.

PRAXIS XII.

Dilatare affectus in via purgativa; v. g. dolor ob commissa peccata oritur, ita promoveri potest.

PEtitione. Ego Domine sum ille miser, qui peccavi, & tam diu hæsi in peccatis. Hic sum ille (heu) quem tedet pudetq; , quare suppliciter peto, ut hoc meum marmoreum cor de peccatis dolore nescium, tenerrimo doloris affectu emollias: ut ob nullam rem tanto dolore afficiatur, quàm ob commissorum turpitudinem peccatorum.

2. Obsecratione. Fac obsecro Domine per inexhaustos tuæ bonitatis thesauros, per ineffabiles passionis tuæ dolores, per illum sangvinem mei causâ profusum, per omnia dona quæ mihi protulisti.

3. Reprehensione. Ecquid agis anima mea itane parum doles, quòd tot flagitijs IESUM offenderis? O vec-

te non videris capere quàm sit grave tantam læsisse majestatem!

4. Admiratione. O me stultum! ô cæcum! quando summum brevissimæ eiq; vilissimæ posthabui voluptati. Cur non inopinata mors mihi priùs, quàm cogitatio de offendendo subiit.

5. Interrogatione. Ah putride homuncio? fare, quid quæso tibi iniquitas attulit? aut mendacissima voluptas, cùm tibi summum bonum DEUM abstulit? Flos adolescentiæ tuæ tibi defloruit, forma evanuit, vis nervorum emarcuit, quid tibi superest? Dedecus, infamia, lacrymæ, quibus tua defleas, doleasq; peccata. Ah quid DEus bonus in te commisit ut eum tot flagitiis irrites, an ideo illum offendere debuisti, quòd te tot auxerat beneficiis?

6. Exclamatione. O optime cœlorum Pater! Et cur hoc improbum caput ad Tartarū non fulminâsti? cui

me qualo solvilli? ego sceleribus tu contra, mecum certasti muneribus, sed quando Angeli tui potuerunt manus vindices continere, cur me non tuæ executores Iustitiæ diaboli dudũ iam laniaverunt?

7. Confirmatione. Fateor Domine oculos meos non dignos luce huius diei, dignos quos perennis lacrymarum imber & caligo obnubilet. Ah luge! luge! luge infelix anima! habes lugendi causas uberes; nunc nunc ô Domine me punias, plus me promeritum confiteor.

8. Firmo proposito. Effrenatam hanc animam tui amoris habena frænabo, lascivum corpus flagris & cilicijs domabo, membra laboribus fatigabo, ieiunijs macerabo, linguã silentio piabo, oculos lacrymis lavabo, nares fœtore ægrotum castigabo, aures afflictis tuis filijs accomodabo, manus pijs operibus occupabo, totum denique corpus honori tuo dedica-

dicabo. Sic stat obstinata mentis sententia, millies potiùs occumbere, quàm vel levissimo peccato Numen tuum offendere.

Aspirationes ad DEUM excitanda, ab incipientibus.

O Domine DEUS meus, ego vilissimus sum peccator, indignus planè quem terra sustentet!

O Domine qui es summum bonū, quòd longè per peccatum à te recesserim doleo! Nam habito in regione hac longinquâ miseriarum mearum, ubi perdidi me.

O Pater amantissime peccavi in cœlum & coram te! verè non sum dignus vocari filius tuus, fac me obsecro unum de mercenariis tuis.

O Deus dulcissime pœnitet me, quia peccavi, quia legem tuā transgressus sum, amplius lava me à peccato meo, & ab iniquitate mea munda me.

O Domine Deus detestor peccata mea, abominor omnia flagitia mea, utinam millies mortuus fuissem, quàm offendissem te.

Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum, donec transeat iniquitas mea à me.

Ablue me ô Christe IESU pretioso sangvine tuo, & ab omni peccato munda me.

Sana Domine animam meam peccatis vulneratam, unge oleo gratiæ tuæ cicatrices delictorum meorum, ne quæso despicias me.

O Domine IESU piissime ab hac hora nunquam tuam legem transgrediar, nunquam in peccatum consentiam, sed prius in omnem infamiam & ignominiam incurram.

O Pater amantissime da mihi, ut fructus dignos pœnitentiæ faciam, & delicta mea debita castigatione puniam.

In via Illuminativa.

Offertur v. g. Humilitas, cuius desiderium in te inflammare cupis, sic id præstabis.

Petitione.

1. Da mihi quæso Domine huius pulcherrimæ, mihiq; necessariæ virtutis copiam, quâ fastum & arrogantiæ tumorem qui in me est, omninò possem comprimere.

Obsecratione.

2. Domine annue servo tuo supplicanti per IESUM Filium tuum unigenitum, qui mei gratiâ formam servi accepit, humiliavit semetipsum usq; ad mortem, mortem autē crucis, & opprobrium hominum & abiectio plebis factus est.

Desiderio.

3. O utinam mihi huius humilitatis copia fieret! ne me tumor superbiæ ille tam sæpè inflaret. ô quam

beatus essem, quàm egregius humilitatis filius & operarius.

4. *Vituperatione & reprehensione.* Audes tu miserrime fex vulgi homuncio superbe, audes inquam cristas attollere, genus, ingenium, venditare, animo do e: iactare, favoribus hominum inflari? superiorum dominationibus resistere, vel eas oppugnare? Et scis bene, quòd DEUS superbis resistat, humilibus autem det gratiam. O nauci homo, o urna pulveris, quid ita tumes? quid habes quod non accepisti? Nescis abiectissime vermicule, vilissime lumbrice, quanto, superbus ille Angelus, casu, ad inferos pervenit.

5. *Admiratione.* O mi DEUS qui potest fieri ut mihi? Ah cur me nō tuis advolvo vestigijs, videns tuam maiestatem & meam vilitatem, ergo non amabo virtutem tantæ venustatis?

6. *Exclamatione.* O honoratissima

humilitas, quanta tibi vis in homines sese humiliantes, cœlo mitteris, sine te virtutes reliquæ subsistere non possunt, tibi tributum pendere coguntur.

7. *Interrogatione.* Audes ô miser, & cur adeo inflari, cur non humiliare, quid es nisi nihilum? Et prosapiæ tuæ origo est nihilum, & tamen laudes ambis, sperni à nullo pateris?

8. *Confirmatione.* Verè Domine video, quod ex omni parte ad humilitatem me invites, video intellectum ignavum, memoriam malis speciebus impletam, voluntatem fluxis rebus inhiantem, hæc & alia cum video vehementer erubesco.

9. *Propositio.* Domine hæc mea firma stat sententia. Cum gratia tua omnem superbiæ fastum odisse, arrogantiam execrari, omninò Christianæ & religiosæ submissionis virtutem consectari, decerno hodie nihil, quod faciat

faciat ac meam laudem & aliorum gratiam aucupando, agere.

Aspirationes ad IESVM, exercendæ à proficientibus.

DOmine DEUS meus quando plenè mihi moriar & tibi vivam? Quid mihi Domine est in cœlo, & à te quid volui super terram. Tu DEUS cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

O si tui solùm recordarer, te solũ cogitarem, te tantùm diligerem, o summum & infinitum bonum mentis meæ!

O Domine DEUS meus, si verè essem mitis & humilis corde, si verè pauper & nudus spiritu! o si cunctis virtutibus ornarer! ut tibi per cuncta placerem.

O si scirem, ad te dulcem hospitẽ meum intus in corde meo habitãtem intrare, & stabili cogitatione, clarâ cognitione, & ardentissimo amore

ad te pelagus bonorum fluere!

O liberator fortissime! quando liberabimur à fragilitate huius corporis? Et ab omni, quod saluti nostræ non convenit.

In via unitiva. Offeratur Amor Dei.

Excitabis illum petitione & obsecratione ut supra.

3. DEsiderio. O mi Creator utinam te magis diligam omni creatura! O utinam me tua venustas, sanctitas, tua pietas, bonitas tua, ad te pertraheret! Accende cor meum castissimo amoris tui igne, ne unquam forma mortalis ullius urar nitore! Ah quando totus tuo liquescam incendio! Ah utinam à primis infantiæ annis, Tuo o DEUS flagrassem amore, quis mihi det, ut perinde ac illi Seraphici, reliquiq; cœlestes spiritus amore tui ardeam, quando tandem in me omnes rei creatæ affectus extingues? Quando cor meum non nisi tui solius amore flagrabit?

4. Vitu-

4. *Vituperatione.* O diu ingrate, immemor omnium beneficiorum! adeone magis glacie friges? Fare, age, cur tuum non ames DEUM? Quin summum diligis bonum? Non potes tu vel momento ab illius respirare desiderio, qui te sic amavit ab æterno?

5. *Admiratione.* Ergone Domine fieri potest ut tui amoris expers vivam? O DEUS meus! vita mea! sine qua funditus pereo! heu infelix! quid amo? Quod te Domine non amo? Ergone à te divelli queam? Ergone ferrum trahit magnetē? Tu amor optime, maxime, non me tibi devincis?

6. *Interrogatione.* Estne anime mi præter DEUM quicquam, quod te possit satiare? Estne amore quid dignius potentius, & sapientius? sanctius? utilius? Noscis quid dicatur, dimensi ad immensum nulla proportio esse potest. Audis quid clametur:

finiti ad infinitum nulla est compa-
ratio? Nonne ille est tuæ mentis cen-
trum? Quid igitur ambis? Cur centro tuo non acquiescis?

7. *Confirmatione.* Verè o Domine, omnino prorsus amore dignissimus es, nec potest quidquam esse infelicius eo, qui te non diligit.

8. *Proposito & oblatione.* Suscipe Domine voluntatem meam, suscipe cor hoc, idq; totum constringe, tibiq; adamantino nexu copula, te nã unicè amare, fiat, te totum diligere fiat certum, sum certus Domine quòd neq; mors neq; res ulla sit me à tui amore distractura.

Ne, quæso te Domine, sinas me eò delabi perfidiæ, ut amorem, quo te amplector rivali tuo cuicunq; aliquando prodam. Tu Deus meus, mihi Pater, tu Sponsus! mihi tu deliciæ! tu thesaurus sis in æternum.

Ecce Domine cor meum tibi offero, vitam, animam meam, itemq;

omnia lubens volensq; ea tibi dedico, doq; & addico; vendica ea tibi, cuius ea sunt nuncupata obsequijs in æternum. Amen.

Aspirationes ad IESUM exercendæ à perfectis.

O Charorum omnium charissime! O Amor meus, unice, o Sponse floride! Sponse melliflue! quando me ornabis illis monilibus quibus tibi placeo? O domicilium meum! o lectule floride animæ meæ! Paradisus animæ, da, ut in te me abscondam, tibiq; immergar, & ab omnibus quæ tua non sunt, vel, ad te, me non referunt, constans fugiam.

O Sponse dulcissime! expande pallium protectionis tuæ super me: trahe me post te, ut alacriter, purè, & constanter curram in odorem unguentorum tuorum.

O Medice Sapientissime! sana me & sanabor, salva me & salvus ero; quo-

quoniam laus mea & gloria mea, & exultatio mea tu es.

O Creator meus! effice me hominem secundum cor tuum conformem Humanitati Sanctissimi Filij tui.

O Pulcherrime susceptor meus! inebria me vino charitatis tuæ; uni me tibi intimè, & me totum transmuta in te.

O dilecte mi! quem solum quæro, quando mihi pulsanti & gementi aperies, Quando te ipsum mihi manifestabis. Et dices salus tua ego sum.

O Totum & solum gaudium meum! diligam te ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus visceribus meis.

O Pater amantissime! quando me introduces in cubiculum gratiæ tuæ, ut nemo despiciat me.

O Domine DEUS meus! qui es ipsum esse, ac pelagus immensum essendi, impensè volo tibi tuum esse. Placet

mihi vehementer, quòd sis ipse qui es, offero ac consecro tibi meum esse, suscipe me.

O Domine DEUS meus, Spiritus purissime! gaudeo & exulto, quod sis Spiritus ab omni vilitate carnis & corruptibilitate alienus, fac ut terrena despiciam, & spiritualia semper diligam;

O DEUS simplicissime! si te diligerem, si tui amore arderem, si universi homines te ferventissimè amarent, da mihi in omni simplicitate & veritate conversari.

O DEUS immortalis! ecce propter te mortem peccati detestor & odio habeo, ô si nunquam tibi displicuissem! o si semper meam vitam, tuæ voluntati conformassem!

O DEUS perfectissime! gratum est mihi valdè, quòd sis perfectionum abyssus: firmiter statuo implere semper omnia iudicia iustitiæ tuæ.

O Domine DEUS infinite, infini-

ta dulcedo, & gloria mea! impleatur in tempore & æternitate sanctissima voluntas tua. Amen.

PRAXIS XIII.

Memoriales versus actionum benè instituendarum.

Manè surgendo.

ASpiro, grates refero, cor offero, posco.

Ante Meditationem.

Vivo probè, sensus custodio, digero puncta.

In Meditatione.

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur,
quomodo, quando.
Credo hic esse DEUM, præludo, præparo mentem.
Discurro, miror, sum gratus, me pudet acti
Offero, propono, postulo quidquid amo.

Reflexio post Meditationem.

Corpus, Mnemosyne, ratio, exequiturq; voluntas, Fru-

Fructuum Annotatio.

Decretum, praxim, motivumq; il-
lustre notabo.

Examen Conscientiæ.

Redde Deo grates, pete lumen, dis-
cute mentem.
Delicti veniam posce, recide ma-
lum.
Quæ loca, personas, officia &
vitia.

Comestio.

Præproperè caveo, lautè, ardenter,
studiosè.
Intendo, precor, attendo, morumq;
recordor.
Tempero, suspiro, gratia danda
Deo.

Colloquium.

Respicio finem, evito mala verba,
modestè
Lætor, onus porto, dexteritasq;
placet.

Lectio Spiritualis.

Certus erit liber, & constans erit
hora legendi. Fac

sed multum, non multa legas, quæ legeris adde.
Hujus lectionis fructus.
Arma noto, tenerasq; preces, praxes faciendi.
Lumina, principia, & Sanctorum exempla Virorum.
Visitatio templi.
Elicio teneros actus, & quinque saluto vulnera, solamen subsidiumq; peto.
Confessio.
Do grates, lumen posco, Peccata recordor,
Deteriora gemo, sed meliora volo.
Somnus.
Reddo Deo grates, somnum offero, posco, protestor.
Missas, vota, fidem, mancipium renovo.

PRAXIS XIV.

Juvare se in anxietate conscientiæ seu Scrupulis.

Doctrina Theologorum de peccatis ex Theologia Ascetica Christophi Schorrer. § I. fol. 507. 1. Ob.

1. OBiecti peccaminosi repræsentatio facta sensibus externis, internis, rationi &c. peccatum non est.

2. Motus sensualitatis repræsentationem consequens, & rationem prævenien, non est peccatum.

3. Delectatio motui connaturaliter coniuncta, secumq; ex consensu ante omnem deliberationem, trahens partem inferiorem rationis, ac voluntatis, non est peccatum. Imò meritum, si superior pars primo motui repugnet. Si non potuerit reprimere, & advertens suggestionem motumq;, statim resistat actibus contrarijs saltem virtualibus elicitis, meritum est. Si verò ratio superior non nihil hæreat primisq; suggestionibus non resistat, cum possit, est peccatum. Et si tum ratio sit distracta, est levis culpa: Si verò advertat suggestionem, sed ex pigritia non resistat, licet non consentiat nec deliberet, est

veniale. Si consensus sequatur ex vehementi impulsu ante plenam deliberationem, & ubi deliberatio advenit, resistit; nondum est mortale. Cùm plenus consensus est, cum plena deliberatione actuali vel virtuali in materia gravi, mortale.

Ex Francisci Arias Thesauro.
tr. 9. fol. 210.

QUod à scriptura vetatur sub exclusione à cœlo, pœnâ æternâ, est mortale.

Omnis culpa, quâ fit notabilis irreverentia, aut ignominia Deo: Vel quâ proximo notabile damnum, ac præjudicium in sanitate, honore, bonis; Vel quâ ipsemet homo sibi in corpore, vel anima notabile damnū infert, est mortalis.

Culpæ leves in se, ordinatæ ad mortale, sunt mortales.

Omnis culpa, in qua homo ultimum suum finem ponit, licet in materia

tertia valde levi, est mortalis: Id est, si paratus est ob rem illam transgredi grave Dei præceptum.

Si transgrediaris, etsi in re levi mandatum superioris, est mortale.

Ex Variis.

1. PEccatum ita est voluntarium, ut sine voluntate peccatum esse non possit, quare hujus consensus requiritur, qui perfectus est, cùm præcedit ex plenè deliberata mali electione: vel clarè animadversâ rei debitæ omissione. *Imperfectus* verò cùm re leviter menti oblatâ, obrepit potiùs negligentiori voluntati motus, quàm deliberato consilio suscipitur. Aug. lib. de vera Relig. cap. 14.

Prior consensus in materia gravi, peccatum mortale est. v. g. si hinc gravis in Deum vel proximum, vel nosmetipsos, redundet injuria Th. 1. 2. q. 8. a. 1 & 2.

Posterior consensus, venialem, culpā

non

non potest excedere, quamcunque tandem circa rem versetur. Th. ibid. Bellarm. lib. de amiss. gratiæ cap. 11.

2. Tametsi solum mortale confiteri sit necesse, veniale tamen utiliter confiteberis. Si enim de veniali vere dolueris, & proposueris cavere, remittitur sine confessione. Maximè, si cùm hunc dolorem excitas, te aqua benedicta aspergas, vel pectus tundas, aut signes te Cruce, aut Orationem Dominicam dicas, aut Confiteor. Trident. sess. 14. cap. 5.

3. Dolorem in confessione sive excites ob Dei offensam sive ob metum inferni, non est necesse, ut lacrymeris, aut sensum acriorem in parte inferiore hominis sentias, satis est ut voluntas ita scelus detestetur, ut nullatenus velit imposterum illud patrare. Soar. tom. 4. disp. 20. sect. 4.

Quodsi certum mortalium numerum invenire non potes, putas tamē te v. g. decies fecisse: Sufficit si di-

casu te toties, plus minus, patrasse, idem tom. 4. disp. 22. sect. 1. n. 38.

Quodsi in idem peccatum sis frequenter lapsus: Satis est consuetudine tempusq; fuisti quo in illa, exprimere v. g. si hæresis uno anno, sufficit dicere te singulis hebdomadis ter, quater, aut quinquies, aut quolibet mense bis, terve lapsum. Loper. 1. p. instit, c. 3. q. 2. ex Soto in 4.

4. Qui diligenter excussâ conscientiâ, cum dolore de peccatis & firmo proposito, ea sacerdoti confessus fuerit, eo animo, ut neq; pudore, neq; aliâ causâ celare quidquam vellet, & à Sacerdote absolutus est, si postea de Confessionis integritate scrupulis agitetur, securus sit se benè confessum: Quidquid intermurmurent metus & scrupuli, hoc vel illud fuisse omissũ, nisi aliquid clarè occurrat quòd certò meminit se non dixisse. Gerson. p. 3. tract. de remed. pusill. & tr. de divers. diaboli tentat.

Sufficienter se examinavit quispiam, etiamsi quartam, imò tertiam peccatorum partem non potuerit sibi commemorare. Talia peccata deinde ubi clarè occurrerint, confiteatur.

5. Cogitationes blasphemiæ, luxuriosæ, superbæ, invidæ, suspicionis, & id genus aliæ, si te molestent, signū est quòd non cōsenseris. 1. Quòd ab iis priusquàm occurrant vehementer horreas. 2. Quòd eas tibi occurrere admodum doleas. 3. Quòd enixè cupias ab earum molestia liberari; atq; ita de illis minimè labora, neq; cum illis digladiare, vel in eas inquire; sed eas contemne quantumlibet importunas. Gerson. p. 3. de diu. diab. tent.

Sunt & alia signa probabilia, quòd non consenseris. 1. Tentationis æstu sedato inquire à te ipso, quomodo sis affectus legi Divinæ, & num mori eligeres, quàm peccare. Si ita es constitutus, habe signum non præstiti

consen-

consensûs. 2. Reflecte ad pristinas actiones, & diligenter attende, nunquid non toties soleas tentationi resistere, quoties te advertis sollicitari ad mortale peccatum. 3. In ipso æstu tentationis, si te quis interrogasset: Visne consentire? Si dixisses, *nolo*. Satis habes signum probabile non præstiti consensûs, Anton. Balinghem. T. 1. triumph. castit. a. 1. c. 10

6. Scrupuli initio Conversionis juvant ad puritatem animæ acquirendam: Et immittuntur ijs, qui antea laxiùs vixerant.

Regulæ practicæ pro scrupulosis.

1. Caveant sibi à conversatione cum scrupulosis.

2. Caveant ab omni melancholia & cogitationibus solitariis.

3. Caveant à lectione Casistarum, & eorum librorum spiritualium, qui rigidiùs scribunt, legant autê eos, qui de bonitate Dei, &c.

4. Actus scrupulosos abjiciant, quia

quia inde ſcrupuliſandi habitus & proclivitas oritur.

5. Si judicares alterum hoc ipsũ facientem, de quo tu metuis nõ peccare: nec tu peccaſti: ideò alterum cogita feciſſe.

6. Aliis doctis, etſi mediocriter; plus crede quàm tibi.

7. Privilegiis, quæ Caſiſtæ ſcrupuloſis concedunt, liberaliter utere, & ea lege.

8. Materias peccati quas non intelligis, dijudicare noli, nec de tuis peccatis ante confeſſionem forma judicium ſintne gravia an levia, ſed ſimpliciter ut feciſti ut faciũt ruſtici, confitere.

9. Quidquid tibi mediocriter doctus de ſcrupulis tuis dixerit, acquieſce: Non enim teneris doctiſſimos pro tuis reſolvendis dubiis quærere: Sed ij ſufficiunt, qui ſunt ad confeſſiones audiendas expoſiti, & approbati, judicatiq; ſufficere. Debes autem

supponere te, qui scrupulosus es, ineptissimè judicare, ac judiciu tuum in hoc puncto defectuosum ac læsum esse: Et quidquid dixeris, te erraturum.

10. Cùm te urgent scrupuli, discussionem & examen eorum ex tempore in tempus differ: Non enim statim teneris te examinare, nisi ante confessionem: quam non debes frequentare, nisi sicuti ordinariè ij, qui sunt ejusdem tecum status: nec in hoc indulgeas tibi amore puritatis, aut quòd ne uno puncto temporis velis manere in peccato: ubi non est certissimò peccatum.

11. Non nimis soliciteris de peccato commisso, sed tantùm media ordinariè adhiberi solita, admove. Et ita ea peragas, ut ordinariè peragi solent, id est Confessionem, & dolorem.

12. Cùm scrupuli oriuntur. Move tibi scripulum quod dubitas ponitatu Divina. Quod Confessarium di-

judices, quasi ille vel non advertisset defectus tuæ confessionis, si qui fuerunt, vel non supplevisset eos. Quod judicium tuum aliorum judicio præferas, & te solum sapere putes, alios ita hebetes, ut non penetrent statum tuum. Quod juxta verba Christi non agas, *Qui vos audit, me audit*: quod damnes virtualiter alios, qui eandem actionem eodem modo actu fecerunt, & putant se satis benè fecisse. Quod nimio amore tui feraris: cùm prudens amor sit, dispositione aliorum de se contentum esse &c. &c.

13. Expedit interdum medicamentis atram bilem minuere.

14. Cavendum ab otio, jejuniis nimiis, & vigiliis, moderatè corpus tractetur, cum hilaribus agas ac te recrees.

15. Illi studio te applica, quod totum hominem abstrahit, & perpetuò applicatum detinet.

16. Aliud est cognoscere, se velle

facere; dæmon sæpe scrupulosis inji-
cit tentationem per hanc propositio-
nem. *Volo facere peccatum.*

17. Si habes habitualem volunta-
tem non consentiendi, non consensi-
sti nisi actus externus accesserit.
Quia juxta habitum solet homo ope-
rari: & scias te virtualiter restitisse,
licet id non adverteris: nec enim de-
bes scire te restitisse.

18. Si turbaris, te non bene in cō-
fessione expressisse peccatum: si veni-
ale erat, illud non solùm non benè
exprimere, sed & omittere poteras.
Si mortale, sufficit illud quoad sub-
stantiam explicare, circumstantiæ e-
nim non sunt necessariò explicandæ,
nisi mutarent speciem. Ut autem
peccatum secundò confitearis, debes
ita certus esse de illo quòd sit morta-
le, ut jurare possis esse rato: & ita
certus esse quod illud omiseris, vel cir
cumstantias mutantes speciem non
addideris, ut id juramento confirma-
re posses.

Hæc

Hæc sunt privilegia scrupulosorum.

PRAXIS DEC. QUINTA.

Intentionem formare.

AD laudem & gloriam SSmæ Trinitatis; in memoriam Salvatoris nostri JESU Christi, vitæ, passionis, mortis, ac resurrectionis, ac in operum & meritorum suorum, omniumque Sanctorum unionem. Ad laudem quoq; & exaltationem Beatissimæ V. MARIÆ, cœlestium Angelorum, Sanctorum atq; Sanctarum, & nominatim N. N. & aliorum Sanctorum. Offero etiam cum ipsorum Beatorum spirituum laudibus, Sanctorumque omnium precibus ac meritis, nunc & semper, hæc & omnia alia opera totius mundi, pro meis præsentibus & futuris, animæ & corporis necessitatibus, auxilium & consolationem meam, & in remissionem omnium peccatorum meorum, quorum veram contritionem semper habere intendo,

conor, & cupio: omniumq; vivorum & defunctorum: meorum parentum, & consanguineorum, amicorum, inimicorum & benefactorum in spiritualibus & temporalibus, ac illorum, quibus fui gravamen, scandalum, & occasio peccandi. Pro omni gradu S. Ecclesiæ Catholicæ, ac illius conservatione, augmento, & exaltatione; Christianorum Principum unione, hæresum exstirpatione, summi Pontificis salute, animarum in purgatorio existentium liberatione, Pro conservatione & augmento omnium Religionum. Pro conversione omnium infidelium: pro mihi commissis & commendatis. Deniq; pro illis omnibus vivis atq; defunctis, pro quibus D. noster IESUS Christus & ejus Mater, sciunt & volunt me orare, sic oro, obsecro, ac orare & obsecrare intendo, propono.

Contra carnem pugna.

PRAXIS DEC. SEXTA

NOn congressu cum hoc vitio, uti cum cæteris, sed fuga agendum. Stultum proinde has tentationes in te excitare, ut eas deinde vincas, sed fuge quàm remotissimè. Interea tamen vide. 1. Ex quibus in te causis oriri soleant, solent autem vel ex aliqua conversatione; fuge hanc, licet solùm levissimam det causam, non aspice ejusmodi homines, non alloquere amanter, non manus attinge; sed si quid cum eis agendum, fac graviter, & quàm citissimè te expedi. 2. Cave otium, & omnem cogitationem, quæ utcunq; statum tuum dedecet. 3. Obedias integrè tuo Patri Spirituali. 4. Cave, judices temerè proximum tuum de hoc vitio, & si manifestum sit ejus peccatū, non illi irascere, sed compa-

comparere, omnem contemptum illius cave: sed teipsum potiùs contemne, humilia, præ timore similis lapsûs contremisce, ac Deum ferventissimè ora, ne tu similiter tenteris atq; cadas. Nam solet Deus simili illi malo, punire superbos judices. Si expertus fueris in te devotionem, aut aliam gratiam sensibilem, ne in ea tibi complaceas, & hinc te meliorem cæteris judices; sed sta in timore & tremore. Imò nec ipsæ reprehensiones nostri factæ à nobis semper sunt bonæ. Nam si perturbant, pusillanimitatem & pigritiam ad bona opera inducunt, & erga Deum diffidentiam: à diabolo proficiscuntur. Nam quæ sunt à Deo, humilem & quietam animam conservant, & confidentiã augent erga Deũ. Sensibilis etiam devotio sæpè oritur à natura, cõplexione, sæpè à Deo, sæpè à diabolo. Semper verò ex fructibus suis cognoscenda, à quo proce-

dat. Nam ſi ad vitæ emendationem non impellat, ſuſpecta eſſe debet. Univerſim tamen, non multùm inquire à quo procedat, ſed neq; illi inhære, ſed potius inſiſte cognitioni tuæ vilitatis, & ſolum Divinum placitum deſideres. Et ſic undecunque natæ fuerint iſtæ dulcedines, lucroſæ tibi ſient. Ex iiſdem cauſis oritur, & deſolatio ſeu ariditas. Nam dæmon eas immittit ut fervorem in anima extinguat, à ſpiritualibus exercitiis abſtrahat, & ad quærenda in creaturis ſolatia inducat. Ariditas ex nobis oritur, vel cum peccata admiſſa recolimus, indeq; metuere incipimus, aut cum tædio laboris ſpiritualis corripimur; Deus verò illam immittit, ut nos ad majorem ſedulitatem excitet, & à cæteris, Deum non concernentibus, abſtrahat: denique ut non hæc ſolatia, ſed Dei placitum quæramus. In ariditatibus itaque cauſam inveſtiga, & pu-

gna adversus eam, non eo fine, ut tibi sensibilem compares consolationem, sed ut amoliaris quidquid Divinis oculis displicet. Solita pietatis officia nullatenus intermitte, imò magis illa prosequere, neque animo concide. Nulli hominum hanc crucem patefac, nisi soli Patri Spirituali, idque non causâ solatii, sed directionis. Neque ullum pietatis exercitium ideo fac, ut impetres liberationem ab ariditate, sed solum ut robur ad ferendum illam acquiras. Et si meditari non poteris, satis erit, si voluntatem bene agendi conserves & te humilies. Neque si abà impuris obruaris cogitationibus te puta à Deo derelictum, neq; labora de quiete animæ, sed potiùs te humilia, siquidem eo fine sunt permissæ à Deo, ut agnita tuâ vilitate ferventiùs ad eum recurras.

Videas etiam tentationes carnales.

oriantur, ne a rebus exterioribus in-
te, an ab interioribus. *Exteriores* causæ sunt, conversatio, colloquia, lectio, studium materiarum ejusmodi. Has omnes fuge, nec cum illis ullo modo pugna, nisi malis contaminari. *Interiores* causæ sunt, vel ex corpore, vel ex anima. Ex corpore, si sit nimis vividum; tum adhibenda cilicia, jejunia, vigiliæ, & aliæ asperitates, juxta judicium Patris Spiritualis. Ex anima, cum cogitationes turpes frequenter oriuntur; contra has remedium, oratio, pia meditatio, & labores competentes tuo statui. Sed meditatio sit de iis rebus, quæ nullo modo carnalia desideria revocent in mentem: Idcirco non suadetur, ut turpitudinem carnalium vitiorum mediteris, pericula, ignominiam, jacturam famæ & bonorum, Divinæ gratiæ, & gloriæ, ex iis solita oriri. Tales enim consi-

derationes non eliminant, sed imprimunt carnalia obiecta. Itaque potius recolenda Passio & mors Christi Domini. Quodsi nihilominus tentationes te non deserunt, noli animo succumbere, neque meditationes abrumpe: Neque cum istis te perturbantibus cogitationibus contende, sed quasi nihil ad te spectantes contemne.

Neque disputa cum cogitationibus fœdis, consenseris necne in illas, quia sub hac specie dæmon te poterit illaqueare, hoc enim faciendum erit cessante æstu tentationum. Sincerè tamen & expressè has cogitationes tuo Confessario explica, propter humilitatem.

Oratio debet esse frequens, sed non talis, ut per eam cogitationes tuas coram Deo quasi explices, quæ sit illarum malitia, hoc enim faciendo eas tibi repræsentabis, & periculum facies consensûs.

Superatis cogitationibus, non puta fore te ab illis deinceps liberum: sed omnes earum occasiones cave, neque cum illis pugna, sed absolutè fuge: nam omnis hic pugna periculosissima & laqueis dæmonis plenissima.

FINIS.



INDEX SOLILOQUIORUM.

14. De

35. Qui-

INDEX SOLILOQUIORUM.

56.

INDEX SOLILOQVIORVM

Commu-



INDEX SOLILOQVIORUM



